ST. MARY'S
COLLEGE LIBRARY
CALIFORNIA

6861
Q62B4
1921

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI.

Thomas Aquinas Saint.

SIVE

CONTINUATIO THEOLOGIAE DE VERBO INCARNATO

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

S. R. E. CARDINALI

OLIM IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

THEOLOGIAE PROFESSORE

TOMUS PRIOR

De credibilitate Ecclesiae, et de intima eius constitutione

WITHDRAWN
52743
A T Duffy

EDITIO QUARTA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

IN « VIA DEL SEMINARIO 120 »

1921

ST. MARY'S
COLLEGE LIBRARY

PROOEMIUM

Nihil sane magis consuetum apud Sacros Scriptores, quam ut saeculum praesens sub similitudine vasti et procellosi maris exhibeant, in quo post Adae praevaricationem in profunda et tenebrosa perditionis abysso humanum genus immergitur. Unde Verbum supernum adveniens ut nos e gurgite ereptos ad terram viventium retraheret, apostolos quos operis sui vicarios destinabat, inter piscatores maris Galilaeae expresso consilio elegit dicens: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Insuper, Ecclesiam suam quam velut universale salutis medium instituebat, figuratam esse voluit in ea piscatoria navicula qua assidue usus est, imo in qua habuit quasi domicilium, dum praedicans Evangelium, perlustraret villas et oppida littoris lacus Genesareth.

Factum est autem, cum turbae irruerent in eum ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus,

in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos. Et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum et Ioannem filios Zebedaei qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Id est: Sicut mirando prodigio hodie implesti retia tua tanta multitudine piscium, ita postmodum in virtute eiusdem potentiae, et miraculo maiori, extrahes animas hominum e profundis abyssis saeculi, easque in naviculam tuam adduces, exinde transmittendas ad littus quietis sempiternae (1). Quibus verbis ipse Dominus dignatus est exponere magnum prodigiosae capturae sacramentum, ut in integro huius facti ordine appareret quid in Ecclesia gerendum sit, usquedum veniat temporis consummatio. Duae naves intersunt, una Petri, altera filiorum Zebedaei, idque propter duos populos circumcisionis et Gentium, e quorum utroque congregantur ad Ecclesiam. At vero propter unitatis mysterium, in unam Petri naviculam ascendit Dominus, unum Petrum iubet ducere in altum et retia laxare in capturam; sub Petro denique Ioannes et Iacobus qui erant eius socii, ministerium suum impendunt, ac de eius benedictione atque abundantia participant. Bene etiam tanta tunc fuit piscium multitudo ut rete rumperetur, quia ad fidei confessionem promiscue cum bonis

(1) Luc. V, 1-10.

intrant et mali qui rete apostolicum dilacerent. Ideo sagena illa ex omni genere piscium congregans nondum trahitur ad littus, ut omnes ibi pisces indiscriminatim reserventur, sed tam bonis quam malis implentur naviculae in quibus praesentis temporis Ecclesia signatur. Postmodum autem veniet quando secus littus sedentes eligent bonos in vasa, malos autem mittent foras; quod erit in consummatione saeculi.

Ast adhuc consistendum in consideratione Ecclesiae quae nunc est. Eius fatum, si fas est dicere, pulchre monstravit eadem illa navicula e qua docebat Iesus turbas, privilegio eam exornans colligendi in retibus suis incolas abyssi. Non enim tranquillo mari destinabatur, sed saevis potius tempestatibus manebat obnoxia, non obstante benefica Iesu praesentia: quod etiam a proposita nobis allegoria minime dissidet. Quomodo enim abyssus frustra sibi eripi praedas pateretur? quomodo sileret? quomodo omnes non adhiberet conatus ut fragilem illam piscatoris scapham a qua tantum timet excidium, conterat et devoret? « Qui descendunt mare in navibus facientes ope-
« rationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini
« et mirabilia eius in profundo. Dixit, et stetit spiritus
« procellae, et exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt usque
« ad coelos et descendunt usque ad abyssos; anima eo-
« rum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut
« ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Et cla-
« maverunt ad Dominum cum tribularentur, et de neces-
« sitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam eius in
« auram, et siluerunt fluctus eius, et laetati sunt quia si-
« luerunt, et deduxit eos in portum voluntatis eorum » (1).

(1) Psalm. CVI, 23-30.

Sane vero omnia haec magis ad litteram verificata sunt in piscatoria Christi navicula, quam in maximis navigiis quae unquam pertransierunt Oceanum usque ad Ophir. *Et cum venisset Iesus,* inquit (1), *in domum Petri, vidit socrum eius iacentem et febricitantem. Et tetigit manum eius, et dimisit eam febris. Vespere autem facto, iussit ire trans fretum. Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur et periclitabantur. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Iterum ergo navicula Petri, nam e Petri domo egrediens iusserat Christus transfretare. Iterum imago Ecclesiae in hoc mundo fluctuantis et cum coelesti merce ad portum properantis, quam nunc continuo submergendam crederes, crebrescente undique immundorum spirituum vel pravorum hominum impetu. Iam in eo est ut conteratur, iam pereunt omnia, et quod culmen malorum est, inter aequoris fremitus videtur Iesus oblitus periculi suorum. Sed statuto tempore suscitatur e somno, et manu indicit procellae silentium; tunc aspectus eius super fluctus irradiat non secus ac sol; tunc aquarum superficies leviter mota et quasi laetitia exsultans resplendet luce inundante, dum mollis aura velis navigii dulciter blanditur. Verumtamen, sedata una procella, succedit mox altera; quin imo, quanto magis appropinquat mundi finis, tanto magis crescunt errores, crescunt terrores, crescit iniquitas, crescit infidelitas.

(1) Matth. VIII, 14-26; Marc. IV, 35-39; Luc. VIII, 22-24.

Et ideo in alia circumstantia tota nocte usque ad quartam vigiliam, periclitatam videmus naviculam: dum scilicet Iesus solus esset in monte, quasi intra velum coelestis altitudinis morans, discipuli autem laborarent in mari, quod vento magno flante exsurgebat. *Et statim,* inquit (1), *coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et vidit eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis.* Hic rursus, ut ait Beda super Marcum, labor discipulorum in remigando et contrarius eis ventus labores sanctae Ecclesiae varios designat, quae inter undas saeculi adversantis ad quietem patriae coelestis quasi ad fidam littoris stationem pervenire conatur. Et bene dicitur quod navis erat in medio mari, et ipse solus in terra, quia nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris non solum afflicta, sed et foedata est, ut si fieri posset, redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Unde est illa vox eius inter undas procellasque tentationum deprehensae, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore quaerentis: *Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?* Quae pariter vocem inimici persequentis exponit subiiciens: *Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem* (2). Verum ille non obliviscitur orationis pauperum, neque avertit faciem suam a sperantibus in se. Unde hic quoque aperte dicitur quia vidit eos laborantes in remigando. Vidit quippe Dominus laborantes in mari,

(1) Marc. VI, 45-51; Matth. XIV, 22-32; Ioan. VI, 16-21.
(2) Psalm. IX, 22-32.

quamvis ipse positus in terra, quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos ne in tribulationibus deficiant, suae respectu pietatis corroborat, et aliquando etiam manifesto adiutorio, victis adversitatibus quasi calcatis sedatisque fluctuum voluminibus liberat, sicut hic quoque subsequenter insinuatur cum dicitur: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt dicentes, quia phantasma est, et prae timore clamaverunt. Statimque Iesus locutus est eis dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit, et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, et ait illi: Modicae fidei, quare dubitasti? Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.* Quarta vigilia noctis est ultima noctis pars. Laborant ergo toto noctis opacae tempore, sed diluculo appropinquante, et solis dieique aeterni exortum Lucifero promittente, venit Dominus ambulans super tumores maris, quamvis nondum procellae finis. Imo crescere videtur, dum Dominus adveniens non agnoscitur, dum phantasma esse putatur, dum Petrus e navicula quasi e sua sede exturbatus super aquas ambulare et ipse cogitur, dum denique vento valido iam superandus apparet. At Christus porrigit ei manum ne mergatur in profundum, et cum ambo, Iesus scilicet et Petrus, naviculam repetunt, statim ventus concidit, et iuxta id quod Ioannes narrat, *statim navis fuit ad terram ad quam ibant.*

Hic imaginem vides apostolicae naviculae ad littus terrae viventium tandem aliquando pervenientis in saeculi fine. Quid igitur in felicissimo isto navigationis exitu, transacta nocte et mane facto gerendum sit, restabat praefigurandum. Continetur autem haec figura in piscatione miraculosa quae contigit post Christi resurrectionem. *Postea*, inquit, *manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Iesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei. Non. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quadraginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.* Quae omnia et temporum finem et beatam consummationem insinuant laborum Ecclesiae. « Ad hoc pertinet « quod *mane facto Iesus stetit in littore*, quia etiam littus « finis est maris, et ideo finem significat saeculi. Eumdem

« finem saeculi ostendit et quod Petrus rete extraxit in « terram, hoc est, in littus: quod ipse Dominus aperuit, « ubi alio loco de sagena in mare missa similitudinem « dedit, *et eam trahunt*, inquit, *ad littus*. Quod littus quid « esset exponens ait: *Sic erit in consummatione saeculi*. « Sed illa verbi est, non rei gesta parabola. Re autem « gesta, sicut hoc loco qualiter in saeculi fine futura sit, « ita Dominus alia priori piscatione significavit Ecclesiam « qualiter nunc sit. Quod autem illud fecit initio praedi- « cationis suae, hoc vero post resurrectionem suam, hinc « ostendit illam capturam piscium bonos et malos signifi- « care quos nunc habet Ecclesia, istam vero tantummodo « bonos quos habebit in aeternum, completa in fine huius « saeculi resurrectione mortuorum. Denique ibi (in prima « piscatione) Dominus non sicut hic in littore stabat quando « iussit pisces capi, sed ascendens in unam navem quae « erat Simonis, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate « retia vestra in capturam. Et illic quod captum est pi- « scium in naviculis fuit, non sicut hic, *rete traxerunt in* « *terram*. His signis, et si qua alia potuerint reperiri, ibi « Ecclesia in hoc saeculo, hic vero in fine saeculi figu- « rata est; ideo illud ante, hoc autem post resurrectio- « nem Domini factum est, quia ibi nos Christus signifi- « cavit vocatos, hic resuscitatos. Ibi retia non mittuntur « in dexteram, ne solos significent bonos, nec in sinistram, « ne solos malos, sed indifferenter: Laxate, inquit, retia « vestra in capturam, ut permixtos intelligamus bonos et « malos. Hic autem: *Mittite*, inquit, *in dexteram navigii* « *rete*, ut significaret eos qui stabunt ad dexteram solos « bonos. Ibi rete propter significanda schismata rumpe- « batur; hic vero, quoniam tunc iam in illa summa pace

« sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad evange-
« listam dicere: *Et cum tanti essent,* id est, tam magni,
« *non est scissum rete,* tanquam illud respiceret ubi scis-
« sum est, et in illius mali comparatione commendaret
« hoc bonum. Ibi capta est multitudo piscium tanta ut
« impleta duo navigia mergerentur, id est, in submersio-
« nem premerentur: non enim mersa sunt, sed tamen pe-
« riclitata. Unde enim exsistunt in Ecclesia tanta quae
« gemimus, nisi cum tantae multitudini obsisti non potest,
« quae ad submergendam propemodum disciplinam intrat
« cum moribus suis a sanctorum itinere penitus alienis?
« Hic autem miserunt rete in dexteram partem, *et iam*
« *non valebant illud trahere* prae multitudine piscium. Quid
« est, *et non valebant illud trahere*, nisi quia illi qui per-
« tinent ad resurrectionem vitae, id est ad dexteram, et
« intra christiani nominis retia moriuntur, nonnisi in lit-
« tore, id est, in fine saeculi cum resurrexerint, appare-
« bunt? Ideo non valuerunt sic trahere retia ut in navem
« refunderent quos ceperant pisces, sicut de illis factum
« est quibus rete diruptum et naviculae pressae sunt.
« Habet istos dextros Ecclesia post finem vitae huius in
« somno pacis velut in profundo latentes, donec ad littus
« rete perveniat, quod trahebatur quasi a cubitis ducen-
« tis. Postremo in illa piscatione numerus non exprimitur,
« tanquam illud ibi fiat quod praedictum est per Prophe-
« tam: Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super
« numerum. Hic vero non sunt super numerum, sed certus
« est numerus, centum quinquaginta tres » (1).

His igitur aliisque quam plurimis indiciis manifestum fit veram Christi Ecclesiam in humili illo apostolico na-

(1) Beda, in S. Ioannis Evangelium expositio, cap. 21.

vigio mirabiliter fuisse praefiguratam, et quidem quoad omnia et singula ad eam pertinentia. Praefigurata hierarchia, quae in nauclero Simone Petro recapitulatur; praefigurata membra, quae in piscibus bonis et malis agnoscuntur; praefigurata destinatio et perennis operatio, quatenus Ecclesia non sumptuosa triremis est ad commoditatem navigationis facta, non navis bellica tormentis lethiferis instructa, sed simplex piscatoris navicula, cuius instrumenta captos non perimunt, sed reservant, et praedas vivas de profundo ad lumen extrahunt, fluctuantes de infimis ad superna traducunt. Praefiguratus denique felix tantae operationis successus, quia undique ad retia huius naviculae in abyssum emissa concurrunt pisces, quia ipsa fluctuat sed non mergitur, quia sibi opitulantem eum habet cui et venti et mare obediunt, quia certus est appulsus ad littus beatae aeternitatis, iuxta magnum sacramentum quod in Ioannis evangelio, ut instantius commendaretur, loco ultimo est scriptum.

Nunc vero, si evangelica navicula imago Ecclesiae Dei est, ubinam haec Ecclesia? Estne extra Catholicam aliqua alia quae inde ab origine inter tempestates et procellas mare perambulet, quin indestructibilis vitae et insuperabilis vigoris quidquam deperierit? An forte in sua statione manens Orientis religio, quae a saeculis immersa limo aquae stagnantis, subsistit in medio profundae, sed lethalis tranquillitatis? Infelix navigium, solidius constructum quam ut in frusta redigatur, sed velis et antennis destitutum, solo fluxu et refluxu elementi in quo sepelitur, inertis massae instar, hinc et inde iactatum sine motu et sine vita, velut simulacrum in ficto Oceano! Hanc ecclesiam dedignatur persecutio, et ne odium quidem mundi

ei signaculo est. Conservat ergo exsistentiam sub dominatione et iugo civilis potestatis, cui est loco instrumenti, quin spes aspirationem ullam eliciat, aut charitas vitalem conatum. Nulli ibi missionarii, clerus sine activitate, praelati sine scientia, monachi sine studiorum amore, laici sine zelo. Nequaquam digna quae excitet procellae furorem ; non huic dictum est : *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam!* — Sed quid nunc sentiendum de navi splendidiori, et melioribus saltem scientiae armis instructa, communionem dico Anglicanam quae inter caeteras Protestantismi formas ad societatis sive ecclesiae christianae normam propius accedere videretur ? Hic saltem occurrit tumultus, si non activitas, et licet in Oceano non sit progressus, at certe interior motus non deest. Omnia ibi a modernis inventa ad defectus occultandos et imperfectiones attenuandas ; omnia extrinsecus nitida et in pulchro ordine posita, periti gubernatores, zelantes nautae, quorum sortes a navis conservatione dependent ; abundanter etiam provisum necessitatibus et temporalibus commodis eorumdem. Ast isti prudenter anchora teneri volunt, nec audent a terra elongari cum periculo securitatis amittendae ; vela enim et antennae et prora navigii non ad sustinendos furentis maris impetus facta, ut hic quoque locum habeat dictum poetae : « Nil pictis « timidus navita puppibus confidit ; tu, nisi ventis debes « ludibrium, cave ». Ideo non longe a ripa, elegantia interdum retia delicate emittunt quasi ad recreationem et oblectamentum ; interim vero clamores audiuntur, medios inter conflictus ac perpetuas dissensiones. Et quid mirum si navis nequaquam moveatur ? Dum unus iubet ut vela hac parte tendantur, alter tendit e parte contraria in

puppi altera, et si quis remigum conetur antrorsum ire, statim ab alio quopiam retrogradus motus imprimitur. Neque hi benedictionem acceperunt piscatoris, non hic est navicula Petri!

At catholicus divinissimam illam apostolicae naviculae allegoriam videbit mirandum in modum adimpleri ab initio usque ad finem. Cernit mysticam scapham littore solventem ipso die quo Petrus laxare incipiens retia in capturam, piscationis primitias consecravit in appositione animarum circiter trium millium; tum cogitatione eam prosequitur ductam in altum, id est in profunditate populorum, et gloriosas eius vicissitudines contemplatur per longam saeculorum viam. Vix dum e Ierosolymis versus caput mundi Romam ferebatur, cum ecce in audacem nauclerum portae inferi evomunt atrocissimam tempestatem: « Ponto nox incubat atra, intonuere poli et crebris « micat ignibus aether, praesentemque viris intentant « omnia mortem ». Nunc disparet navigium inter vehementiam persecutionis, nunc in summitate undae praeceps cernitur, usquedum pace cum Constantino reddita, in aquis tranquillioribus securius iter inveniat. Sed haec brevioris intervalli tranquillitas; nam statim infuriit ab Oriente ventus magnarum haeresum, et maius quam antea imminebat periculum. Tunc etiam deficiunt omnia humana consilia: quocumque se quisque convertit fluctus fremunt, tempestas saevit, brachia desunt: quo prora impingatur, cui fluctui latus nudetur, quo navis impulsa dimittatur, a quibus saxis ne pereat refrenetur, omnino a rectoribus non videtur. Verumtamen in coelo aderat qui imperaret procellae eamque verteret in auram, et ideo ab inceptae piscationis opere non desistebat nauclerus

intrepidus. Dixerat Petrus post resurrectionem: *Vado piscari.* Hae sunt deliciae eius usque in temporum consummationem, quidquid minetur coeli facies aut terribilis mugitus Oceani. Undique ergo retia laxari iubebat, et si olim gavisus fuerat videns copiosam multitudinem piscium qua pene mergebatur navicula lacus Genesareth, quanto magis cum Patritius populos Hiberniae, Augustinus Angliae, Bonifacius Germaniae, Cyrillus et Methodius Slavoniae gentes ex aquarum profundo in ipsum Ecclesiae gremium educebant! At iterum dolor iterumque formido, siquidem omni adversitatum genere rursus pulsabatur navicula; primum quidem in schismate Orientalium quo rete rumpebatur, tum in imperatorum tyrannide ad opprimendam libertatem ecclesiasticam omnes conatus adhibente, deinde (quod malorum culmen fuit) in gravissimis dissidiis plurium inter se de ipso summo pontificatu contendentium. Quid, quaeso, quod spem ullam humanam adhuc relinqueret? Quid quod certum naufragium inevitabilemque submersionem non inferret? praesertim quando in Luthero puteus abyssi sic apertus est ut exinde non unius specialis haeresis furor, sed omnium simul colluvies errorum inceperit navigium concutere, quando Petrus in Pio VI et Pio VII e navicula ereptus supra tumores maris solus debuit ambulare, quando iam incipiebat mergi, et e praeparato gurgite vox audiebatur dicens: *Devorabimus, en ista est dies quam expectabamus* (1). Sed frustra. Cursum prosequebatur scapha benedicta. Mittebat apostolica retia in Indias, in Americam, in Oceaniam, et per omnes mundi partes incumbens operi suo implebat vasa praedis vivis Christo et coelo reservatis.

(1) Thren. II-16.

Inter haec videbat persequentes inimicos unum post alium in voragine demersos. Videbat et videt eos omnes qui separatam navigationem tentarunt, inter se divisos, hac illac errantes in vasto mari, sine duce et sine gubernaculo incassum quaerentes viam, quibus iam, neque sole neque sideribus apparentibus, ablata est spes omnis incolumitatis suae. Idcirco paucis abhinc diebus, qui semper sedet ad clavum Petrus, *sub annulo piscatoris* litteras dabat, obsecrans si quo modo redeant ad unitatem extra quam (de iis loquor qui scienter et voluntarie ab ea separantur), nulla est salus, nullusque appulsus ad illud littus terrae viventium ubi expectat suos Iesus redivivus (1).

§ 2.

Haec igitur gloriosa Ecclesia Dei est, de qua nunc nobis erit sermo, quaeque in Scriptura sub aliis etiam figurarum similitudinibus passim proponitur. Celebratur enim ut domus quam sibi aedificavit Sapientia architecta incomparabilis (2), ut arx quam non vincunt superbae inferorum portae (3), ut civitas cui nomen *Dominus ibidem* (4), ut mons praeparatus in vertice montium (5), ut ovile cui unus pastor praeest (6), ut veritatis columna necnon et firmamentum (7). Rursus dicitur Christi sponsa, Christi corpus, et Christi plenitudo (8). Sed, quocumque

(1) Ita fere CARD. WISEMAN, ubi de parabolis et miraculis N. T.
(2) Prov. IX-1
(3) Matth. XVI-18.
(4) Ezech. XLVIII-35.
(5) Isai. II-2.
(6) Ioan. X-16.
(7) 1 Tim. III-15.
(8) Eph. I-23.

modo appelletur, statim apparebit hunc tractatum ad illum alium de Verbo incarnato sic referri, ut non tam dicendus sit nova disputatio, quam illius prioris continuatio et necessarium complementum. Quid enim aliud mystica navicula, seu domus. seu civitas, seu arx sub variis respectibus nobis insinuat, nisi ipsam oeconomiam per quam universa incarnationis et redemptionis beneficia ad nos usque dimanant? In qua et retractis ex abysso perveniendi ad solidam terram facultas datur, et lassis atque sauciis alimenta reservantur ac remedia, et iis qui erant dispersi communio sanctorum offertur initiata in sanguine crucis, et timentibus a facie inferi contra conatus inimici confertur securitas. Extra quam (de iis iterum loquor qui bonae fidei excusationem non habent), minime prosunt sacramenta, non ianuam coeli Baptismus aperit, non mundat Poenitentia, non incorporat Christo Eucharistia. Si ergo in synthesi totius theologiae, doctrina de sacramentis iure meritoque ponitur ut logice consequens incarnationis veritatem (eo quod, ut in proemio Tertiae Partis dicitur, sacramenta sunt remedia quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent), quanto magis et per prius, propter rationem mox declaratam, locum hunc obtinebit Ecclesiae consideratio.

Porro, adhuc crescit argumentum, si Ecclesiam consideres ut incarnati Verbi sponsam, iuxta similitudinem celebratissimam tam in Veteri quam in Novo Testamento. Et in superiori quidem tomo ipse se sistebat Christus oculis fidei nostrae qualis in propria persona cernitur: *candidus* propter divinitatem in qua est candor lucis aeternae, *et rubicundus* propter passionem quam in carne assumpta perpessus est; cuius *caput aurum optimum*, pro-

pter omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos, et *manus tornatiles*, propter opera omnia apte concinneque facta; cui denique prae filiis hominum ineffabilis competit speciositas, in qua intendit et prospere procedit et regnat. Sed a sponso separare sponsam nefas, quippe quibus omnia communia sunt, nihil proprium, nihil a se divisum habentibus; una utriusque haereditas, una domus, una mensa, unus torus, una etiam caro. Denique, propter hanc ille relinquet patrem et matrem et adhaerebit uxori suae; haec quoque iubetur nihilominus oblivisci populum suum et domum patris sui, ut concupiscat ille decorem eius (1).

Quod si nunc requirat quispiam, qua de causa factum sit ut apud veteres scholasticos eiusmodi disputationis ordo non servetur, imo de Christi Ecclesia specialis tractatio non occurrat, respondeo causam partim ex natura rei, et partim ex peculiaribus temporum circumstantiis esse desumendam. De Ecclesia enim duplex potissimum quaestio institui potest: primo, ubinam sit vera et legitima Ecclesia Christi: secundo, cuiusmodi sit eius constitutio, hierarchia, potestas, officium, etc. Porro posteriorem hanc quaestionem reducebant veteres ad alias theologiae partes, puta de virtute fidei (2), de potestate clavium (3), de Ordinis sacramento (4). Priorem vero, utpote quae magis praesupponatur ad theologiam quam in ea includatur (nam verae Ecclesiae magisterium una e regulis est theologicam disciplinam dirigentibus), in ipsis

(1) Bernard., Serm. 7, in Cantic. n. 2.
(2) S. Thom. 2-2, Q. 1, a. 10.
(3) Id., Suppl. Quaest. 16 et seq.
(4) Id., Suppl. Quaest. 34 et seq.

sacrae doctrinae penetralibus non ponebant, imo vix in modum praeambuli obiter et perpaucis attingebant. Quippe existimabant credibilitatem Ecclesiae catholicae per se satis constare, et non frustra dixisse Christum Dominum : *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Quae enim necessitas demonstrandi montem in summis montium verticibus radicatum et super omnes colles eminentem, civitatem non solum in alto positam, sed etiam ex fulgentissimis lapidibus constructam, sicut scriptum est : *Fundabo te in sapphiris, ponam iaspidem propugnacula tua?* Quia ergo divina ecclesiasticae cathedrae institutio maxima facilitate nata erat apparere ; quia insuper, omnia quaecumque de origine et fontibus christianae revelationis tenenda sunt, per ipsam Ecclesiam certificantur, non mirum si abstinuerint veteres illi a demonstrandis ex professo fidei praeambulis, praesertim cum temporibus eorum concors circa ipsa principia esset omnium sententia, et plenissime verificaretur illud propheticum : *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum... et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Certe, ut tritam comparationem adhibeam, qui pacifice fundum possidet agricola, de exhibendis aut probandis titulis legitimae possessionis nihil admodum curat ; quin potius, ad utiliora properans agrum diligenter excolit ut fructus ex eo percipiat quam fieri potest uberrimos. Sic ergo principes Scholae fundum revelationis pacifice possidentes, ei excolendo et fecundando pro virili toti incumbebant, et cum in thesauris suis invenissent gemmas divini dogmatis nemine contradicente

reconditas, eas sicut veri Beseleel spiritualis tabernaculi, diligenter exsculpebant, fideliter coaptabant, adornabant sapienter, adiiciebant splendorem, gratiam, venustatem, sed in confirmandis operoso labore ipsius possessionis titulis inutiliter plane pro suorum temporum conditione desudassent.

At vero, quantum nunc mutata tempora ab illis! Ecce iam a tribus saeculis Protestantismus, cuius est instituti christiani normam radicitus impetere, necessariam fecit accuratissimam de vera Ecclesia et notis quibus a sectis discernitur expositionem. Neque vero, ut quisque facile videt, in praesentibus rerum circumstantiis immutata haec necessitas, sed aucta etiam magis. Nam, praeterquam quod Protestantismus adhuc perdurat, in sectas licet innumeras divisus, Orientale schisma e Moscoviae praesertim partibus rursus congreditur, et quamvis a Reformatoribus saeculi XVI quoad scriptas saltem confessiones plurimum dissideat, ab eis nihilominus accepit unde novis rationibus se muniret, Catholicam impugnando. Insuper, e Protestantismo nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina quae summo studio molitur ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Cui errori, vel potius omnium errorum cumulo nihil aptius opponi potest quam synthesis de Ecclesiae oeconomia. In ea enim superni consilii supernaeque providentiae altissima elucet simplicitas; ad eam collineant omnia quaecumque pro evidenti fidei christianae credibilitate tam multa et tam mira sunt divinitus disposita; quin imo, ipsa per se Ecclesia divinum quoddam prodigium est et factum supernaturale omnium

oculis expositum, ita ut iure meritoque a Vaticano Concilio dicta sit signum levatum in nationes, ad se invitans qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciens firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur. Accedit demum quod ab aetate antiquiorum scholasticorum plurimae quaestiones exortae sunt ad Ecclesiae potestatem vel iura vel primatum pertinentes, quas adversarum partium studium arduas fecit et difficiles. Evolutus etiam, salva interim immobilitate eorum quae essentialia sunt, ecclesiastici regiminis organismus, iuxta legem quae cunctis rebus viventibus dominatur. Atque his tandem aliisque similibus causis quas minutatim commemorare non vacat, effectum est ut in unum distinctum doctrinae corpus coalescere debuerit id quod veteres vel praesupponebant de integro, vel ad alias passim theologiae partes referebant.

Caeterum, propositum nostrae intentionis est ibi resumere quaestionem, ubi in ultima parte tractatus de Verbo Incarnato (de evidenti credibilitate missionis et divinitatis Iesu Christi), relicta fuit: ut non iam de ipsa Iesu Christi persona inquiratur, sed de opere quod in mundo operatus est, de societate in quam contulit divitias suae redemptionis, de magistra quam instituit ad aeternam salutem ultimumque beatitudinis finem, denique de sponsa quam dilexit, pro qua se tradidit, quam aeterno sibi amore copulavit. Integra autem disputatio in tres partes dividetur: **Primo**, de veritate catholicae Ecclesiae, cui Romanus praeest episcopus, tum absolute tum comparative ad sectas quae christiano nomine utcumque gloriantur. **Secundo,** de intima eius constitutione quoad membra, potestatem, hierarchiam: **Tertio,** de eius habitudine ad civilem societatem, saecularemque potestatem.

PARS PRIOR

DEMONSTRATIO VERITATIS ECCLESIAE CATHOLICAE ROMANAE

NECNON

ET FALSITATIS OMNIUM SECTARUM QUAE AB EA SEPARANTUR

INTRODUCTIO

DE OBIECTO, RATIONE, ET MEDIIS HUIUS DEMONSTRATIONIS

Praesens demonstratio pars est praecipua fundamentalis quam vocant theologiae. Fundamentalem enim theologiam nunc appellant eam quae versatur circa revelationis fontes et quascumque fidei regulas, tanquam circa principia ex quibus sacra doctrina procedit, et in quorum dictamine norma sincera religionis reponitur. Porro demonstratio verae Ecclesiae per se sola infert, sin minus adaequatam, at certe sufficientem ostensionem eorum omnium quae vel ad aedificationem scientiae dogmatum quovis modo inservire possunt, vel ad placendum Deo salutemque consequendam sunt cognitu necessaria. Et non est simile de alio quopiam obiecto. Fac enim te demonstrasse veritatem missionis, imo etiam divinitatis Iesu Christi: iam equidem consequitur credenda esse quaecumque Christus tradidit et docuit, sed quaenam illa sint nondum innotuit, maxime cum plures inveniantur in mundo religiones quae omnes vel iure vel iniuria a Christo ortas se dicunt, doctrinamque eius diversis ac plane contrariis modis interpretantur. Idem etiam notaretur defectus, dato quod demonstraveris Scripturas ut libros divinae auctoritatis, siquidem Scripturarum sensum in varias et oppositas partes abduci contingit. Sola Ecclesia est, quam si semel credibilem esse ostenderis qualem se hominibus exhibet, ipso facto tenes totam de integro revelationem absque ulla possibili ambiguitate, quia tenes regulam semper vivam quam nemo potest in arbitrarios sensus pertrahere; statim tibi constat, rationabili imo obli-

gatoria fide credendum quidquid illa docuerit ad fidem et mores pertinentia; constat recipiendas esse ut sacras tum scripturas tum traditiones quas ut tales proponit; constat denique tandem, quae sit in individuo servanda religio, religionem nunc dico obiective acceptam pro summa omnium officiorum quibus homo religatur ad Deum, sive haec in credendo consistant, sive in agendo. Vere ergo fundamentalis demonstratio ea dicenda est, quae obiectum habet sequentem symboli articulum: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.*

Sed ecce, cum de demonstratione agitur, in ipso praeliminio gravis se offert quaestio circa legitimitatem et normam et principia huius demonstrationis. Nec opus est ut ad difficultatem urgendam occurrat Protestans, cui ratum definitumque est Ecclesiam esse penitus invisibilem adeoque indemonstrabilem, sed sufficit vel sola confessio qua nosmetipsi ultro Ecclesiam obiectum fidei fatemur. Quippe fides est de non apparentibus, iuxta illud Apostoli: *argumentum non apparentium,* et quidquid apparere non potest, demonstrari etiam non potest. Ergo, si demonstratur Ecclesia, quomodo creditur? si creditur, quomodo demonstratur? — Insuper, si qua esse posset demonstratio, ubinam eius elementa? Nonne in Scripturis sive veteris sive novi Testamenti? Atqui dictitant passim catholici, Scripturarum auctoritatem ex Ecclesiae suae magisterio potissimum constare. Relinqueretur ergo demonstranda Ecclesia per Scripturam, et vicissim Scriptura per Ecclesiam, quod apertissime est peccare peccatum ineptae vitiosaeque ratiocinationis. — Denique, dato etiam quod nullus ibi circulus incurratur, quid saltem hominem non credentem movere poterit demonstratio fundata in fide Evangelii? Nihil, inquiet rationalista quispiam, opus est disputare, quandoquidem circa ipsa principia inter vos et nos chaos magnum et impertransibilis distantia est. Vos catholici pro fundamento habetis revelationem et dogma, nos vero scientiam; demonstrationes vestrae theologicae sunt, nostrae autem rationales; philosophus magistram rationem sequitur, credens vero orditur a fide quae nullo indiget titulo ad hoc ut recipiatur, sed loco rationum non exigit nisi voluntatem et affectum credulitatis.

Haec sunt quae ante omnem discussionem, contra valorem instituendae demonstrationis opponi possunt et opponuntur. Quae etiam magnam confusionem crearent, et nihil claritatis perspi-

cuitatisve in evolvendis argumentis esse sinerent, nisi via prius explanaretur per remotionem omnium aequivocationum vel falsorum suppositorum quibus praedictae adversariorum rationes abundant. Porro totius confusionis origo in eo est quod de scientia et fide et habitudine unius ad aliam clarus et genuinus conceptus non habetur. Item in eo quod non attendunt quid sit illud quod circa Ecclesiam demonstrari potest et debet, et quomodo distinguatur ab eo quod fide est tenendum. Denique in eo quod media demonstrationis nec adaequate computant, nec praesertim in suis rationibus formalibus considerant. Igitur operae pretium erit paucis exponere per modum introductionis quasdam notiones praevias circa scientiam et fidem, ut demum appareat qualiter in obiecto nobis proposito non modo inter se minime dissident, sed imo opem sibi mutuam ferunt.

Haec porro expositio ad sequentia quinque capita revocabitur. **Primo**, de assensu evidenti. **Secundo**, De assensu fidei. **Tertio**, de evidentia illa quam fides, nedum respuat, appellat potius et exigit, quamque credibilitatis vocant. **Quarto**, de eo quod circa Ecclesiam demonstratur et videtur, salvo eo quod in eadem creditur. **Quinto** demum de instrumentis seu mediis demonstrationis, a qua omnis species circuli vitiosi absit necesse est.

§ 1.

De assensu evidenti.

Evidentia, ut omnes norunt, quamdam importat perspicuitatem qua obiectum praesto est menti et se ei intuendum porrigit. Ad rem Augustinus, epist. 147, n. 7: « Creduntur illa quae « absunt a sensibus nostris, si videtur idoneum quod eis testi« monium perhibetur. Videntur autem quae praesto sunt, unde « et praesentia nominantur vel animi vel corporis sensibus ». Quae Augustini verba exponens S. Thomas, de Verit. Quaest. 14, a. 9, observat rem non indigere declaratione quantum ad ea quae praesto sunt corporis sensibus, quia ibi manifestum est quid praesto sit sensibus, et quid non. « Sed in sensibus animi, in« quit, quid praesto esse dicatur magis latet. Illa tamen praesto « esse dicuntur intellectui, quae capacitatem eius non excedunt,

« *ut intuitus intellectus in eis figatur*. Talibus enim aliquis assen-« titur, non propter testimonium alienum, sed propter testimo-« nium proprii intellectus ». Evidentia igitur nihil aliud est quam obiectiva enuntiati veritas, sive connexio praedicati cum subiecto, prout menti affulgens et in eius conceptu elucens, ita ut homo iudicet aliquid convenire rei vel non convenire, innixus sui proprii intellectus testimonio.

Porro evidentia multifariam distingui potest. Potissimum autem attendenda eius divisio, tum quoad modum quo est in intellectu, tum quoad esse quod reddit praesens intellectui.

Divisio evidentiae quoad modum quo est in intellectu. — Non a longe quaerenda distinctio est, quandoquidem continuo experimur evidentiam esse in nobis vel perfectam vel adhuc imperfectam. Est in statu perfecto quando veritas plene intellectui applicatur, ita ut intellectus sponte et necessario rapiatur in assensum, omni possibilitate quomodolibet dubitandi prorsus ablata. Est autem in statu adhuc imperfecto, quando videntur quidem firma admittendae veritatis motiva, eaque certo assensu digna, sed simul concurrunt difficultates in oppositum, quae vel nullo modo vel non satis a nobis dilui possunt: quatenus scilicet, etsi appareat difficultates eiusmodi (si recte perpendantur) non elidere rationum firmitatem, et non posse generare nisi imprudentem et irrationabilem formidinem, adhuc tamen aliquid obstat quominus sua perspicuitate veritas mentem omnino constringat ac necessitet. Tunc ergo non excluditur omnis dubitandi possibilitas, sed solum dubitandi prudenter, et ideo mens sub voluntatis motione relinquitur, ut deliberata formidine deposita, firmiter adhaereat ei quod videt non posse nisi irrationabiliter in dubium revocari.

Haec ultima assertio est contra Cartesium, qui reponendo universale criterium rationalis certitudinis in ea sola evidentia quae nec possibilem, quantumvis imprudentem, formidinem compatitur, totius vitae moralis convelluit fundamenta, et latissimam scepticismo aperuit viam. Caeterum, cartesianum principium est tum contra rectae rationis dictamen, tum contra communem sapientum persuasionem. — Est, inquam, contra communem sapientum persuasionem, nam certe multa sunt in naturali philosophia quae communiter ut demonstrata habentur, tametsi non communiter excludatur, in iis etiam qui demonstrationem capiunt, omnis

possibilitas dubii imprudentis. Unde Aristoteles dixit, imbecillis ingenii esse, veritatem certam propter difficultates relinquere. Ubi aperte supponit esse veritates certo demonstratas quibus refragari adhuc est possibile, quatenus circa eas intellectus non immobiliter determinatur independenter ab omni applicatione voluntatis, ut supra. — Est etiam contra rectum rationis dictamen, nam recta ratio dictat quod ubi habetur evidentia dignitatis motivorum ad assensum firmum, firmiter veritati adhaerendum est, quamvis veritas ipsa in quadam adhuc penumbra versetur, ratione debilitatis intellectus non valentis omnes rationes omniaque sophismata in contrarium occurrentia dissolvere. — Tenendum itaque est, quamdam esse veritatis evidentiam quae omnem etiam possibilem formidinem excludit, et aliquam aliam quae prudentem solum et rationabilem haesitationem nata est removere.

Hinc duplex datur in ordine scientiae assensus. Unus qui adaequat perfectionem scientiae, quia omnino quietatur intellectus cui nec ipsa dubitandi possibilitas adest. Alter vero, qui a perfectione scientiae aliqualiter deficit, quia intellectus undequaque quietatus non est, sed indiget imperio voluntatis ad hoc ut imprudens haesitatio comprimatur. Quare assensus iste, etsi simpliciter ad scientiae ordinem pertineat, aliquid tamen de imperfectione fidei participat, pro quanto nonnullus est ibi voluntatis interventus, quamvis longe aliter ac in fide ipsa. Nunc enim intervenit voluntas solummodo ad removendum prohibens, id est, impedimentum irrationabilis dubitationis, adeoque per accidens; causa autem per se firmitatis assensus non sunt nisi rationes perspectae ab intellectu, seu veritas intus menti apparens. Et propter hoc dixi actum hunc esse actum scientiae, simpliciter loquendo; nam in fide intervenit voluntas, non ut mera causa per accidens firmae adhaesionis, sed ut causa directa, ex propria ratione et natura motivi requisita, prout ex dicendis infra satis apparebit.

Et de duplici quidem statu quem habet vel habere potest evidentia in intellectu nostro, hactenus. Sequitur nunc altera divisio quae in praesenti materia potioris etiam momenti est.

Divisio evidentiae quoad esse quod reddit praesens intellectui. — Sic dividitur evidentia in intrinsecam et ex-

trinsecam, et rursus evidentia extrinseca pluribus modis dici potest.

Evidentia intrinseca est de esse rei secundum se, in quantum scilicet, proposito intellectui aliquo enuntiato circa rei existentiam vel naturam vel proprietates, facit apparere in ipsomet convenientiam et connexionem praedicati cum subiecto. Facit, inquam, apparere quacumque tandem ratione et modo: sive absque ullo medio interposito, ut in primis principiis quae dicuntur evidentiae immediatae; sive per aliquod medium indistinctum a re, sicut cum ex summa Dei simplicitate innotescit eius infinitas; sive demum per medium distinctum quidem, sed virtualiter continens aut virtualiter contentum, sicut cum ex causa innotescit exsistentia et quidditas effectus, aut vice versa, ex effectu exsistentia et quidditas causae.

Evidentia autem extrinseca dicitur illa quae tota versatur circa quoddam esse extrinsecum rei, puta esse attestatum, esse credibile. Tunc enim nequaquam apparet connexio subiecti et praedicati in enuntiato attestato, sed solum perspicuum est connexionem hanc fuisse affirmatam in aliquo veraci testimonio, vel esse affirmabilem ob alterius auctoritatem. Porro evidentia de re praecise ut attestata per verax testimonium, nomen habet *evidentiae in attestante,* quae etiam potest esse vel perfecta vel imperfecta, ut supra. Evidentia vero de re prout prudenter affirmabili propter alicuius testificantis auctoritatem, appellari solet *evidentia credibilitatis.* Huius natura et discrimen ab evidentia in attestante apparebit in sequentibus, nec oportet nunc de ea uberius disserere, cum eius notio accurate enucleanda sit in § 3. Interim vero duo in praesenti observata velim, quae ad doctrinae connexionem sunt necessaria.

Primum est, quod non tantum evidentia credibilitatis, verum etiam evidentia in attestante iure meritoque computatur ut extrinseca, minime vero evidentia quae est ex effectibus. In quo quidem una tantum difficultas occurrit, quia quibusdam videri posset attestationem non esse magis extrinsecam rei attestatae quam causam effectui; unde sequeretur utramque evidentiam in eadem categoria esse reponendam. Sed facile negatur assumptum, propter rationem quam bene assignat Gonet in Manuali, de virt. theol. c. 2 § 6, omnia exemplificando in effectibus et attestatione Dei: « Ratio disparitatis est, inquit, quia

« cum omnis effectus sit, non quidem formaliter, sed virtualiter in « sua causa, quaelibet creatura potest dici quoad omnia quae « habet, virtualiter Deo intrinseca. At vero divina revelatio, « quamvis sit causa efficiens esse extrinseci veritatum nostrae « fidei, nempe esse revelati et esse testificati, non tamen esse « intrinseci illarum, subindeque nullo modo, etiam virtualiter, « saltem quoad esse proprium et intrinsecum quod habent, dici « possunt ei intrinsecae ». Atque hinc tandem fit ut effectus vere ducat ad demonstrationem causae secundum se, non autem attestatio ad evidentiam rei attestatae in seipsa. — Aliud quoque animadvertere iuvabit quoad celebrem quaestionem de incompossibilitate fidei cum scientia circa idem obiectum, ne forte suboriatur confusio. Notandum scilicet quod non omnis evidentia excludit fidem, etiam in S. Thomae doctrina, sed illa sola quam diximus intrinsecam; illa nimirum evidentia quae facit apparere veritatem rei secundum proprias rationes, et quidem ita perfecte ut omnis possibilitas quocumque modo dubitandi absolute removeatur. In tantum enim evidentia fidem destruit vel repellit, in quantum fides est de non visis; porro sola evidentia intrinseca facit ut res sit visa (1). Imo vero, nisi haec ipsa intrinseca evidentia adeo plena sit et perfecta ut intellectus sponte sua in assensum rapiatur, adhuc poterit remanere fidei locus, quia adhuc res est quadantenus non visa, adhuc stat intellectus sub dominio voluntatis cui integrum est movere mentem ad assentiendum propter unum vel alterum motivum, adeoque etiam propter motivum fidei de qua iam sermo habendus est.

(1) « In hoc falluntur minus perspicaces, quod non discernunt quid « intersit inter videre proposita in fide esse vera, et videre proposita « in fide ut attestata esse vera. Multum enim refert, referendo ad evi- « dentiam. Nec discernunt inter cognitionem certam ex evidentia rei « cognitae, et certam ex evidentia testimoniorum eius. Haec enim in « tantum distant, ut prima repugnet fidei, secunda autem repugnet fi- « dei testimonii, sed non fidei rerum quae sunt attestatae ». Caietanus, in 2-2, Quaest. 1, a. 4.

§ 2.

De assensu fidei.

Assensus fidei nihil aliud est quam actus credendi. Igitur, in quo sita sit credendi ratio, primo occurrit determinandum.

1. **Quid sit credere, et quot modis dicatur.** — Si rationem credendi in sua generalissima acceptione investigemus, facile perspiciemus quod credere importat assensum intellectus non quietati per apparitionem veritatis. Unde Augustinus, de praedest. SS. c. 2, dixit quod credere est *cum assensu cogitare,* vel, quod idem est, *cum cogitatione assentiri.* Cogitationem autem nunc intellige inquisitionem intellectus cui pro sua parte satisfactum non est, seu motum illum in mente naturaliter insurgentem, quamdiu mens non pervenit ad perfectionem sui actus in intuitione evidenti. Itaque id sibi vult Augustinus, quod credens assentitur non habendo evidentiam rei de qua est assensus; hinc enim sequitur non auferri cogitationem, aut certe causam et radicem cogitationis. Id porro contingit, quando non ex intrinsecis rationibus, sed ex alterius testimonio intellectus adhaeret alicui propositioni. Et quia dupliciter fit, ideo duplex credendi modus est distinguendus.

Et primo quidem potest esse assensus *propter evidentiam in attestante,* seu pure et simpliciter quia evidens intellectui est quod in testificando testificans nec falli potuit nec fallere: puta, quia evidens mihi est aliquid fuisse attestatum ab eo qui est prima Veritas, vel quia evidens mihi est post considerationem omnium circumstantiarum alicuius testimonii humani, quod in eo nec error obrepsit nec fallacia. Tunc evidentia illa non est tantum de praerequisitis ad assensum, sed est ipsum motivum super quo fundatur assensus, propriaque ratio mensurans eius firmitatem ac certitudinem.

Nunc autem, aliter omnino contingit dari assensum ex alterius testimonio, scilicet non praecise et formaliter propter affulgentem evidentiam veri testimonii, *sed propter dignitatem quam habet testificans ad hoc ut fidatur sibi, et sibi in tenendo id quod asserit, praecise quia asserit, mens audientis acquiescat.* Et hic modus multum differt a praecedenti. — Primo differt, quia etsi evidentia etiam perfecta in attestante possit ibi concomitanter

haberi, non tamen est ipsa assensus ratio formalis. Non enim nunc assentior praecise quia mihi evidens est rem fuisse attestatam haud fallaci testimonio, ita scilicet ut gradus firmitatis seu certitudinis debeat commensurari gradui evidentiae de testimonii veritate. — Secundo differt, quia scientia et veracitas testis quae sufficere potest ad fidem priori modo dictam, non sufficit ad fidem de qua in praesenti. Etenim, ad hoc ut habeatur evidentia in attestante, satis est ut appareat testem in casu determinato non fuisse de facto in errore et de facto non esse mentitum, quod quidem contingere potuit etiam per accidens, seu praeter morem et consuetudinem attestantis. At vero in praesenti, motivum assensus est dignitas vel ius loquentis ad docilem mentis acquiescentiam seu etiam submissionem, quae quidem dignitas non est in eo qui per accidens non errat, et per accidens dicit veritatem, sed in eo solo qui in certo saltem ordine instruitur habitu scientiae et veracitatis. — Tertio differt, quia in fide cuius motivum est evidentia in attestante, si dicta evidentia sit perfecta, non relinquitur libertas dissentiendi. At vero in fide cuius motivum est loquentis auctoritas sub formali ratione auctoritatis cui dignum est acquiescere, voluntas est semper libera applicandi vel non applicandi intellectum ad huiusmodi obsequium. Unde etiam efficitur, hanc solam fidem, et non aliam, meritoriam esse posse, atque ex parte credentis honorificam attestanti. — Quarto differt, quia in hac fide gradus firmitatis est semper secundum mensuram auctoritatis quae in loquente noscitur existere, quidquid sit de perfectione evidentiae sub qua haec ipsa auctoritas mihi innotescit. Adeoque, etsi evidentia quam habeo de divina infallibilitate et veracitate non sit super omnia, attamen quia semper scio auctoritatem Dei (si est) omnibus praevalere, semper credens propter auctoritatem Dei, credere debeo assensu super omnia firmo. — Quinto demum differt, quia qui credit propter evidentiam in attestante, etiam quando attestans est Deus, nunquam credit propter motivum increatum; evidentia enim cuiuscumque enuntiabilis nobis propositi semper aliquid creatum est. Nunc autem qui credit propter auctoritatem Dei reduplicative in quantum huiusmodi, vere ponit actum theologicum, quia in assensu suo nititur alicui quod est a Deo indistinctum. Unde tandem apparet quam vere dicat S. Thomas, obiectum fidei christianae esse ipsam primam Veritatem.

Aliae adhuc differentiae notari possent, quae in decursu huius disputationis satis declarabuntur. Interim vero, id certissime ex praemissis constat: videlicet, fidem proprio etiam sensu acceptam dici analogice analogia proportionalitatis, *tum de assensu qui nititur evidentiae veri testimonii,* sicut cum historicus credit ea quae in consentientibus testimoniis coaevis narrata reperit, *tum de assensu qui nititur attestantis auctoritati formaliter sub ratione auctoritatis,* sicut cum puer credit matri, et indoctus docto, vel cum in iis quae ad ordinarium vitae commercium pertinent, unusquisque credit audita a viro honesto, unice quia, ut praesumere licet, dignus est ille cui fidatur. Insuper constat quod in hoc ultimo assentiendi modo tanquam in principe analogo, per prius verificatur fidei ratio; ibi enim vel maxime aliquis assentitur fidendo. Ergo haec est fides principalius dicta, quam debemus Deo, de qua praesens indago procedit, quaeque dividitur in humanam et divinam, secundum quod creditur propter humanam vel divinam auctoritatem (1). Porro, cum fides humana notior sit quoad nos, de fide Deo debita inquirendum est per comparationem ad eam, et ad hoc ponitur sequens assertio.

2. **Quod eadem est resolutio fidei divinae et fidei humanae in auctoritatem loquentis, et quod fides supernaturalis formali obiecto non differt a fide quae naturae viribus eliceretur.**

Hoc est fundamentale principium, quod etsi a quibusdam theologis reiectum, apparet tamen solidissimis rationibus fundatum, et sensui communi necnon et antiquae traditioni apprime conforme. Rem solide et sapienter declarat Cardinalis de Lugo, de Fide, Disp. 1, Sect. 7, n. 117: « Quando, inquit, fide humana « aliquid credimus propter auctoritatem Petri qui id affirmat et « testatur, non minus dicimur niti auctoritate et testimonio Petri, « fidemque nostram resolvere in Petri testimonium, quam in te« stimonium Dei quando credimus fide divina. Quamvis enim « firmior sit assensus fidei divinae quam humanae, hoc tamen « provenit ex maiori auctoritate Dei cui nitimur, quam hominis.

(1) Nota quod haec divisio propria est fidei quae innititur auctoritati, non autem fidei quae habet pro obiecto formali evidentiam in attestante. Non enim diversificatur evidentiae ratio, ex hoc quod est de attestatis a Deo vel homine. Diversificatur autem auctoritas.

« Caeterum, quoad modum sistendi in auctoritate dicentis, eodem « modo se habet intellectus in utraque fide, ut constat experientia, « nec aliud a nobis exigunt Scripturae et Patres, nisi ut creda- « mus propter testimonium Dei, sicut solemus credere propter « hominis testimonium, addita solum maiori firmitate assensus, « prout exigit maior auctoritas loquentis. Sic enim arguit Apo- « stolus Ioannes ad exigendam fidem nostram, epist. 1, cap, 5: « *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* « Et ipse Christus, Ioan. VIII, arguit similiter ex fide quae ad- « hibetur duobus testibus, ut adhiberetur etiam fides sibi et Patri « testificantibus: *Et in lege vestra,* inquit, *scriptum est quia duo- « rum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium « perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me « Pater.* Unde si res fidei nostrae credamus propter testimonium « Dei firmissime, eodem modo quo credimus fide humana pro- « pter testimonium Petri, addita maiori illa firmitate, nemo po- « test negare quod fides nostra resolvatur sufficienter in aucto- « ritatem et testimonium Dei. Nec enim unquam a nobis exigitur « quod magis resolvatur fides nostra in testimonium Dei, quam « fides humana in testimonium hominis cui credimus, neque ad « id asserendum est ullum probabilitatis vestigium, cum verum « sit in toto rigore et proprietate quod per fidem humanam cre- « dimus Petro, et ducimur eius auctoritate et testimonio, sicut « verum est dicere hoc ipsum de fide divina respectu testimonii « divini » ([1]).

Et re quidem vera, multiplex assignari potest diversitas in genere credendi, *secundum quod nunc de fide loquimur.* — Diversitas ex parte eius quod creditur, quia vel est factum humanum, vel mysterium quod multas continet apparentes repugnantias. — Diversitas ex parte illius cui creditur, quia vel est homo qui videtur, vel Deus qui non videtur. — Diversitas ex parte firmitatis assensus quo creditur, quia auctoritas quae est motivum fidei, digna est vel non, assensu super omnia. — Diversitas ex

([1]) Haec Cardinalis de Lugo. Adverte tamen multum differre doctrinam quam propugnamus, ab opinione ipsius, tametsi in hoc puncto omnino cum ea coincidat. Ratio est quia Lugo non distinguit duplicem modum fidei, ut supra, et non agnoscit nisi fidem quae pro motivo habet evidentiam in attestante, vel perfectam ut in daemonibus, vel imperfectam ut apud nos.

parte principii a quo fidei actus elicitur, quia principium elicitivum vel est facultas elevata per gratiam, vel facultas suis naturalibus relicta. — Diversitas etiam ex parte obligationis ad credendum, quia vel lege morali tenetur homo ad interius adhaerendum dicto loquentis, vel secus, etc. — At vero ex parte modi tendendi in obiectum sistendo in auctoritate dicentis, nulla diversitas esse potest, quia non potest esse multiplex modus assentiendi fidendo, hoc est, innitendo auctoritati et verbo alterius. Et confirmatur, quia alias, id quod primo deberet revelari christianis, foret ille specialis modus credendi Deo, quem fingunt adversarii. Credere enim est actus humanus qui ratione regulatur, et sub conscientia cadit quoad apprehensionem vel prosecutionem obiecti. Atqui modus iste nunquam intelligibiliter fuit explicatus a suis assertoribus, et nulla unquam auctoritate firmatus. Denique, ut bene arguebat Cardinalis de Lugo, ubi supra, solum informantur Christiani ad credendum propter auctoritatem Dei, sicut solent natura duce credere propter hominis auctoritatem, addita solum maiori firmitate assensus, secundum quod postulat maior dignitas attestantis.

Quare fides divina eodem modo resolvitur ac fides humana in dicentis auctoritatem. Et hinc statim consequitur, nihil omnino repugnare quominus detur circa veritates de facto a Deo revelatas actus fidei mere naturalis, similis prorsus quoad modum adhaerendi, fidei supernaturali. Suppone aliquem qui ex signis credibilitatis convinceretur de existentia revelationis christianae. Sane vero, cum naturale conscientiae dictamen evidenter doceat credendum esse Deo loquenti, id est, assentiendum esse iis quae revelavit Deus, fidendo ei et adhaerendo verbo eius super omnia propter tantae auctoritatis firmitatem, nulla est ratio sufficiens, imo etiam probabilis (ut videtur), denegandi naturae potentiam saltem physicam eliciendi verum ac proprie dictum fidei divinae actum, similem omnino (non dico in entitate supernaturali, sed in ratione actus humani), ei quem elicit gratia.

Dixi potentiam saltem physicam, quia propter difficultatem credendi mysteria adeo ardua et sensui repugnantia, recte forsitan in praesenti statu naturae diceretur requiri gratia ut sanans, eodem scilicet pacto quo necessaria asseritur pro observantia legis naturalis, ad hoc ut detur posse non solum physice, verum etiam moraliter. Sed hoc est omnino praeter quaestionem quae

nunc agitatur. Quippe difficultas praedicta minime versaretur circa modum credendi resolvendo assensum in solam dicentis auctoritatem, sed tota proveniret ex conditione obiecti materialis in ordine ad praesentes circumstantias, quatenus ratione praevalentis inclinationis ad ea quae sunt secundum sensus, valde arduum est adhaerere veritatibus sensui carnali repugnantibus, praesertim si non modo in seipsis, verum etiam in practicis consectariis eidem opponantur. Et ideo, ex hac morali impotentia naturae minime sequeretur diversitas inter fidem naturalem et supernaturalem quoad formale obiectum, seu quoad modum adhaerendi auctoritati divinae. — Sed nec etiam obstat axioma quo dicuntur actus specificari ab obiecto. Nam, si sensus sit quod actus specificantur ab obiecto solo et nullatenus a principio elicitivo, sic axioma non verificatur nisi de actu morali praecise in quantum moralis est. Et ratio est in promptu, quia actus moralis qua talis consideratur in quantum habet principium a libera voluntate; libera autem voluntas non est ad unum determinata, sed indifferens ad utramque partem; porro ex indifferenti specificatio non sumitur, ut constat. At vero, extra formalitatem moralitatis, actus specificatur tum ab obiecto, tum ab elicitivo principio, tanquam a duobus terminis a quo et ad quem. Et ita in praesenti, ab obiecto quidem formali sumitur specificatio fidei ut sic; a principio autem elicitivo specificatio fidei naturalis vel supernaturalis, prout facultas est elevata per gratiam, vel secus. — Addo tamen quod etsi absolute loquendo dari possit fides acquisita seu naturalis, quae in sua resolutione obiectiva minime differat a fide supernaturali, adhuc tamen actus eiusmodi deficeret a perfectione entitativa quam per se exigit auctoritas Dei revelantis. Nam revelatio divina locum non habet nisi in hypothesi elevationis ad fidem supernaturalem, ac per hoc, solus actus supernaturalis, id est, ex viribus gratiae elicitus, adaequat perfectionem quae tali obiecto sive motivo debetur. Actus vero ex solis naturae viribus semper elongaretur a nobilitate illa quam dictum motivum exigit quantum est de se (1), et cum hac observatione facile explicantur certae locutiones apud veteres theologos occurrentes, quae alias videri possent difficiles. — Hinc in forma, ad palmare argumentum ad-

(1) Cf. Caietanum, in 1-2, Quaest. 62, a. 3.

versariorum sic respondendum existimo. Actus consideratus secundum quod rationem habet fidei de qua nunc loquimur, potius quam rationem scientiae vel cuiuscumque alius assensus, specificatur ab obiecto, *conc.*, nam ideo fides specifice differt a scientia, quia habet obiectum formale omnino diversum. Actus consideratus secundum perfectionem naturalem vel supernaturalem in eadem linea fidei divinae, *subdist.* Specificatur proxime ab obiecto, *neg.* Remote, *iterum subdist.* Quatenus obiectum fidei divinae per se exigit principium elicitivum per gratiam elevatum, ad hoc ut actus sit sibi in perfectione proportionatus, *conc.* Quatenus natura non possit ponere actum similem quoad tendentiam sub eadem formali ratione, *neg.*

Et haec quidem obiter dicta sint, ut appareat nullum esse mysterium latens in modo quo credentes adhaeremus revelationi, itemque ut notum fiat, rationabilitatem fidei christianae eodem genere rationum constare, quibus constat rationabilitas fidei humanae; quippe, eadem est proportionaliter utriusque ratio et modus adhaerendi. Sed nunc, ad maiorem doctrinae evidentiam, qualiter divina fides in Dei auctoritatem ultimo resolvatur, paulo distinctius est declarandum.

3. **Quod auctoritas Dei revelantis attingitur ante actum fidei, et in ipso fidei actu, aliter tamen et aliter. Ante actum fidei attingitur absolute ut res, et non est per se immediate nota, sed innotescit per argumenta seu signa quae possunt esse multiplicis generis, et maioris minorisve certitudinis. In ipso autem fidei actu attingitur pure ut ratio credendi, hoc est, non ut quod creditur, sed ut propter quod aliquid creditur, et seipsa firmat assensum credentis, eumque uniformiter terminat, quin detur locus ulteriori resolutioni.**

Ratio generalis hinc est repetenda, quod omnis fides, saltem si de ea loquamur quae non evidentiae in attestante, sed attestantis auctoritati innititur, est essentialiter assensus intellectualis imperatus a voluntate, ut in superioribus insinuatum est. Porro, quoties mediante voluntate assensus imperatur, oportet ut antecedenter ad assensum ipsum, sciatur non solum id de quo assensus quaeritur, verum etiam an exsistat et cuiusmodi sit motivum assentiendi. Quomodo enim voluntas faceret intellectum assentiri propter rationem aliquam, cuius exsistentia et natura non fuisset ei per prius monstrata ab ipsomet intellectu? Tunc

igitur ratio illa debet praevie cognosci; cognosci, inquam, antequam actu exerceat motivi munus, adeoque ut materiale obiectum ad quod terminatur cognitio; et hoc est cognosci absolute ut res, seu *ut quod*. Si ergo in omni fide, auctoritas testificantis qua motivum assensus constat, praevie innotescat necesse est (an sit et qualis sit), idem profecto dicendum est de auctoritate Dei revelantis, in ordine ad fidem divinam. Et quia haec auctoritas et revelatio non est aliquid per se notum, idcirco eius notitia ultimo resolvitur in omnia motiva vel signa quibus in cognitionem exsistentiae et attributorum Dei, necnon et facti locutionis eius, humana mens duci potest. Verumtamen adhuc consistitur pure et simpliciter in necessariis ad fidei actum praerequisitis. — Nunc autem, semel ac introducta fuit in intellectu cognitio auctoritatis et locutionis divinae ut conditio praevia, iam potens est voluntas imperare assensum circa ea quae attestata sunt a prima Veritate, idque propter ipsam eius auctoritatem, quae in eo actu non attingitur *ut quod*, (neque ut quod scitur, neque ut quod creditur), sed mere *ut quo*, seu ut *propter quod* creditur. « Sicut « visus, inquit Gotti (1), attingit colorem quia lucidum, quatenus « eodem actu attingit colorem ut rem visam, et lucem ut ratio« nem videndi ». Et ideo dicendum quod in actu praevio auctoritas Dei testificantis est obiectum intellectus absolute *ut res*, in ipso autem actu fidei pure et simpliciter *ut ratio assentiendi* (2).

(1) Gotti, de Fide, Quaest. 1, Dub. 4, § 2.

(2) Nec obstat quod ipsa Dei auctoritas et locutio possit ac debeat credi, saltem ab iis qui de ea perfectam evidentiam non habent. Non enim potest unquam credi, formaliter in quantum est formale fidei motivum; sic enim non est *id quod creditur*, sed solum *propter quod creditur*, ut dictum est. Verumtamen, quia Deus revelando quamlibet veritatem, exercite etiam revelat suam locutionem necnon et auctoritatem, constat quod haec ipsa auctoritas seu locutio connumeratur inter alia obiecta revelata. Et ideo, sicut creditur Trinitas quia Deus dixit se esse unum in essentia et trinum in personis, ita et credi potest Dei auctoritas (nisi forte obstet perfecta de ea evidentia), quia Deus se primam veritatem attestatur. Notandum autem quod auctoritas credita ut credita, non potest esse plus quam materiale obiectum *in aliquo particulari fidei actu*. At vero, tam in eo actu quam in quolibet alio, auctoritas reduplicative ut motivum est, nequaquam attingitur ut quod, sed ut quo, vel sub quo, vel propter quod, iuxta hactenus declarata.

Ut res, est materia circa quam versatur vel versari potest evidentia et certitudo; ut ratio assensus, nihil aliud est quam motivum certitudinis. Ut res, tenetur ea certitudine cuius causa esse potest quidquid intellectum humanum quacumque ratione certiorare valet; ut ratio assensus, non est motivum nisi illius certitudinis quae a libero voluntatis imperio dependet. Ut res, habet in diversis intellectibus certitudinem maiorem monoremve; ut ratio assensus, semper et in omnibus determinare debet certitudinem adhaesionis summam. Etenim varia motiva plus minusve perspicua quibus suadetur exsistentia auctoritatis primae Veritatis, non sunt nisi introducentia in intellectu id quod erit deinde formale fidei divinae obiectum in actu exercito; sed ipsum formale obiectum quomodocumque inductum et ex quocumque argumento, si modo vere exerceat munus suum, semper aequali modo exserit vim sibi propriam respectu obiecti materialis, faciendo illud summa adhaesionis certitudine credendum. Cuius rei aliquale exemplum accipere potes ex vapore aquae in locomotiva, qui habet vim semper aequalem, quaecumque sit causa vel medium per quod ei aperta est via.

Hinc etiam patet quomodo fides divina ultimo resolvitur in divinam auctoritatem, sicut fides humana in humanam. Si enim quaero a fideli, cur Trinitatem credis? respondere debebit, quia qui Trinitatem revelavit Deus, dignus est fide, et quidem super omnia. Et responsio est adaequata, nec possibile est ulterius inquirere in eadem linea. Nam si in linea directa, eodemque ordine causarum ulterius inquireres, deberes quaerere: cur credis id quod dictum est a fide digno; quae interrogatio est stulta et impertinens. — Et simile est in fide humana. Nam si a quopiam petas, cur credis hoc? et respondeat ille, quia Caius mihi dixit, adhuc quidem urgere potes: cur credis id quod Caius tibi dixit? Cum autem alter responderit, quia Caius dignus est fide, non est possibile ulterius progredi in eadem linea, quia pervenitur ad rationem sufficientem. Si enim quaeras: cur habes Caium ut dignum fide? iam devias a directo ordine rationum assensus sive actus credendi, et deflectis ad causas illius cognitionis quae solum praesuppositive se habet ad fidem. — A pari ergo, si ad responsionem, *credo Trinitatem quia Deus dignus fide super omnia, eam revelavit*, urgeres dicens: *Undenam scis Deum esse dignum fide, vel revelasse*

Trinitatem? iam non inquiris de proprio motivo sub quo et propter quod assentior, sed solum quaeris undenam praesupposuerim exsistentiam illius auctoritatis quam ut rationem assentiendi assumo, ac per hoc, petis motiva, non iam ipsius fidei secundum se, sed cognitionis quae praecedit et se habet tantum ut praerequisita conditio.

Ergo, si sermo sit de obiectiva resolutione actus fidei in suis intrinsecis constitutivis considerati, nihil aliud est quaerendum ultra auctoritatem loquentis, cui ultimo fides ipsa innititur. Sed si quaestio fiat de eo quod debet praecedere fidem ad hoc ut prudenter et rationabiliter a voluntate imperetur, sic assignandae remanent rationes ex quibus intellectus per prius efficitur certior tum de summa Dei auctoritate, tum de facto revelationis eius. Uno verbo exponenda venit evidentia illa credibilitatis quam divina fides non solum non excludit, sed imo exigit atque appellat.

§ 3.

De credibilitate et evidentia credibilitatis.

Credibilitas in praesenti dicit extrinsecam illam obiecti cuiuspiam seu doctrinae conditionem, ex qua habet ut possit terminare prudentem actum credendi. Et si haec ipsa conditio evidenter menti appareat, tunc adest *credibilitatis evidentia* quam signat S. Thomas cum dicit: « Ea quae sunt fidei considerari « possunt sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab « eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse cre« denda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid « eiusmodi » (1). — Haec evidentia *distinguitur primo ab evidentia veritatis,* dummodo veritas nunc sumatur, non sensu transcendentali et universalissimo (quippe et ipsa credibilitas quaedam veritas est), sed sensu restricto pro veritate rei in seipsa. Si enim dicam Trinitatem evidentem evidentia credibilitatis, absit ut ipsimet propositioni qua enuntiatur Deus trinus in personis, evidentiam attribuam, sed solum illi alii qua Trinitas asseritur posse prudenter credi fide divina. — Item *distin-*

(1) S. Thom. 2-2, Quaest. 1, a. 4 ad 2.

guitur ab evidentia in attestante, quae non est formaliter de obiecto prout esse potest terminus prudentis mei assensus, sed prout fuit ab alio attestatum attestatione nulli obnoxia errori, nulli etiam fallaciae. At contra, evidentia credibilitatis tota quanta est versatur circa affirmabilitatem alicuius enuntiati propter auctoritatis motivum, ut supra, et pendet ex duobus: *Si certa sit personae auctoritas ob quam credendum est, si insuper certa sit attestatio per quam auctoritas illa ad determinatum obiectum applicatur*. Certam porro dico, saltem ad exclusionem omnis dubii quo vir prudens moveri possit. Non enim ad perfectam evidentiam de qua in praesenti, necessario requiritur perfecta etiam evidentia de auctoritatis aut attestationis exsistentia. Et ratio statim apparebit vel ex sola consideratione terminorum. Credibilitas namque nihil plus ponit quam requisita ad prudentiam adhaesionis fidei, adhaesionis scilicet quae sit ex motivo et secundum pondus auctoritatis Dei revelantis. Atqui notum est in terminis, adeoque evidens evidentia omnimoda, quod tunc potest esse prudens eiusmodi adhaesio, quando ipsa auctoritas et attestatio sic constat, ut omni rationabili haesitationi locus praecludatur.

Hic tamen nota diligenter quod si ad rationabilem et prudentem fidem minime praerequiritur perfecta de Dei auctoritate vel attestatione evidentia, non ideo obstare existimanda est. Et hoc dico propter quosdam qui attendentes essentialem obscuritatem fidei, putaverunt fidem ipsam de qua nunc loquimur, non esse amplius possibilem, quando id quod est fidei motivum omnino evidenter intellectui affulget. Sed in hoc, nescio an in magna aequivocatione non versentur. Cum enim dici solet quod actus fidei est essentialiter obscurus, sensus est quod motivum seu auctoritas nullo modo facit apparere veritatem eius de quo est fides, scilicet veritatem obiecti materialis, sed profecto sensus non est quod ipsa auctoritas loquentis propter quam assentimur, debeat esse non apparens, aut saltem non perfecte apparens. Unde S. Thomas ubique dicit quod obiectum fidei nostrae est ipsa prima Veritas non visa, utique intuitive. Nusquam vero dicit quod sit auctoritas Dei loquentis non perspecta, eo scilicet modo quo Dei attributa et operationes in statu viae perspicere valemus. Et re quidem vera, semper intellectus videre debet id propter quod assentitur, etiam quando assentitur sub motione

voluntatis. Imo vero, quanto clarius videt dignitatem Dei, quanto evidentius scit Deum esse locutum, tanto etiam magis apparet fidei obligatio. — Nec iterum obstat libertas actus fidei quam alii periclitari putant, ubi perfecta evidentia est tum de auctoritate tum de attestatione; nam ibi etiam aequivocatio latet. Sane vero, si perfecte evidens sit Dei auctoritas et attestatio, concomitanter etiam adest evidentia in attestante, ac per hoc necessitatur homo ad eam fidem quae huic evidentiae innititur, iuxta superius praemissa. At longe alterius rationis est fides habens pro motivo auctoritatem sub formali ratione auctoritatis cui mens acquiescit, et eius discrimen a fide primo modo dicta satis expositum est in § 2. Sed et hic modus fidei, si sermo sit de obiecto attestato et non evidenter viso, semper est in libero credentis arbitrio reposita, quia semper liberum mihi est assentiri per modum fidentis verbo alterius, captivando intellectum in obsequium eius. — Itaque concludere oportet quod fidei de qua nunc loquimur, minime obstaret perfectissima etiam evidentia tam de auctoritate quam de locutione attestantis, quamvis ad evidentiam credibilitatis satis sit si quoad utrumque ratio prudenter dubitandi auferatur.

Porro, cum de Deo agitur, auctoritas seu dignitas qua dignus est ut sibi loquenti adhibeatur fides, in specialem controversiam venire non potest, quia satis evidenter omni homini ratione utenti innotescit. Et re quidem vera, sicut humana ratio ex ordine mundi et adspectabilis huius universi consideratione statim assurgit in cognitionem saltem confusam exsistentiae primae causae, seu entis supremi a quo in esse dependemus, ita et per eamdem viam spontaneo quodam ratiocinio quod omnem syllogizandi artem antecedit, pervenit in notitiam perfectionis illius, puta sapientiae et veracitatis, secundum quod constituunt summam quamdam auctoritatem, cui si aliquid revelet hominibus, fidere iustum est. Neque in hoc unquam intervenire habet humanum magisterium velut praebens fundamentum istius iudicii: *dignus est Deus cui loquenti credatur,* sed solum ut applicans mentem ad considerationem talis veritatis, vel etiam ut coadiuvans eam ad perfectiorem eius penetrationem, quatenus magis explicite incipiat innotescere quod prius confuse tenebatur. Caeterum nemo est tam rudis, si modo rationis usu polleat quantum requiritur ad moralis vitae exercitium, cui eo ipso au-

ctoritas Dei evidenter non affulgeat, ea saltem sufficienti evidentia de qua mox diximus.

Sola igitur superest quaestio de facto revelationis. In quo quidem omnino abstrahendum censeo a quaestione disputata, utrum revelatio seu locutio Dei pertineat ad intrinsecum constitutivum formalis obiecti fidei, an potius se habeat tantum per modum conditionis applicantis. Eiusmodi enim controversia in praesenti nihil admodum refert, et quaecumque solutio adhibeatur, semper eodem modo verum est quod credibilitatis evidentia exigit certam de exsistentia divinae revelationis notitiam, et quod in ordine divinae fidei illud omne et solum evidenter credibile dicendum est, de quo constat quod fuit a Deo attestatum. — Sed nunc, qua via, quave ratione id constare debeat, merito percontaberis, et non occurrit nisi una ex his tribus: vel per viam auctoritatis divinae, vel per viam auctoritatis humanae, vel denique per viam rationalis demonstrationis. Atqui non per viam auctoritatis divinae, quia haec ipsa auctoritas est, de cuius interventu (an sit) inquiritur. Auctoritas quoque humana, puta parentum, magistrorum, vel quorumcumque institutorum, relativam tantum credibilitatis evidentiam nata est creare, videlicet in pueris vel rudibus, quibus rectum prudentiae dictamen monstrat sequendos esse eos quos sibi eruditores natura providit. Et hi quidem iure meritoque fide humana accipientes divinae revelationis notitiam, certum sibi iudicium efformant quo iudicant christianam doctrinam fide divina prudenter esse credibilem et credendam (1). Verum haec humanae auctoritatis via non sufficit nisi per accidens, et ratione infirmitatis seu defectus in cultura rationis. Relinquitur ergo ut absolute et per se loquendo, divina locutio seu revelatio debeat innotescere per rationalem

(1) Nec contra rationabilitatem fidei horum hominum opponi potest quod quandoque rationes absurdas pro motivis suae credulitatis assignent, vel etiam per easdem videntur nonnunquam convinci de necessitate credendi. Eiusmodi enim rationes non sunt directa et propria motiva quibus apud eos iudicium credibilitatis innititur, sed solum faciunt ad removendas inanes difficultates quae alias eos detinerent. Quod autem absurda difficultas per aliam absurdam rationem in mente alicuius destruatur, aut imprudens dubium per inane quoddam argumentum, nihil omnino refert, sed tunc simile simili curatur, et vacuum phantasma per aliam inanem umbram excluditur.

demonstrationem. At rursus, demonstratio ista potest esse adhuc rudimentalis et satis indistincta, prout est in mente multorum plus minusve confuse percipientium, vel miraculosa signa quibus tanquam testimonialibus suae legationis litteris Catholica Ecclesia undique resplendet, vel perfectam huiusmet ecclesiae conformitatem ad normam in evangelio traditam a Christo, cuius divina auctoritas multiplici rationum genere eis manifestatur. Ne tamen ab eis exspectes ut has rationes satis enucleate exponant, multoque minus ut scientifica methodo ordinent processum quo ad sequentem conclusionem deveniant: ergo de religione christiana, seu de Ecclesia catholica tanquam de vera ecclesia exsistit Dei testificatio. Quapropter, eiusmodi confusa demonstratio potest quidem sufficere simplici fideli ad suae vitae directionem, non autem theologo cui competit alios instruere, necnon et convincere aut certe refellere fidei adversarios.

Ergo tandem, ut ea habeatur credibilitatis evidentia quae omnibus causae exigentiis satisfaciat, instituenda est scientifica demonstratio exsistentiae revelationis circa credendum obiectum. Demonstrationem dico scientificam, quamquam non sit in ea quaerendum idem evidentiae genus quod in mathematicis, vel etiam in primis conclusionibus metaphysicae haberi solet. Et causa quidem huius disparitatis non est debilitas rationum quibus sacrosancta revelatio munitur, sed est potius debilitas intellectus nostri, una cum natura rei de qua agitur. Nam in mathematicis v. g., medium demonstrationis est unum, homogeneum, invariabile, ac prorsus immobile. Est etiam intellectui nostro maxime proportionatum, cum in eo amice concurrant phantasia et ratio. Conclusiones quoque non habent nec habere possunt quamlibet oppositionem etiam apparentem, aut cum factis experientiae, aut cum principiis a priori, atque idcirco non occurrunt ab extrinseco difficultates quae legitimitatem consequentiarum vel minimum obfuscent. Hic vero sumuntur argumentandi principia ex multis mediis, et ex aestimatione plurimarum circumstantiarum, tum in testimoniis exponendis, tum in ponderandis factis prout naturae facultatem superantibus. Quae quidem testimonia vel facta quanto magis perspicua sunt oculis sensus communis, tanto magis ansam praebent infinitis dubiis plus minusve coloratis, ubi ad subtilem et minutam discussionem descenditur. Praeterea, revelationis exsistentia de iis rebus est quae secun-

dum se transcendunt experientiam et ea quae nobis familiaria sunt, ut interim omittam quod revelatio christiana ea continet, circa quae valde obmurmurat sensualitas hominis propter praeceptorum rectitudinem, et valde stupet ratio propter mysteriorum altitudinem. Denique habes colluviem congestorum sophismatum, cloacam dico nunc praesertim undequaque exundantem, cum a multis abhinc saeculis pessimorum quorumque hominum ingenia in hoc unum collineaverint, ut in christianam revelationem tenebras offunderent. Hinc igitur accidit ut non obstante vere et proprie dicta demonstratione exsistentiae revelationis de Ecclesia catholica, eaque satis obvia homini gerenti animum liberum a praeiudiciis, vix possit convinci ille qui convinci non vult, sed rationes studiose quaerit ut se obfirmet contra obligationem suscipiendi fidem. Neque putandum est hoc fuisse casu dispositum, imo potius alto divinae Providentiae consilio provisum. Sic enim verificatur illud Scripturae dicentis: *Exortum est in tenebris lumen rectis,* et iterum: *Orta est rectis corde laetitia,* et iterum: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde.*

Ex dictis igitur apparet quid sibi velit Concilium Vaticanum, cum dicit quod « recta ratio fidei fundamenta demonstrat [1]; nimirum demonstrat evidenter tum summam Dei auctoritatem, tum factum locutionis eius, ac per hoc, revelati obiecti credibilitatem. Item apparet quo sensu dicatur dogma fidei demonstrari, videlicet non quoad se, sed quoad exsistentiam revelationis qua a Deo fuit nobis attestatum. Denique, applicando hanc distinctionem ad materiam praesentis tractatus, facile perspicies qua ratione circa Ecclesiam possit esse simul demonstratio et fides; de quo sit capitulum sequens.

§ 4.

Quomodo Ecclesia demonstretur, et quomodo credatur.

Primum omnium, quid hoc nomine *Ecclesia,* tam in symbolo fidei quam in lingua omnium christianorum importetur adverte.

Et certo quidem certius, nomine Ecclesiae non intelligitur societas religiosa qualiscumque, externis quibusvis confessionis

[1] Conc. Vatic. Sess. 3, cap. 4.

et communionis vinculis sub aliquo regimine adunata. Etenim secundum has rationes communissimas Ecclesia convenit cum omnibus religiosis societatibus seu veris seu falsis, et sic non potest esse fidei obiectum, eo vel magis quod hoc modo cadit sub immediata experientia sensuum etiam externorum. — Rursus nomine Ecclesiae non intelligitur *praecisive* societas religiosa a Deo fundata: tum quia esse fundatum a Deo non signat nisi causam extrinsecam efficientem, minime vero determinat rationes rei intrinsecas; tum quia iterum, haec nota potest esse et est communis, quandoquidem antiquam etiam Synagogam a Deo fundatam fatemur, quamvis in omnium christianorum fide Ecclesia a Synagoga sit apprime distincta. Hinc, etiamsi nos ex iis quae sunt Ecclesiae propria, puta ex miraculosa eius unitate, invicta stabilitate, aliisque eiusmodi, innitendo soli principio causalitatis, videre valeremus characterem divinae institutionis cum evidentia omnimoda, adhuc minime sequeretur Ecclesiam non esse, et quidem *per se,* divinae fidei obiectum ([1]). Nondum enim fieret rationi pervia intima Ecclesiae ratio.

Considerandum itaque quod nomine Ecclesiae intelligitur societas quae a Deo non utcumque est, sed ut ordinata ad finem supernaturalis illius beatitudinis quam nobis sanguis Iesu Christi promeruit: Societas habens in se omnia media ad praedictum

([1]) Nota quod ad fidem *per se* pertinet id tantum quod absolute et simpliciter transcendit rationem naturalem. « Dicendum, inquit S. « Thomas in III, Dist. 24, Quaest. 1, a. 2, quod fides comparatur ad « aliquid dupliciter, scilicet *per se,* et *per accidens*. Et quod per se per- « tinet ad fidem, pertinet ad eam semper et ubique. Ideo quod pertinet « ad fidem ratione huius vel illius, non est fidei per se, sed per acci- « dens. Sic ergo, quod simpliciter humanum intellectum excedit ad « Deum pertinens nobis divinitus revelatum, per se ad fidem pertinet. « Quod autem excedit intellectum huius vel illius, et non omnis homi- « nis, non per se, sed per accidens ad fidem pertinet. Ea autem quae « omnem humanum intellectum excedunt, non possunt per demonstra- « tionem probari, et ideo huiusmodi non possunt esse scita. Sed quae- « dam quae sunt praecedentia ad fidem, quorum non est fides nisi per « accidens, in quantum scilicet excedunt intellectum illius hominis, et « non hominis simpliciter, possunt demonstrari et sciri, sicut hoc quod « est Deum esse, quod quidem est creditum quantum ad eum cuius « intellectus ad demonstrationem non attingit ».

finem efficaciter conducentia, in qua proinde est vera remissio peccatorum et interioris gratiae elargitio per ritus illos externos quos vocamus sacramenta; societas quoque indefectibilis, sive infallibilitate doctrinae, sive consecutione finis, sive immobilitate formae quam ei Iesus Christus indidit; societas demum quae sit a cunctis hominibus sub poena amittendae salutis ineunda. Haec sunt quae intelligimus, cum Ecclesiam cogitamus; haec sunt quae menti obversantur, cum circa eam fidei actum elicimus. Credimus enim esse in mundo aliquam societatem supernaturalem, indefectibilem, necessariam, in qua sola est via vitae aeternae, et hanc societatem eam esse quae catholica Romana appellatur. — Atqui nihil horum demonstranda suscipimus, ea scilicet demonstratione quae faciat intrinsecam veritatis evidentiam. Sunt enim de non apparentibus, et in impenetrabili caligine recondita donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris. Quippe supernaturalis beatitudo in visione Dei consistens est mysterium proprie dictum, ut nunc suppono ex aliis theologiae locis. Si autem finis est undequaque rationi impervius, tam quoad exsistentiam quam quoad possibilitatem, necesse profecto est ut eamdem invisibilitatem habeat exsistentia medii sub ratione veri medii ad talem finem. Non ergo intendimus naturalibus argumentis demonstrare quod sit Ecclesia, sive supernaturalis illa societas mox descripta, multoque minus ubi sit; sed solum quod facta est divina revelatio, omnes praedictas invisibiles Ecclesiae rationes nobis credendas proponens, et quidem de hoc determinato ac visibili coetu cui Romanus praeest episcopus.

Uno verbo, proprium demonstrationis obiectum intra discussionem sequentium dubiorum continetur: An revelavit Deus exsistentiam Ecclesiae, id est, supernaturalis societatis ut supra, et quatenus affirmative, cuinam coetui haec revelatio applicatur. Sicut si de Trinitate loquens dicerem: demonstrandum assumo adesse testimonium divinum de veritate Trinitatis, et hoc testimonium non convenire Trinitati quam posuit Plato vel Trismegistus, sed illi soli quam praedicant christiani. In quo quidem, demonstratio nihil plus faceret quam evidentiam credibilitatis, evidentiam scilicet praeambulam ad fidem et fidei conservativam, ut in superioribus ostensum est, nedum sit cum fide incompossibilis. Et sic etiam contingit in praesenti; ac per hoc, Ecclesia catholica demonstratur quantum ad testimonium quod de ea dedit

Veritas prima Deus, creditur vero quantum ad rationes intrinsecas quae sunt de conceptu Ecclesiae verae.

Superest tandem ut norma instituendae demonstrationis paucis declaretur.

§ 5.

De modo et mediis instituendae demonstrationis.

Difficultas initio huius introductionis iam declarata, in eo est quod adversarii aiunt vitiosum esse processum demonstrationis catholicae, tum quia postulamus ut principium id ipsum quod in quaestione est, puta divinam evangelii auctoritatem; tum quia in circulo versamur demonstrantes Ecclesiam per Scripturam, cum tamen Scriptura secundum nos non innotescat nisi per Ecclesiam prius cognitam, a qua et habet regulam suae interpretationis. Primum opponunt rationalistae, alterum protestantes. Sed hae oppositiones laborant falso supposito, necnon et defectu distinctionis diversarum formalitatum quae in libris Novi Testamenti accurate sunt discernendae.

In primis falso supponitur, nullum aliud adesse demonstrationis instrumentum praeter Novi Testamenti libros. Est enim unum argumentorum genus, per se quidem sufficientissimum, quod nulli nititur auctoritati seu divinae seu humanae, sed ea tantum assumit quae nostrae subiacent experientiae. Conficitur autem eodem processu et ordine, quo in superiori tomo usi sumus ad ostendendam credibilitatem incarnationis. Et ibi certe processus talis erat: Christus in terris degens seipsum verum Deum asseruit. Insuper hanc eius attestationem sigillaverunt signa quae a solo Deo esse possunt, puta miracula quae ipse Christus fecit, vel prophetiae quae in eo mirabiliter sunt adimpletae. Ergo de vera Christi divinitate divina testificatio est. Et simili quoque modo, ultro se in praesenti offert sequens argumentandi modus: **Ecclesia catholica Romana attestatur se societatem supernaturalem, infallibilem fidei magistram, necessariumque salutis aeternae medium. Praeterea hanc eius attestationem tanquam ab ore Dei descendentem sigillant miraculosae notae quae in ea sunt, puta catholica unitas, invicta stabilitas, et alia similia naturae facultatem et vires prorsus superantia. Ergo de Ecclesia catholica Romana,**

tanquam de vera ecclesia, testimonium divinum est. In quo quidem processu sumitur argumentandi principium ex solis factis omnium oculis expositis, et totius operositas demonstrationis in ipsorum factorum interpretatione sita est: ut scilicet ratione ostendatur qualiter facta illa quae instar proprietatum catholicam Ecclesiam afficiunt, non habent in viribus naturalibus causam sibi proportionatam, sed sponte sua et suapte indole produnt Dei institutoris interventum, ac per hoc, divinam originem testimonii Ecclesiae de seipsa. Et haec est demonstrationis ratio quam indicat Vaticanum Concilium, Sess. 3, cap. 3, ubi ait: « Quin etiam « Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagatio- « nem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis « fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, « magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et « divinae suae legationis testimonium irrefragabile ». Haec etiam est demonstrationis ratio, cuius accuratam pro modulo nostro expositionem minime praetermittemus; in qua profecto, nullum vel specie tenus locum invenies, aut vitiosi circuli, aut gratuiti postulati criminatio.

Nunc, si sermo sit de eo genere argumentorum, utique longioris expositionis et praecipui usus, quae ex testimoniis librorum Novi Testamenti procedunt, id ante omnia praeobservandum: formalitatem inspirationis minime excludere ab evangeliis formalitatem pure historicam, quae est prior quoad nos, et ab alia independens, et eodem prorsus modo innotescens quo historicus valor commentariorum Caesaris, vel annalium Taciti, vel alius cuiusvis operis eiusmodi. Sane vero, evangelia quando conscripta sunt, legenda et examinanda erant etiam ab hominibus nondum credentibus, quorum respectu auctores nullum alium titulum habere poterant, nisi quod historici forent probi, referentes de visu, aut saltem secundum acceptam ab iis qui viderant traditionem, ea quae fecit et dixit inter nos Dominus Iesus. Insuper, in eorum fato erat ut omnibus experimentis subiicerentur quae posset humanum ingenium invenire, ut conferrentur cum omni genere documentorum, geographicorum, physicorum, historicorum, philologicorum, ac demum totius criticae impetum sustinerent. Inquisitio facienda de unoquoque scriptore: cuius temporis, cuiusve regionis? quibus mediis uti potuit ad cognoscendam veritatem? cuius linguae, idiomatis? quis scopus, quodnam inte-

resse? Et re quidem vera, homines invitati ad renuntiandum iis omnibus quae natura corrupta concupiscit ac diligit, idque sub fide factorum naturam superantium, non ita animo comparati supponendi erant, ut se iugo Christi subiicerent, solum quia homines e Iudaea profecti se inspiratos iactitabant. Imo vero infallibiliter futurum erat ut circa haec facta humanam quaererent evidentiam, et quidem cum ea severitate ab iis adhiberi solita, qui naturaliter submissioni repugnantes, nonnisi causa funditus cognita, manus victas dare decreverant. Hinc Ioannes: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... testamur et annuntiamus vobis* (1). Et iterum: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius* (2). Et iterum: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius* (3). Et rursus Lucas: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile* (4). Vere ergo evangelia sunt documentum in toto rigore historicum. Quin imo fidenter asseres nullum aliud esse monumentum historiae quod severioris criticae experimenta ita vincat, et tam evidentia authenticitatis et fidelitatis habeat argumenta, sive externum criterium consideretur, sive internum. Nunc autem, utrum in eis sit altior etiam auctoritas, quatenus scilicet naturali factorum cognitioni et expositioni accesserit suggestio dictantis Spiritus Sancti, alia omnino quaestio est. Et quidquid sit de modo quo horum librorum innotescere potest inspiratio, certo saltem certius a divino Ecclesiae magisterio minime dependet, etiam secundum nos, certitudo historici valoris eorumdem. Sed haec notitia de iis cognitionibus est, quae fidem antecedunt, et in ambitu naturalis scientiae undequaque comprehenduntur. Sub hac igitur formalitate mere historica sumebantur evangelia in ea parte tractatus de Verbo incarnato, in qua credibilitas incarnationis fuit demonstrata. Ibi enim quaerebatur an historice constet, tum de attestatione qua Iesus Christus se as-

(1) 1 Ioan. I, 1-2.
(2) Ioan. XXI, 24.
(3) Ioan. XIX, 35.
(4) Luc. I, 2-3.

seruit Deum, tum de factis miraculosis attestationem hanc sigillantibus. Et hoc etiam modo accipientur in praesenti, ut post probatam in superiori tomo Christi divinitatem, sciatur ulterius quid ipse Christus dixerit vel revelaverit de Ecclesia, quibusve characteribus insignitam eam ostenderit. In quem finem licebit nunc evangeliis adiicere caetera scripta apostolica, rursus non ut inspirata seu dictante Deo exarata, sed pure et simpliciter ut referentia genuinam mentem Christi, et explicantia revelationem eius circa Ecclesiam. Quippe, si Christus verus Deus venit in mundum ad Ecclesiam fundandam, omnino esse non potuit ut apostolos a se missos errare permitteret in exsecutione operis, sineretque eos a norma praestituta deviare. Ex quo etiam fit ut ad sensum revelationis Christi melius ac melius declarandum, recte et convenienter adduci quoque possint antiquiores Patres, nimirum ut simplices apostolicae doctrinae depositarii, iique tanto magis receptibiles, quanto propius ad fontem noscuntur accessisse. Vides igitur quomodo demonstratio quae procedit ex testimoniis librorum Novi testamenti, omnino praescindat ab eorumdem inspiratione, id est, ab ea formalitate sub qua sola dici possent praesupponere quoad nos cognitionem verae Ecclesiae et infallibilis eius auctoritatis. Argumenti enim compendium in hoc est: **Historicum monumentum revelationis quam nobis attulit Iesus Christus,** (cuius divinitas et missio iam fuit inconcussis rationibus demonstrata), **proponit certam ecclesiam ab eo fundatam, in qua una redemptionis fructum consequeremur, et ad beatum vitae aeternae finem perveniremus. Insuper, huic ecclesiae tales characteres et notas assignat, quae in sola catholica Ecclesia de facto reperiuntur. Ergo de Ecclesia catholica Romana, tanquam de sola ecclesia vera, divina adest testificatio.** Nihil certe ibi, in quo circuli calumnia vel apparentem praetextum invenire possit [1].

[1] Non censeo hic immorandum in refutando id quod quandoque opponunt protestantes: Scripturam iuxta nos esse interpretandam per Ecclesiam, adeoque nihil iuvare si in demonstratione catholica Scripturam N. T. accipiamus in ratione monumenti pure historici adventus et praedicationis Iesu Christi, siquidem independenter ab Ecclesia iam cognita, sensum saltem huius documenti assequi non valemus, stando principiis nostris. Haec quippe ex falso supposito rursus procedunt. Cum enim dicimus Ecclesiam iudicem controversiarum circa sensum

Addo tandem fuisse hucusque declaratam normam et rationem instituendae demonstrationis, prout absolute valet contra quosvis adversarios, et omni homini in quacumque hypothesi credibilitatem catholicae Ecclesiae nata est ostendere. Verum, si solam cum protestantibus aliisque haereticis vel schismaticis controversiam attendamus, tunc nihil prohibet quominus utamur instrumento Scripturae etiam ut Scriptura est divinitus inspirata, cum dogma inspirationis sacrorum librorum nobis et illis commune sit, nihilque magis legitimum quam ut per unum articulum fidei nostrae in quo cum eis convenimus, demonstremus veritatem alterius articuli in quo a nobis ipsi dissentiunt. Sic enim fit argumentum ad hominem, in hunc fere modum: Inspiratas a Deo Novi Testamenti Scripturas nobiscum confitemini; quin imo, sacrorum librorum auctoritati unice vos fidere dicitis, atque ex ea omnem controversiam terminari vultis. Porro illae ipsae inspiratae Scripturae sunt, quae Catholicam Ecclesiam tanquam solam veram attestantur. Reliquum est ergo ut verbo Dei scripto inhaerentes, Catholicam nobiscum credatis, audiatis, et teneatis.

Hactenus introductio de demonstrationis obiecto et modo procedendi.

Scripturae, minime somniamus sensum hunc nunquam posse certo constare independenter ab ecclesiasticis definitionibus, praesertim in locis per se clarissimis, cuiusmodi illa sunt quae visibiles notas et characteres audiendae a nobis Ecclesiae assignant, ut suo loco videbimus.

QUAESTIO I.

DE INSTITUTIONE VISIBILIS ECCLESIAE CHRISTI EXTRA QUAM NON EST SALUS.

Haec quaestio versatur circa ipsum originale factum quod supra ([1]), in ordine ad demonstrationem catholicam prout ex monumentis historiae perficiendam, fundamenti instar est assignatum. Nisi enim per prius constaret Iesum Christum ad sui operis perennitatem, aut potius ad iugem dispensationem suae redemptionis, visibilem ecclesiam necessitate medii ab omnibus ineundam, ac per hoc, ob omnibus dignoscibilem instituisse, frustra de notis quibus eam discernibilem tradidit, disputatio fieret. Quare, adhuc quidem maneret demonstrationis modus primo loco indicatus ([2]), videlicet ex miraculosis signis quibus Ecclesia Catholica undequaque resplendet, minime vero ille alius qui assumit in instrumentum historiam Novi Testamenti, quique cum facile praeemineat, sin minus veritatis evidentia, at certe adaptatione ad praesentes controversiae exigentias, hac de causa maiori studio et cura est exponendus. Historica igitur veritas revelationis et fundationis visibilis Ecclesiae Christi sese in primis vindicanda offert, et quia plures iam in ipso limine occurrunt adversarii, priusquam veniatur ad argumenta, oportet paucis referre quid a diversis dicatur, ut statu totius quaestionis rite intellecto, facilius perspiciatur demonstratio. Primo itaque exponendum quid sentiant catholici, tum secundo, quae sit positio eorum qui nobis in hac parte adversantur; sunt autem potissimum protestantes et rationalistae.

Sententia catholicorum circa successionem religionis inde ab initio mundi, in lege patriarchali, mosaica, et evangelica, hisce capitibus continetur.

([1]) Pag. 54.
([2]) Pag. 51.

Totius religionis centrum in statu naturae lapsae est mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Non enim fuit unquam a praevaricatione Adae in alio aliquo salus, non per aliquem alium accessus ad Deum, non ab aliquo alio spes vitae aeternae et gratiae derivatio. Sed cum Christus in medio temporum venerit, antiqui comparabantur ad eum ut ad redemptorem promissum, nos autem comparamur ad eumdem ut ad redemptorem iam missum. Atque hinc sequuntur omnes differentiae inter praeteritum et praesentem statum religionis, cuius mira unitas per saeculorum decursum continuata, eo illustrior ipsa varietate apparet, quod non in materiali quadam uniformitate perhibetur consistere, sed in constanti habitudine ad unum caput nunc demum exsistens, prius vero expectatum, prophetizatum, et praefiguratum. Et vere, etsi Salvatoris adventus certae epochae a divina Sapientia praestitutae fuerit alligatus, incarnati tamen Verbi mysterium cuncta implet tempora, quia ubi nondum erat Christus veritate praesentiae, ibi iam fuit per promissionem, desiderium, expectationem, et typos multiplices, ut merito exclamet Tertullianus (1). *O Christum et in novis veterem!* Id est, quam vetus est Christus in novitate Evangelii! Quippe, novum est quod honoramus, quia Christus in persona non ab initio adfuit; antiquum pariter, quia promissio, spes, et figura a primis temporibus praecessit.

Statim ergo post lapsum promissus est Salvator, Genes. III-15, et instituta in protoparentibus propaganda inter posteros societas verae religionis, quae eatenus christiana iam dici potuit, quatenus principaliter in ea attendebatur fides in Christum venturum, ex cuius praevisis meritis conferebantur tunc a Deo interna sanctificationis dona. Erat autem haec societas visibilis, externa professione fidei, exterioribusque sacrificiis et sacramentis colligata sub regimine patriarcharum (seu capitum familiarum), quos praecones iustitiae Scriptura vocat (2). De hac mentio est in Genesi, ubi commemorantur *filii Dei*, distincti et religione separati a *filiis hominum* (3), hanc Augustinus in libris de civitate, usque ad diluvium arcamque deducit; eam demum in filiis

(1) Tertull. l. 4 adv. Marc. c. 21.
(2) 2 Petr. II, 5.
(3) Genes. VI, 2.

Noe per eorum benedictiones perseverasse ostendit, et praesertim in posteritate Sem. Verumtamen Ecclesiae unitas visibilis adhuc laxior et inchoata erat, prout conveniebat his initiis. Quippe, in dispensatione revelationis et correspondente religionis forma, sapientissimo consilio Deus hoc voluit observari, ut iuxta humanae conditionis congruentiam, usque ad plenitudinem temporis ab imperfectioribus ad perfectiora fieret processus. Incrementum itaque perfectionis in foedere mosaico accepit antiquae ecclesiae constitutio; quo tamen foedere non fuit abolita aut restricta, sed solum in uno populo electo specialius conservata, et distinctius explicata promissio in Adam toti generi humano a Deo facta. Perseverante namque et semper vigente pro caeteris gentibus priori religionis patriarchalis oeconomia, instituta est in Israel Synagoga, in qua sicut prophetica revelatio in dies clarior, ratio typorum manifestior, ita forma ecclesiae esset expressior. At nondum in mosaica lege finis, imo nihil nisi praeparatio ad testamentum novum, umbra praecedens corpus, et custodia in eam fidem quae revelanda erat. Quapropter ultima ac definitiva religiosae societatis constitutio pertinebat ad Christum de quo visio et prophetia. Qui tandem adveniens, et universum testamentum vetus, non reprobando, sed adimplendo abrogans, instituit ecclesiam suam: ecclesiam quidem a Synagoga plane distinctam, (quamvis ad eam se habeat ut antitypus ad typum et figuratum ad figuram), ecclesiam visibilem et universalem ab omnibus iam hominibus usque in mundi finem ineundam, quae manens *regnum immobile,* ut dicitur Heb. XII-28, non aliam exspectat consummationem sui status, quam a fide ad visionem in ecclesia coelesti (1).

Ecclesia igitur in quam totius religionis terminatur successio, utpote quae non amplius habeat umbram futurorum bonorum, sed ipsam imaginem rerum, asseritur esse a Christo vere et immediate fundata, asseritur ex sui fundatoris instituto essentialiter visibilis, asseritur medium ex eiusdem lege omnibus necessarium ad salutem consequendam.

Primo, inquam, asseritur *a Christo fundata*, ita ut specialissimo modo dicatur Ecclesia Christi. Ubi sciendum est quod vocabulo ecclesiae ad litteram significatur collectio aliquorum qui

(1) Ita fere Card. Franzelin, de Ecclesia, Thes. 3, passim.

evocati, convenerunt in aliquam unitatem. Et quia ad supernaturalia nonnisi divina vocatione pervenitur, ideo in usu Scripturae N. T., Ecclesia generatim dicit societatem supernaturalem, cuius caput Christus. Cum autem societatem supernaturalem audis, intellige societatem quae supernaturalem habet finem, et media ad eiusmodi finem conducentia, videlicet ad interiorem sanctificationem gratiae, eiusque ultimam consummationem vitam aeternam. Porro antiquae fidelium congregationes sive intra sive extra Synagogam, vero quodam sensu iam erant Ecclesia Christi, ita ut non dubitaverit S. Thomas dicere: « Sancti patres non insi-« stebant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed « sicut imaginibus et umbris futurorum. Idem autem est motus « in imaginem in quantum est imago, et in rem. Et ideo antiqui « patres servando legalia sacramenta, ferebantur in Christum « per fidem et dilectionem eamdem qua et nos in ipsum ferimur, « et ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae ad « quod nos pertinemus » ([1]). Verumtamen nomen Ecclesiae vel Ecclesiae Christi nonnisi imperfecte et ex parte eis competebat, quia cum Christus per quem gratia et veritas facta est, nondum re adesset, socialis organismus nec ab eo erat institutus, nec ab eo trahebat virtutis efficaciam, sed eum respiciebat tantummodo ut terminum seu obiectum, propter cuius bonitatem praevisam refluebat a Deo anticipata iustificationis dispensatio. At nunc, illius ecclesiae exsistentia adstruitur, quae simpliciter et adaequate Ecclesia Christi dicitur et est, utpote ad Christum comparata, non amplius ut ad obiectum desideratum et promissum, sed ut ad fundatorem et caput active influens, quatenus ex eius institutione habet suam formam, suam hierarchiam, sua sacramenta, et quidquid ad socialis corporis constitutionem pertinet. Item quatenus ab eo iugiter gubernatur tanquam a summo rectore, cuius ministri et instrumenta sunt quicumque apud eam principatum gerunt vel sacris praeficiuntur.

Asseritur praeterea haec Ecclesia *ex instituto Christi visibilis*. Hic nota quod nomen visionis « primo impositum est ad « significandum actum sensus visus, sed propter dignitatem et « certitudinem huius sensus extensum est hoc nomen secun-« dum usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sen-

([1]) S. Thom. 3ª Part. Quaest. 8, a. 3 ad 3^{um}.

« suum, (dicimus enim, vide quomodo sapit, vel quomodo « olet, vel quomodo est calidum), et ulterius etiam ad cogni- « tionem intellectus, secundum illud Matth. V-8: Beati mundo « corde, quoniam ipsi Deum videbunt » (1). At quia in praesenti vita omnis nostra cognitio incipit a sensu, nihil quoad nos visibile dicitur nisi id quod aliqua ratione sub sensu cadit, vel certe ex sensibilibus quibus afficitur notis, intellectui innotescere potest. Pluribus ergo modis visibilitas de aliquo praedicatur. Certe alio modo visibilia sunt accidentia corporea ad quae exterioris sensus cognitio per se terminatur, et alio modo substantiae corporales quae sub sensu non cadunt nisi ratione suarum proprietatum. Alio item modo dicitur homo secundum animam intellectivam visibilis, propter exteriores operationes quae suapte natura influxum principii intellectivi produnt; et alio modo diceretur visibilis praesentia Christi sub hostia in qua miraculosa effigies carnis vel sanguinis appareret, nimirum visibilis tantum quoad esse attestatum a Deo, (quod non faceret plus quam visibilitatem credibilitatis), atque ita porro. Nunc ergo, cum de Ecclesia agitur, distinctione opus est, nam ipsa duplici modo considerari potest et debet: Primo ut societas religiosa simpliciter, tum secundo, ut vera societas credentium in qua vere sunt principia supernaturalis vitae aeternaeque salutis via. Et sub duplici hac formalitate duplex visibilitatis modus ei attribuitur. Si consideretur ut societas religiosa simpliciter, sic catholici illam dicunt ex instituto Christi visibilem quoad ipsum suum esse intrinsecum, quatenus socialis eius forma in iis reponitur quae sub sensu cadunt, aut mediantibus sensibus externis possunt attingi; puta in deputatione ad cultum christianum per sacramentum baptismatis, una cum colligante vinculo externae professionis unius fidei uniusque communionis, sub dependentia determinatae ac designatae hierarchiae, cui munus docendi, regendi, et sacramenta ministrandi commissum est. Si autem consideretur ut vera societas supernaturalis, sic dicunt illam ex instituto Christi visibilem solum in esse revelato seu divinitus attestato, quatenus ipsum Ecclesiae corpus de quo supra, ex hierarchia regente et multitudine gubernata constans, iis externis notis insignitur, quibus innotescit ut revelata illa societas cui verbum Dei attribuit

(1) S. Thom. 1. Part. Quaest. 67, a° 1.

promissiones regni caelorum et vitae aeternae claves. Posterior ergo ille visibilitatis modus qui primum necessario praerequirit, nihil demum aliud circa Ecclesiam ponit nisi visibilem credibilitatem.

Tandem haec ipsa visibilis Ecclesia Christi asseritur *medium ex divina lege omnibus necessarium ad salutem consequendam,* non tamen necessarium determinate in re, sed vel in re vel in voto, ita ut ii omnes qui invincibili ignorantia ab eius corpore sunt separati, non ideo extra salutis viam versari credantur, dummodo ad dictum corpus voto pertineant: voto inquam, saltem implicito in voluntate serviendi Deo secundum modum ei placentem eique acceptabilem. Et de institutione quidem Ecclesiae sub lege evangelica haec sentiunt catholici.

Ex adverso sunt variae opiniones positioni praecedenti vel ex parte vel ex toto contradicentes, quae tamen, ut eas solum commemorem quae hodiedum vigent, ad duas reducuntur.

Prima et celebrior illa est quam asseruerunt Reformatores saeculi XVI, visibilitatem Ecclesiae Christi de medio tollentes. Quae quidem opinio ab Hussitis in Constantiensi Concilio damnatis iam praeformata (1), et postmodum apud Iansenistas magno in favore habita (2), semper placuit iis qui sub specie christianismi auctoritatis iugum excutere ardent. Caeterum impossibile esset placita protestantium in praesenti ad unum certum doctrinae corpus redigere, quia quod ad Ecclesiam attinet, plurimum variaverunt, in maxima semper confusione versati. Imo usi sunt contradictoriis et ad se invicem pugnantibus principiis, secundum quod requirebat necessitas vel polemica adversus catholicos, vel politica adversus sectas ex proprio sinu pullulantes, reformationisque doctrinas ad extremum usque perducere tentantes. Seposita quippe auctoritate et regimine Ecclesiae visibilis, pronus erat ad quaslibet divisiones descensus, et ideo Lutherus et post eum Calvinus, dum ad principia de invisibili Ecclesia appellabant

(1) « Unica est sancta universalis Ecclesia. quae est praedestinato-« rum universitas. — Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla « pars eius finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas « quae ipsam ligat, non excidit ». Inter articulos Ioannis Huss damnatos a Concilio Constantiensi.

(2) Cf. propositionem 15^{am} Pistoriensium, damnatam a Pio VI in bulla *Auctorem fidei.*

ut sese expedirent ab interrogationibus catholicorum quaerentium ubi esset Christi Ecclesia ante Reformationem, simul visibilem Ecclesiam cum vera auctoritate et legitimo ministerio adstruebant ut suos sequaces compescerent, et nascentibus novis sectis sese opponerent (1). Frustra ergo aliquid fixum sibique constans in Protestantismi doctrina requireres, et ideo satis erit referre capita fundamentalia utcumque inter se colligata, in quibus sat communiter nunc conveniunt, duplicem ecclesiam asserentes, unam visibilem quae cum divinae institutionis non sit, variabilis est et diversa pro temporum et locorum circumstantiis, alteram invisibilem quae in priori latet, et est sola vera ac genuina Ecclesia Christi.

Palmare quippe principium Protestantismi est, singulos homines salutem suam habere immediata sua relatione ad Christum, singulos habere in se principium salvificum, singulos esse sibi ipsis sacerdotes, et opus suae iustificationis perficere cum solo Deo, ope solius internae fidei qua unusquisque credit peccata sibi propter merita Christi non amplius imputari. Hinc vera Christi Ecclesia nihil aliud est quam collectio eorum qui propter fiduciam intus conceptam de remissione suorum peccatorum, imputatam sibi a Deo habent iustitiam Christi, et pro tanto ad vi-

(1) Cf. Bellarminum, de Conc. et Eccl. l. 3, c. 2. — Moeheler, la Symbolique, l. 1, c. 5, § 48-51. — Nota etiam quod ab initio sic dictae Reformationis, nunquam defuerunt qui Reformationem reformarent, eiusque principia contra primos eius parentes et magistros urgerent. In quorum sectis maxime conspicuus apparuit protestanticae doctrinae fructus, videlicet illuminismus et fanatismus. Fatale enim est ut homines qui relicta auctoritatis et naturalis rationis regula, ratum habent se esse sub immediata inspiratione Spiritus Sancti, semperque inhiant supernis illapsibus, in hallucinationem et vesanum etiam furorem vertantur. In his sectis specialem merentur mentionem: *Primo*, Anabaptistae, sic dicti a rebaptizando; initium habuerunt duce Muncer, anno 1552. *Secundo*, Remonstrantes seu Arminiani, sic dicti ab Arminio doctore Batavo, vel a remonstrando, anno 1560. *Tertio*, Quakeri, sic dicti a voce anglica *to quake*, quod est tremere; horum initiator fuit Georgius Fox natus in Anglia, anno 1624. *Quarto*, Pietistae sic dicti a pietate (collegia pietatis), quorum parens fuit Spencer natus in Germania anno 1635. *Quinto*, Methodistae seu Wesleiani sic dicti ab auctore Wesley natione Anglo (1729), vel etiam a methodo, quia profitebantur se per rigorosam methodum in ascetismo proficere.

tam praeordinantur aeternam. Et haec Ecclesia soli Deo nota, sola est Ecclesia quam promissionum dicunt, cui scilicet promisit Christus se affuturum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. — At quia veri credentes a Spiritu Sancto instituti possunt suam fidem manifestare exterius, proprios sensus communicare, imo externis sacramentorum symbolis ad fidei excitationem uti : ideo originem dant ecclesiae visibili, quae tamen ecclesia non est a Christo instituta, nec ulli necessaria ad salutem, imo habet varias formas secundum adiunctorum varietatem, denique plurimis semper admiscetur hypocritis, in quorum massa semper latet Ecclesia vera prorsus indiscernibilis. — Quod si his opponas vanam tunc esse disputationem de Ecclesia, et frustra traduci Catholicam ut Synagogam Satanae et Antichristi regnum, respondebunt : Omnes quidem visibiles ecclesiae formas esse institutionis mere humanae, sed aliquas fundari in principiis sinceritati evangelii prorsus contrariis, alias vero esse in harmonia cum doctrina Christi. Et hoc demum sensu, uni visibili formae prae alia dicunt competere legitimitatem et verae Ecclesiae nomen, assignantes pro notis distinctivis puram praedicationem verbi Dei et legitimum sacramentorum usum ([1]).

([1]) Omnem originem et genesim huius doctrinae sic praeclare exponit Card. Franzelin, de Ecclesia, Sect. IV, Praenotio historica : « Primum nempe Reformatores toti erant in destruenda Ecclesia, affirmantes eam ex multis iam saeculis corrupisse veram fidem Iesu Christi, et pro fide divina induxisse in orbe terrarum multos errores humanos, totamque haerere in idololatria, Romanum Pontificem esse Antichristum, episcopos catholicos, sacerdotes ac monachos esse ipsius Antichristi apostolos sensu proprio quo in Scripturis Antichristus praenuntiatus reperitur. — At vero si haec ita essent, Ecclesia a Iesu Christo fundata eiusque sanguine redempta ex multis iam saeculis tota periisset. Nihil ergo remansisset *reformandum,* sed instituenda fuisset omnino nova ecclesia, quae hoc ipso non Iesu Christi fuisset, sed alia ecclesia novi institutoris, opus proinde meri hominis. Ex altera parte Christus Deus suam a se fundatam Ecclesiam evidenter promisit indefectibilem, et hoc ipso in fide ac doctrina infallibilem fore sub sua ipsius tutela omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. His angustiis pressi apostatae illi, ne, id quod evidens erat, faterentur se ab Ecclesia Iesu Christi indefectibili ac proinde adhuc tum exsistente defecisse, cogebantur comminisci novam doctrinam de ipsa natura Ecclesiae, seu potius negare rem ipsam retento solo nomine Eccle-

Verum facile apparebit quomodo in hoc dicendi modo, re ipsa destruitur id quod verbis asseritur. Ecclesiam enim Christi a Christo fundatam dicunt, ne scilicet negetur id quod nimis

---

« siae, fictione non minus quidem evidenter contraria Scripturis, sed « interim tamen sufficienti ad speciem aliquam pro vulgi ignorantia im- « piae rebellioni obducendam. — *Ecclesia promissionum,* aiebant, quae « sola est vera Ecclesia Christi ex eius promissis indefectibilis, sancta « et universalis, non constat nisi solis membris sanctis (iuxta Luthera- « nos, vel praedestinatis (iuxta Calvinianos). Sola fide speciali singuli « Christiani apprehendunt merita Christi et iustitiam qua ipse iustus est, « per eamque sibi imputatam ipsi singuli iusti non sunt, sed coram Deo « habentur velut iusti. Isti igitur sunt sancti, atque ex horum omnium « et solorum numero vera Ecclesia promissionum constituitur. Non po- « testate aliqua vel ministerio divinitus instituto formantur ab Ecclesia « et generantur, sed ipsi formant et generant Ecclesiam : singulique sibi « ipsis sunt sacerdotes, non per ministerium Ecclesiae, sed per suam « quique fidem specialem immediate conceptam virtute Spiritus Sancti « quae verbo inhaeret, Christi meritum apprehendentes, et ita Christo « capiti uniti tanquam sola vera eius membra. — Secundum istam igi- « tur theoriam homines quidem sunt utique visibiles, sensibilis est etiam « Scriptura et verbi praedicatio, et sensibilia sunt *verbi adminicula*, sa- « cramenta. At ista sunt signa externa duntaxat, et quatenus visibilia, « non sunt propria attributa verae Ecclesiae, sed communia etiam mas- « sae damnatae quae solo nomine, non re ipsa, non ex veritate, sed « per dissimulationem veritatis dicitur Ecclesia Christi. Nam illa omnia « quibus homines uniuntur Christo atque ita ingrediuntur numerum com- « ponentium veram Ecclesiam... soli Deo comperta sunt, hominibus vero « occulta ac prorsus invisibilia, hocque ipso invisibilis est Ecclesia vera, « cum haec non sit aliud quam numerus computatus omnium sancto- « rum aut praedestinatorum. Cum itaque auctores rebellionis furiosam « suam praedicationem qua debacchabantur in totam per orbem terra- « rum Ecclesiam tanquam Christo inimicam et synagogam Antichristi, « necesse haberent conciliare cum institutione et promissis Christi, qui- « bus certi reddimur ipsum omnibus diebus futurum cum sua per hanc « ipsam institutionem ac praesentiam indefectibili Ecclesia, atque adeo « cum oporteret ostendere aut aliquid saltem dicere, ubinam sit et per « tot saecula fuerit vera illa Ecclesia promissionum : respondebant Deum « sibi semper conservasse aliquos sanctos, sed occultos et in medio na- « tionis pravae latentes, horumque numerum per orbem terrarum dif- « fusum fuisse et esse veram Ecclesiam. — Huic suo dogmati cum cae- « teris connexis de verbo Dei claro et non indigo interpretationis, insi-

aperte nimisque evidenter Scripturae docent. Aliunde vero institutum Christi reducunt ad ecclesiam invisibilem, cui ne apparenter quidem convenit quoad rem ecclesiae nomen et ratio, cum

---

« stebant primo in stadio, quando ad avertendos populos ab Ecclesia « omnibus viribus contendebant. At vero, cum rerum omnium pertur- « batio, sectarum diversarum infinita colluvies, et fanaticarum multitu- « dinum cruentae rebelliones ex illis ipsis principiis exortae mox mani- « festum redderent, in istis fundamentis nullam societatem religiosam, « nullum ne ad speciem quidem ordinem ecclesiasticum posse constitui, « resque civiles ipsas in ruinam trahi : tum demum de ministerio ec- « clesiastico eiusque auctoritate, ac proinde de Ecclesia visibili et de « Ecclesiae constitutione nova substituenda antiquae, solliciti esse coepe- « runt. Sed hoc opus, hic labor, ut evidenter contradictoria simul con- « ciliarentur ! Nimis absurdum est quod aliquando conarentur, et pauci « illi adhuc superstites qui se Protestantes orthodoxos dicunt, usque ad « haec tempora conantur, in pugna quidem adversus catholicos retinere « notionem Ecclesiae invisibilis in ipsis principiis fundamentalibus to- « tius haereseos expressam, simul autem ad suam religiosam societatem « continendam et adversus alias eiusdem originis sectas defendendam, « asserere et serio vindicari sibi Ecclesiam visibilem et indefectibilem « a Christo institutam, atque inde ab Apostolis permanentem usque ad « ipsos hos orthodoxos perductam. Hac enim catholica notione visibilis « Ecclesiae promissionum constituta, ex ipsa Reformationis origine et « historia evidens est etiam caecis, totam defectionem saeculi XVI, ac « proinde sectas istas omnes, inclusa orthodoxa, non esse nisi synagogas « rebelles adversus veram indefectibilem Ecclesiam Iesu Christi. Ut hanc « evidentem consequentiam quam in primis amoliri eis ratum et fixum « est, quomododemumcumque effugiant, plerique integrum conservant « principium fundamentale ex quo velut ex matrice suam trahunt ori- « ginem, Ecclesiam promissionum a Christo institutam fuisse et esse in- « visibilem. Tum vero ab hac vera Ecclesia sanctorum seu praedesti- « natorum distinguunt *massam ecclesiasticam* quae est utique visibilis. « Ad hanc massam visibilem in qua vera Ecclesia latet invisibilis, aliqua « disciplina ac politia continendam, requiruntur ministeria quaedam et « instituta ecclesiastica quibus componitur *constitutio Ecclesiae*. Sed haec « constitutio humanae est originis, et ideo mutabilis, pro diversis tem- « poribus et locis diversa. Hoc posito, ratio sane nulla erat, hanc Ec- « clesiam visibilem cum sua constitutione humana distinguendi velut sui « iuris, diversam a civitate terrena ac regimine politico. Unde necessa- « rio sequebatur id quod in Protestantismo ubique factum esse videmus, « ut reges seu principes politici sub nomine ab Ecclesia catholica mu-

ipsa nihil plus sit quam numerus individuorum a se invicem prorsus independentium et sibi invicem plane incognitorum. Atqui in eiusmodi numero unitatum, impossibile est invenire socialis corporis structuram et coagmentationem quae est evidenter de conceptu Ecclesiae. Quare melioris in hac parte conditionis sunt puri rationalistae, quos radicalis negatio omnis ecclesiae a Christo institutae fecit saltem ab incohaerentia protestantica immunes. Hi ergo de medio tollunt omnem supernaturalem communicationem Dei ad homines et hominum ad Deum, asseruntque solum rationabilem cultum esse eum qui expeditus ab omni dogmate positivo, intus in sola cogitatione redditur Deo. Christum vero ideo laudant, quia huius spiritualis cultus primus fuit aut certe praecipuus initiator. Caeterum, idem ipse Christus nusquam cogitavit de abrogando cultu Iudaico ut ei novam exteriorem religionis formam substitueret, imo ad mortem usque, ut temporibus se accommodaret, mosaicae legis observantias implevit. Sed post passionem eius, ex aemulatione apostolorum Petri et Pauli factum est ut prodiret Ecclesia a Synagoga distincta, et mixtione duplicis elementi efformata: elementi quidem iudaici cuius assertor fuit Petrus, et elementi spiritualis quod attulit Paulus, prout levibus sane indiciis ex Actibus apostolorum et ipsius Pauli epistolis, praesertim ad Galatas, docti illi viri persuadere volunt.

Hactenus ergo simplex status quaestionis expositio. Huic iam succedere debet sententiae catholicae demonstratio, quae duabus sequentibus propositionibus perficietur.

« tuato supremi episcopi, non minus et eodem iure sic dictam Eccle-
« siam nationalem gubernent, sicut sub nomine principis regunt alias
« res politicas ac civiles. Quod vero dicunt, principem non regia pote-
« state, sed velut membrum praecipuum Ecclesiae fungi supremo illo
« episcopatu, patet hanc fictionem ad illudendum plebibus excogitatam,
« quoad rem ipsam nullius esse pretii, praesertim cum ex principiis
« Protestantismi paulo ante expositis, de nullo sive rege sive magistratu
« constare possit ipsum esse membrum verae ecclesiae. Si autem eum
« dicunt solummodo membrum praecipuum massae illius quae non est
« vera Ecclesia, evidenter totum hoc negotium supremi episcopatus po-
« liticum est, fundatum in potestate regia et civili, nequaquam vero in
« praerogativa membri Ecclesiae ». Hactenus Card. Franzelin, statum quaestionis apud Protestantes fideliter referens.

THESIS I.

Christus in terris adveniens Mosaicae religioni finem dedit, Ecclesiamque suam ut adimpletionis oeconomiam in quam transiret Vetus Testamentum, primum quidem praedicando annuntiavit, tum in praeparatione proxima antequam pateretur disposuit, denique a mortuis resurgens in acto ultimo fundavit. Quae etiam statim post christianam Pentecosten, tanquam perfecta atque distincta a Synagoga societas, vitam agere propriam, et sese per mundum expandere coepit.

Haec directe sunt ad destruendum commentum eorum rationalistarum, quibus iuxta superius declarata asserere placet, Christum nunquam constituendae societati religiosae, praesertim a Synagoga distinctae, intendisse; sed unice atque exclusive fuisse in tradendo morum regulas, puta in docendo mansuetudinem, charitatem, pietatemque erga Deum et proximum. Nam licet ista contra omnem verosimilitudinem et historiae fidem dicantur, tamen inveniunt favorem apud eos quos in ordine ad excutiendum exosum religionis iugum, nulla non movet rationum inanitas. Removendum ergo commentum huiusmodi, considerando fundationem Ecclesiae in fieri et in facto esse. In fieri quidem, secundum historiam evangelicam narrantem quid dixerit et fecerit inter nos Dominus Iesus a baptismate Ioannis usque ad ascensionis diem; tum praeterea in facto esse, iuxta ea quae de initiis christianae societatis in Actibus apostolorum referuntur.

§ 1.

Prae primis, quod attinet ad collatam a Christo operam in suae Ecclesiae aedificatione, tres veluti gradus facile distinguuntur. Primus fuit annuntiatio novae oeconomiae religionis quae iamiam abrogando Veteri Testamento succederet. Secundus fuit praeparativa eius actuatio ante consummatam passionem crucis. Tertius, definitiva constitutio post resurrectionem, id est, per illos quadraginta dies quibus praebuit seipsum vivum, *apparens*

eis et loquens de regno Dei, ut dicitur Act. I. Singula ergo per ordinem percurrenda.

Annuntiatio novae oeconomiae religionis. — Praevia annuntiatio instantis iam mutationis quam futuram vates praedixerant, pertinuit ad praecursorem. Ipse enim limes antiqui et novi Testamenti, ipse prophetarum ultimus necnon et maximus, per quem prophetia vetus ad terminum perducta fuit, demonstrato atque indigitato eo in quo suam adimpletionem esset habitura. Ipse demum totius praecedentis oeconomiae consummator, cuius ministerio Lex protestata est finem sui advenisse, homines remittendo ad *eum cui,* ut moriens Iacob praedixerat, erat repositum sceptrum. Propterea, testantibus evangelistis, venit Ioannes in omnem regionem Iordanis dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (1). Propterea suum baptismum ex familiari Spiritus Sancti instinctu legitur instituisse, utique per modum professionis poenitentiae in ordine ad susceptionem legis messianicae mox publicandae. Propterea accessit et Christus hunc baptismum suscepturus, ut turbae eorum qui ad ripas Iordanis convenerant immixtus, signo columbae super eum descendentis et indicio vocis de coelo emissae, manifestaretur tanquam ipse Messias cuius expectabatur regnum. Abhinc ergo sumenda est solemnis introductio Iesu Christi apud populum Israel.

Verumtamen publica eius praedicatio proprie non incepit nisi duobus circiter post mensibus, quando ad incarcerationem Ioannis cessavit ministerium hominis missi a Deo ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet viam ante Salvatorem. Nam *cum audisset Iesus quod Ioannes traditus esset,* e terra Iudaeae ubi erat baptizans (2) *secessit in Galilaeam, et exinde coepit praedicare et dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (3). Et iam in ipso itinere Galilaeam versus, cum transiret per Samariam, habuerat cum muliere celebre colloquium in quo ineundae praedicationis principale argumentum de integro continebatur. Interrogatus enim circa obiectum controversiae inter Samaritanos et Iudaeos exsistentis de loco in quo adorare, id est sacrificare oporteret, responderat: *Mulier, crede mihi, quia*

(1) Matth. III, 2.
(2) Ioan. III, 22.
(3) Matth. IV, 12-17.

venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est. Sed venit hora, et nunc *est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, nam et Pater tales quaerit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Quibus verbis tria fecerat Christus. Primo quidem docuerat venire horam quando otiosa atque superflua evaderet mulieris interrogatio, eo quod nova religionis oeconomia esset subroganda, in qua ab ortu solis usque ad occasum adoraretur Pater, oeconomiam scilicet cultus christiani qui non amplius uni loco sicut cultus mosaicus alligatur, manifeste designans. At secundo, ne videretur aequiparasse Iudaeos cum Samaritanis, declaraverat iuxta prophetiam Iacob cui evidens allusio fiebat, veram religionem hactenus permansisse apud Iudaeos, non vero apud Samaritanos qui suo schismate ab unitate populi Dei defecerant. Ultimo, novum cultum mox introducendum opposuerat, tum cultui Samaritano qui nequidem erat *in veritate,* utpote falsus et a Deo reprobatus, tum etiam cultui Iudaico qui etsi verus et legitimus, non tamen erat *in spiritu,* quatenus propter carnalitatem gentis tot materialibus conditionibus debuerat onerari, ut elementum eius praedominans videri potuisset magis esse corporalis exercitatio quam interior devotio. Ex quo intelligere dederat, rem e converso se habituram in nova oeconomia in qua erat adorandus Pater. Uno demum verbo annuntiaverat Christus « cessationem « adorationis tam secundum ritum Iudaeorum adorantium in Ie- « rusalem, quam etiam secundum ritum Samaritanorum adoran- « tium in monte Garizim. Uterque enim ritus cessavit veniente « spirituali Evangelii veritate secundum quam in omni loco Deo « sacrificatur, ut dicitur Malach. 1 » ([1]).

Sed quod in privato colloquio mulieri edixerat, omnibus iam modis publicare parabat sive per se, sive per discipulos. *Exinde coepit praedicare et dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (Matth. IV, 17). *Venit praedicans evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, poenitemini et credite Evangelio* (Marc. I, 15). *Circuibat totam Galilaeam docens in synagogis eorum*

([1]) S. Thom. 2-2, Quaest. 84, a. 3, ad 1[um].

et praedicans evangelium regni (Matth. IV, 23). *Duodecim misit Iesus praecipiens eis: Euntes praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum* (Matth. X, 5-7), et alibi frequenter. Quid ergo nomine regni coelorum hic veniat, accurate inspiciendum est.

Porro regnum coelorum evidenter est regnum messianicum seu ordinatio hominum sub Messia legislatore et rege, in ordine ad finem sempiternae beatitudinis. Istud est regnum de quo Christus ad Pilatum: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis, nunc autem regnum meum non est hinc.* Et hic nota quid sit, regnum Messiae non esse ex hoc mundo. Videlicet, non habet originem ex causis mundanis et factis humanis, quia nec etiam habet finem terrenorum seu mundanorum regnorum quae et a natura oriuntur, et ad bonum naturale imo temporale sunt ordinata. Nam duplex est finis respectu cuius dari potest hominum coordinatio sub supremo duce et imperante: finis politicus temporalis quem significat Apostolus 1 Tim. II, quando orandum esse dicit pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus; tum finis simpliciter ultimus qui est beatitudo aeterna, eaque in praesenti providentia supernaturalis seu transcedens omnes naturae exigentias. Itaque, sicut potestas regalis, ita et regnum dividitur generaliter in temporale et spirituale. Non quod spirituale constet invisibilibus personis aut mediis, sed quia a fine sibi proprio suam accipit denominationem, quae omnino aequivalet evangelicae appellationi *regni Messiae,* vel *regni Dei,* vel *regni coelorum.* — Nunc autem, hoc idem regnum coelorum in duplici statu consideratur. « Nomen regni, inquit S. Thomas in IV, D. 49, Quaest. « 1, a. 2, a regnando est sumptum. Regere autem providentiae « actus est. Unde secundum hoc aliquis regnum habere dicitur, « quod alios sub sua providentia habet, et ideo secundum hoc « homines in regno Dei esse dicuntur, quod eius providentiae « perfecte subduntur. Providentiae autem est ordinare in finem; « in finem autem ordinantur et ea quae distant a fine secundum « quod perducuntur ad finem, et ea quae iam assecuta sunt finem « secundum quod in fine conservantur. Et cum regula providen- « tiae sit finis, illa perfecte providentiae subsunt, quae iam in « ipso fine collocantur, et ideo in eis nihil potest esse ab ordine « providentiae alienum. In aliis autem quae a fine distant, se-

« cundum hoc magis vel minus divinae providentiae subsunt, « secundum quod magis et minus a fine elongantur. Propinquis- « simi sunt fini, qui sunt in via ad finem; via autem perveniendi « ad finem est fides per dilectionem operans. Unde et regnum Dei « quasi antonomastice dupliciter dicitur. Quandoque congregatio « eorum qui per fidem ambulant, et sic Ecclesia militans regnum « Dei dicitur. Quandoque autem illorum collegium qui iam in « fine stabiliti sunt, et sic ipsa Ecclesia triumphans regnum Dei « dicitur, et hoc modo esse in regno Dei idem est ac esse in « beatitudine ». Quapropter in praedicatione etiam Christi manifesta apparet distinctio inter regnum caelorum seu regnum messianicum, de quo statim in terra constituendo aiebat: *Quoniam impletum est tempus, appropinquavit regnum Dei, poenitemini et credite evangelio,* et regnum coelorum in fine temporum solemniter dedicandum, *cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab haedis, et dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* — Insignis inter alia est locus apud Lucam XVII, 20 et seq., ubi regnum Dei in eadem periodo secundum utramque acceptionem invenitur a Christo successive adhibitum. Interrogabant enim Pharisaei, *quando venit regnum Dei*, puta regnum Messiae in gloria, quod solum a Iudaeis ut iam imminens expectabatur, sed in Evangelio non ad primum, bene vero ad secundum Christi adventum constantissime refertur. Respondit autem Iesus: *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Quo in loco sumitur primo regnum Dei in eo sensu quem ferebat interrogatio, videlicet pro regno gloriae; in posteriori autem inciso, pro regno quod tunc in terris per Messiam erat constituendum. Et sensus est: Hoc regnum Dei quod vos cogitatis, non venit cum observatione, quia minime praesciri poterit quando venturum sit; veniet enim ut fur et tanquam laqueus in omnes qui sedent super faciem omnis terrae. Nec cum probabilitate ulla dicere poterunt: ecce hic aut ecce illic, quia non solum proprium eius erit ex improviso revelari, verum etiam cum tanta evidentia tantaque claritate in toto mundo manifestari, ut cum vere aderit, non amplius futurum sit obiectum coniecturarum aut discordantium inter ho-

mines opinionum. Quippe, sicut fulgur coruscans de sub coelo, in ea quae sub coelo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die sua. Non ergo cum observatione venit regnum istud, sed nec necesse est ut sic veniat, *ecce enim regnum Dei intra vos est*, videlicet regnum Dei praesens quod est futuri praeparatio et via ad ipsum. Hoc, inquam, regnum est in medio vestri et in vestra potestate, quia vobis iam adest Christus ad se vos vocans, et ideo de hoc regno suscipiendo omnis cura est impendenda, quin de tempore alterius ulla sit admittenda sollicitudo.

Itaque regnum de quo dicebat: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum,* et alia superius relata, erat sine dubio regnum messianicum inter homines viatores iam tunc instituendum, ut permaneret usque ad regnum gloriae quod in secundo adventu revelabitur. Hoc est regnum (utique *in* hoc mundo exsistens, quamvis non *ex* hoc mundo), ad quod pertinent parabolae omnes in capite XIII Matthaei relatae. Parabola quidem seminantis describens praedicationem fidei, per quam vocantur homines ad regem qui venit testimonium perhibere veritati ([1]); parabolae de thesauro et margarita ostendentes quanti pretii facienda sit ista vocatio; parabolae granis sinapis et fermenti, in quibus ipsius regni initia, progressus, et modus evolutionis praenuntiantur; parabola quoque sagenae piscium monstrans bonos et malos in eo permixtos donec veniat illa saeculi consummatio in qua exibunt angeli separantes malos de medio iustorum. Hoc denique regnum est quod alias exhibet Christus sub typo ovilis in quo non iam unius gentis, sed omnis nationis homines erunt. *Et alias,* inquit, *oves habeo quae non sunt ex hoc ovili,* scilicet ex gente Iudaica, *et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.* Sed et eodem hoc regno certam significari religionis oeconomiam, a ritu mosaico plane distinctam, et iam antiquatae legi mosaicae subrogandam (eo prorsus pacto quo adveniens veritas subrogatur umbraticis praefigurationibus), omnes omnino Evangelii paginae protestantur.

Sane vero, vel ipsa nomina *regni Dei* et *regni coelorum* proprium religionis finem important, adeoque sponte sua signant oeconomiam respicientem ea quae sunt ad Deum, sive determinatam rationem religationis ad ipsum. Insuper, eiusmodi ratio-

([1]) Ioan. XVIII, 37.

nem religionis esse omnino distinctam ab ea quae per ministerium Moysis fuerat introducta, evidentius apparet quam ut indigeat pluribus demonstrari. Expresse enim ei opponitur ut quae debeat ei succedere: *Lex et prophetae,* inquit, *usque ad Ioannem, ex eo regnum Dei evangelizatur* (1). In tantum etiam ei antefertur, ut quamvis maior propheta inter natos mulierum Ioanne Baptista nemo sit, tamen *qui minor est in regno coelorum, maior sit illo* (2); in quo quidem non fit comparatio quoad personalem sanctitatem, uti evidenter constat, sed quoad conditionem status. Cum enim tota vetus oeconomia se habeat ad regnum Christi sicut quoddam eius vestibulum, eodem sensu maior Ioanne edicitur ille qui in regno coelorum minimus est, quo sensu minimum filiorum domus diceres digniorem praestantissimo etiam eorum qui atrii sive vestibuli servitio sunt addicti. Rursus ad rem faciunt haec verba directa ad Pharisaeos: *A diebus Ioannis Baptistae regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (3). A diebus Ioannis Baptistae, inquit, id est a prima eius annuntiatione. Vim patitur, et quare? profecto quia non potest suscipi quin multae truncentur necessitudines, et inveterata abiiciantur praeiudicia, inter quae illud praecipuum: penes Iudaeos fore semper religionis principatum, patriumque ritum nusquam abolendum. Ad idem etiam referuntur loca omnia in quibus a regno caelorum excludendi praedicuntur Iudaei (4); excludendi autem, non propter repudiatum ab eis ritum mosaicum, sed imo propter rationem e diametro oppositam. Et alia innumera sunt in eamdem omnino collineantia sententiam, quae tamen commemorare nunc non vacat, quia iam certissime concludere licet, annuntiationem regni coelorum in predicatione Christi nihil aliud fuisse nisi proclamationem adventantis finis Iudaismi et initii novae oeconomiae religionis, pro quanto nova dici potuit ea per quam non sol vebatur Lex, sed potius adimplebatur. Ast hactenus nihil plus quam annuntiatio, quae quomodo transierit in actum, nunc videndum est.

Proxima Ecclesiae praeparatio ante consummatam passionem crucis. — Proximam dixi praeparationem, quia usque

(1) Luc. XVI, 16.
(2) Matth. XI, 11.
(3) Ibid. XI, 12.
(4) Matth. XXI, 43, XXIII, 38, etc.

ad mortem Christi viguit oeconomia vetus, et omnes eius observantiae manserunt obligatoriae. In sanguine enim aeternae redemptionis dedicatum est testamentum novum, dicente Apostolo: *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est* (1). Hinc est quod ante passionem, ea quae spectant fundationem Ecclesiae et collationem potestatis ei propriae ubique enuntiantur in futuro: *Aedificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves regni coelorum* (Matth. XVI-18); *quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata in coelo* (Matth. XVIII-18). Post resurrectionem vero, omnia sunt de praesenti: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Ioan. XX-21); *pasce agnos meos, pasce oves meas* (Ioann. XXI-17); *euntes docete omnes gentes, baptizantes..., docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII-19). Ideoque, per tres annos praedicationis et apostolatus Iesu Christi, praeformatam tantum videmus Ecclesiam, quamvis ita praeformatam ut iam in actu primo proximo appareat constituta, cui scilicet nihil deerat nisi ultimae impositio formae.

Sane vero, vel a principio institutum est et ministratum baptisma Novae Legis, per quod aggregavit sibi Dominus primos fideles velut initium aliquod regni sui. Legitur enim apud Ioannem statim post relatum colloquium cum Nicodemo (quod in primo exordio vitae publicae indubitanter ponendum est): *Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat* (2). Et infra: *Ut ergo cognovit Iesus quia audierunt Pharisaei quod Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Ioannes, reliquit Iudaeam et abiit iterum in Galilaeam* (3), ubi iuxta ea quae superius praemissa sunt, adventum regni caelorum incepit praedicare. Atqui haec certo certius intelliguntur de baptismo distincto a baptismo Ioannis, id est, de baptismo illo quem ipse Ioannes annuntiaverat dicens: *Qui post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Illum dico baptismum paulo supra revelatum Nicodemo (cum sermo esset de renascentia et ingressu regni Dei), quem postea Christus, Matth. XXVIII-19, ad omnes gentes mandavit deferendum. Hic igitur prima habes initia communitatis christianae.

(1) Heb. IX, 17.
(2) Ioan. III, 22.
(3) Ioan. IV, 1.

Porro publicatio evangelii per vicos et castella Galilaeae vix inceperat, cum in hac fidelium communitate distinctio ordinum instituitur. Et primo quidem quando Luc. VI-12, vocavit Dominus discipulos suos, eligens *duodecim ex ipsis* quos et apostolos nominavit, eosque constituens in unum speciale collegium multis praerogativis supra caeteros cunctos decoratum (1). Tum postea quando Luc. X-1, *designavit et alios septuaginta duos* quasi ministros secundi gradus, quibus etiam participationem contulit suae propriae auctoritatis in praedicando, ita scilicet ut ex parte eorum ad quos mittebantur, obedientia fidei deberet respondere (2). Verum ea quae spectant summum collegium apostolicum, specialem omnino merentur considerationem. Apposite notat Card. Franzelin quod quamdiu ipse Dominus et magister cum apostolis visibiliter versatus est, alii visibili capiti aut centro unitatis nec locus nec opus fuit. Sed de tempore futuro post suum discessum sese sollicitum ostendebat Christus, et ideo omni oblata occasione monebat et praenuntiabat, aliquem ex ipsis et super ipsos constituendum esse *maiorem, primum, praecessorem,* in regno Dei super terram (3). Quis autem

(1) « Memoratu dignissimum est, quod inde iam nomine collegiali eis proprio, ut unum corpus morale constanter appellantur illi « duodecim cum articulo, οἱ δωδεκα (Matt. X-1, XI-1, XX-17; Marc. « III-14, etc.)... Iam hos duodecim excellentiori munere ab aliis omnibus discretos fuisse, clarum est ex ipso facto et modo electionis : ex « nomine indito *apostolorum* seu legatorum Christi in eius regno; ex « locutionibus hoc distinctum collegium comparantibus cum aliis Christi « discipulis et fidelibus (Luc. XXIV, 9-33); ex modo quo diserte munus « apostolorum ad testificationem authenticam, etiam ante adventum « Spiritus Sancti omnino distinguitur, in oppositione ad testes quosvis « alios quantumvis fide et scientia idoneos (Act. I-21 et seq.). Verum his « omnibus opus non est. Tota enim Christi oeconomia luculenter demonstrat specialem relationem quam habent apostoli in regno Dei, tum ad « Dominum a quo mittuntur, tum ad alios discipulos universos sive unitos sive uniendos, pro quibus mittuntur ». Franzelin, de Eccles. Thes. 8.

(2) Luc. X, 16.

(3) « Ubi sermonem habet de suo abitu ab apostolis, fere semper « coniungitur quaestio inter ipsos, *quis eorum videretur esse maior?* « Nullum ergo adhuc noverant iam tunc maiorem inter ipsos, aliquem « tamen futurum pro tempore constituti regni Christi in terris, omnino « certum habebant. In responsionibus Domini ad has eorum quaestio-

ille ex duodecim foret, verbis insinuabat et factis (1); tum vertente tertio suae praedicationis anno, explicite etiam declarabat, annuntiando simul proximam suam passionem ac mor-

---

« nes, explicite vel implicite haec tria solent contineri : Nullum adhuc « esse constitutum inter ipsos maiorem, seque solum esse eis ducem « ac magistrum; esse tamen sui loco non amplius cum eis visibiliter « versaturi, aliquem ex ipsis constituendum *maiorem* ac *praecessorem;* « hoc ab eo impertiendum ministerium in exercenda potestate, longe « diversum esse ab ambitiosa dominatione principum inter gentes, ita « ut praecessor licet potestate maior, humilitate tamen sentiat se omnium « ministrum, ad exemplum ipsius Domini ac Magistri, videlicet exer- « cendo potestatem maioris, non ad suum commodum et ambitionem, « sed ad fructum et salutem communem in regno Dei. Luc. XXII, 24, « Marc. IX, 34, Matth. XXIII, 11, etc. » Franzelin, ubi supra.

(1) « Praeparatio (primatus in Petro) iam continetur in prima sta- « tim Simonis vocatione : *Intuitus eum Iesus dixit, tu es Simon filius « Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* In electione et « iterum in missione duodecim apostolorum, hoc nomen *Petrus* expres- « sius notatur, et ratione huius nominis et rei significatae, non solum « ordine ubique primus ponitur, sed etiam diserte primus inter apo- « stolos esse declaratur (Luc. VI, 14, Matth. X, 2, Marc. III, 16). « Factis ipsis eum Dominus tanquam praecessorem a reliquis discrevit. « Non solum inter eos quos ad peculiarem confidentiam admisit, ubique « primus notatur Petrus, sed fere cum ipso solo prae aliis divinus Ma- « gister agere videtur. In transfiguratione *assumpsit Petrum et Iacobum « et Ioannem... Petrus vero et qui cum illo erant gravati erant somno, et « evigilantes viderunt maiestatem eius... Ait Petrus ad Iesum : praeceptor, « bonum est nos hic esse.* Ad agoniam in monte Oliveti, *assumpsit Pe- « trum et Iacobum et Ioannem secum..., et venit et invenit eos dormientes, « et ait Petro : Simon, dormis, non potuisti una hora vigilare mecum?* « Iubet Petrum laxare retia ad capturam piscium, et cum ad prodigium « stupor circumdederat eum et omnes qui cum illo erant, similiter « autem et Iacobum et Ioannem..., *ait ad Simonem Iesus : Noli timere, « ex hoc iam homines eris capiens.* Cum apostoli videntes Iesum super « mare ambulantem turbati dicunt quia phantasma est, *respondens Pe- « trus dixit : Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas, et ipse « ait : veni..., et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum.* Cum « colligentes didrachma quaerunt : Magister vester non solvit didrachma? « Filius Dei patrat miraculum ut solvat pro se simul et Petro, tanquam « una secum persona iuridica : Tolle piscem, *et aperto ore eius invenies « staterem, illum sumens da eis pro me et te* ». Franzelin, l. c.

tem (1); denique eumdem rursus diserte designabat in supremae nocte coenae, dum suum condebat testamentum, et ultimum vale in hac mortali vita dicebat suis (2). Huic igitur uni plenam potestatem supremamque in suo regno promittebat auctoritatem, prout multis argumentis contra adversariorum cavillationes infra ostendetur, interim vero ex obvio et naturali verborum sensu absque ampliori discussione affirmare licet. Verumtamen non sic uni Petro claves regni coelorum asserebat esse repositas, ut apostolici collegii auferretur praerogativa. Unde paulo post celebrem illam declarationem factam in partibus Caesareae Philippi, regendi auctoritas omnibus apostolis, salva interim subordinatione ad caput cuius manet immobile privilegium, committenda annuntiabatur his verbis: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; amen amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (3). Et sic apparet preparata in actu primo proximo distinctio membrorum Ecclesiae, prout sunt iuribus et officiis inaequalia: eorum scilicet qui reguntur et habent debitum obediendi, tum eorum qui regunt et sub Christo principantur secundum ordinem hierarchicum in suis essentialibus constitutivis iam ex tunc praedeterminatum.

Quin et quoad universalitatem seu omnimodam catholicitatem, in eadem periodo vitae mortalis Iesu Christi praeformatam videmus Ecclesiam. Equidem verum est quod de sua personali missione protestabatur Dominus dicens: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.* Imo, cum in experimentum vitae apostolicae mittebat duodecim, dicebat eis: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel.* Et sane, iis quorum erat adoptio et testamentum et promissa, per prius perferri oportebat evangelium, praesertim quia, ut continuatio

(1) Matth. XVI, 13-19. Et statim post verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc., sequitur: « Tunc praecepit discipulis suis ut « nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus. Exinde coepit Iesus « ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire in Ierosolymam, et « multa pati a senioribus..., et occidi, et tertia die resurgere ».

(2) Luc. XXII, 31-32.

(3) Matth. XVIII, 18.

religionis ab ipso mundi exordio usque ad christianam legem illustrior appareret, necesse erat assumi ex Iudaeis primam Ecclesiae compagem, cui deinde accederent Gentiles velut oleaster trunco bonae arboris insertus, et iam socius effectus radicis ac pinguedinis olivae (1). Sed interim omnibus modis ovile suum Gentibus destinatum esse inculcabat Christus: *Multi*, aiebat, *ab Oriente et Occidente venient, et recumbent in regno coelorum* (Matth. VIII-11). *Ideo dico vobis* (Iudaeis), *quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (Matth. XXI-43). Ad discipulos autem: *Ad praesides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus* (Matth. X-18). Et rursus: *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio* (Matth. XXIV-14). Et non verbis tantum, sed et factis gentiles in regnum suum mox advocandos ostendebat, sive cum apud Samaritanos *mansit duos dies*, sese eis manifestans Salvatorem mundi (Ioan. IV-40), sive cum chananaeae et centurionis exaudivit preces, sive praesertim cum in die palmarum, gentilibus quibusdam quaerentibus eum videre, exultavit in spiritu dicens: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Ioan. XII-23). Ubi profecto alludebat ad proximam suam passionem et ad gloriosa eius consectaria in conversione Gentium, iuxta notissima omnium prophetarum vaticinia (2).

Nec denique praetereundum quod in ipsa nocte in qua tradebatur, novum illud sacrificium mulieri Samaritanae tribus ante annis annuntiatum instituebat; sacrificium videlicet commemorativum mortis suae, subrogandum veteribus hostiis quae fuerant eiusdem praenuntiativae. Quia cum ab origine generis humani cruore victimarum passurus prophetizatus fuisset Christus, peccatumque mundi in suo sanguine ablaturus, nunc demum novum erigebat altare quod est altare Ecclesiae, in quo ad finem usque annuntiaretur completum quod prius futurum sperabatur. « Antiqui celebrabant figuras futurae rei..., et venit sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum, caeterarumque victima-

(1) Rom. XI, 17.
(2) Cf. Franzelin, ubi supra.

« rum; noluit illa Deus. Quare illa noluit? quare primo voluit? « Quia illa omnia quasi verba erant promittentis, et verba pro- « missiva, cum venerit quod promittunt, non iam enuntiantur. « Tamdiu quisque promissor est donec det, eum dederit, mutat « verba. Non dicit adhuc, *dabo* quod se daturum dicebat, sed dicit, « *dedi;* mutavit verbum. Quare illi primo placuit hoc verbum, et « quare illud mutavit? Quia temporis sui verbum fuit, et pro « tempore suo placuit. Quando promittebatur, tunc dicebatur. « Cum autem datum est quod promissum est, ablata sunt verba « promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa, tanquam « verba promissiva, ablata sunt. Quid est quod datum est com- « pletivum? Corpus quod nostis... *Sacrificium,* inquit, *et obla- « tionem noluisti.* Quid ergo? Nos iam hoc tempore sine sacri- « ficio dimissi sumus? Absit. *Corpus autem perfecisti mihi.* Ideo « illa noluisti ut hoc perficeres, illa voluisti antequam hoc per- « ficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Nam « si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est quod pro- « missum est. Hoc promittebatur quibusdam signis. Ablata sunt « signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa » ([1]). Hinc in ultima coena accipiens panem benedixit, fregit, deditque discipulis dicens: Accipite et manducate, *hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Et similiter calicem postquam coenavit, dicens: Accipite et bibite, *hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.*

Ergo, quando pergebat ad crucem Christus, iam erant instituta sacrificium N. L. et duo praecipua sacramenta quae sunt baptismus et eucharistia; iam initiata societas regni coelorum in pusillo discipulorum grege; iam designata hominum universalitas é qua per totum orbem erat evocanda; iam denique praeparata eius hierarchia per promissiones factas duodecim apostolis et specialiter Petro. Quid ergo adhuc desiderabatur, nisi ut apostoli actu acciperent suam missionem in mundum, ut actu investirentur potestate ad successores in perpetuum transitura, ut externa media applicativa redemptionis aeternae fierent non solum exsecutoria, sed et obligatoria quoad omnes gentes, ac

([1]) **Augustinus**, Enarrat. in Psalm. 39, n. 12.

per hoc, definitive sanciretur ordo coaptationis hominum sub capite Christo in regno Dei super terram? Et hoc est quod ultimo factum novimus in diebus qui inter resurrectionem et ascensionem, ut Leo Papa dicit, non otioso transiere decursu. Hinc:

Ultima Ecclesiae constitutio post Christi resurrectionem. — Omnia in tribus apparitionibus peracta leguntur. Prima accidit ipso resurrectionis die in coenaculo ubi erant undecim congregati: « Dixit eis iterum, pax vobis, *sicut misit me Pater et* « *ego mitto vos* » (1). Altera fuit ad mare Tiberiadis, cum post miraculosam capturam piscium collata est Petro pastoralis potestas in integrum gregem: « Dicit ei: *pasce agnos* (agniculos) « *meos*... Dicit ei: *pasce agnos meos*... Dixit ei: *pasce oves meas* » (2). Ultima demum in monte Galilaeae, quando « undecim discipuli « abierunt in Galilaeam, in montem ubi constituerat illis Iesus, « et accedens Iesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis « potestas in coelo et in terra. *Euntes ergo docete omnes gentes,* « *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, do-* « *centes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce* « *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem* « *saeculi* » (3). His namque solemnibus declarationibus instituebat hierarchiam apostolicam, id est, ministerium legatorum potestate fungentium in suo regno, quatenus sicut ipse missus fuerat a Patre ut regnum acquireret, ita et undecim mittebat ut quae ad regni extensionem et administrationem spectant vice sui perficerent. Hanc etiam hierarchiam instituebat ut mansuram usque in mundi finem, adeoque institutio ipsa non respiciebat exclusive apostolos prout personaliter sumpti mox erant morituri, sed in solidum prout collegium erant, lege successionis perenniter duraturum. Huic denique hierarchiae tanquam capiti ministeriali, (capiti quidem respectu habito ad homines, ministeriali vero, respectu habito ad seipsum), subdebat totum regnum suum. Neque enim ullae sunt oves eius quae a Petro collegii principe pascendae non assignentur, nec ulla est gens aut gentis vel minima pars quae non comprehendatur in horum verborum generalitate: Do-

(1) Ioann. XX, 21.
(2) Ioan. XXI, 15-17.
(3) Matth. XXVIII, 16-20.

cete omnes gentes, baptizantes et docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis. Porro, per institutionem apostolicae hierarchiae complebatur opus aedificationis Ecclesiae. Cum enim Ecclesia sit corpus sive societas cuius Christus est supremum caput, et regnum cuius est rex, tunc profecto ultimo fundata est, quando fuit immobiliter institutus ordo quo homines gubernationem Christi reciperent, eique tanquam subditi et membra adhaererent. Sed haec institutio perfecta fuit in constitutione hierarchiae ministerialis et vicariae, sub qua omnes ad messianicum regnum pertinentes in perpetuum ponebantur. Et confirmatur, quia ex hierarchia regente et hominibus huius hierarchiae auctoritati obnoxiis societas aliqua per se coalescit, hoc est, multitudo hominum, cuiusdam communitatis vinculo adunata in communem finem. Societas autem ista procul dubio illa Ecclesia est, quam Christus, Matth. XVI, aedificaturum se dixerat super apostolici collegii primatem Petrum.

§ 2.

Sed nunc, completae iam institutionis evolutionem inde ab ascensione et descensu Spiritus Sancti considerare oportet, videndumque qualiter viventibus adhuc apostolis granum sinapis excreverit in arborem magnam, et regnum coelorum e Iudaea in totum mundum sese expanderit secundum constitutum a Christo exemplar. Tres autem periodi facile distinguuntur. Prima est quando adhuc solis Iudaeis praedicatum est evangelium, et ex solis Iudaeis nascens coaluit Ecclesia (Act. II-IX). Altera est quando et Gentibus incepit aperiri ostium, septem circiter annis post promulgatam legem novam (Act. X-XV). Tertia est a temporibus quae secuta sunt concilium Ierosolymitanum usque ad praecipuorum apostolorum mortem et Ierosolymae excidium, quando in toto orbe, maxime inter gentes, Christi regnum fuit quaquaversus dilatatum (Act. XVI, seq.).

Nascentis Ecclesiae primum stadium. — Dictum fuerat a Domino ascendente in coelum: *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Quem ordinem apostoli religiose sibi observandum semper duxerunt, et quamvis ipso Pentecostes die characterem catholicitatis Ecclesiae haud obscure attestatus sit Petrus dicens: *Vobis est re-*

promissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster (Act. II-39), de facto tamen usque ad baptismum Cornelii centurionis, nonnisi hominibus Israelitis patuit Ecclesiae ingressus (1). Ratio iam constat ex superius dictis (2); sed et prophetica huius oeconomiae figura praecesserat, quando ad incunabula Salvatoris pastores prius ex vicinis locis, deinde Magi e longinquis terris fuerant advocati (3). Nihilominus, vel a primo hoc stadio, historia Actuum ostendit christianos in societatem religiosam a Synagoga plane distinctam constitutos, qui scilicet baptismate initiati propriis sacris utebantur, propriosque agebant coetus, sub magisterio et regimine apostolorum.

Ad primam Petri praedicationem plures convertuntur. Hos statim iubet Petrus segregari a Synagoga: *Salvamini*, inquit, *a generatione ista prava* (Act. II-40); tum baptizantur et uniuntur in societatem propriam, quae, ut recte Card. Franzelin notat, ipso appositionis nomine significatur: *Et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Subdit porro Lucas: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum*, iugiter eos audientes ut veritates evangelii edocerentur; itemque in *communicatione fractionis panis*, (καὶ τῇ κοινωνίᾳ, τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, ad litteram, in communione, in fractione panis), id est in communione quae est per fractionem panis sive celebrationem Eucharistiae (4),

(1) Profecto omnes illi variarum linguarum homines qui die Pentecostes, loquentes audierunt apostolos, Iudaei erant, ut expresse testatur Lucas, Act. II, 5. Iudaei etiam, Graeci quorum murmur Act. VI-1, fuit occasio electionis diaconorum; dicuntur enim ἑλληνιστες, non ἕλληνες; hellenistarum autem nomine designabantur Iudaei lingua graeca utentes inter gentes. Denique et Samaritani, ante vocationem Cornelii conversi ad fidem, inter Israelitas sine dubio computantur.

(2) Supra § 1.

(3) Cf. de Verbo incarnato, Quaest. 35, ubi de circumstantiis nativitatis Christi.

(4) Certe vox COMMUNIO, κοινωνια, quae usque nunc est in usu ad significandum Eucharistiae sacramentum, expresse atque explicite pro hoc mysterio adhibetur a Paulo, 1 Cor. X-16: *Panis quem frangimus*, inquit, *nonne participatio* (communio) *corporis Domini est?* Οὐχι κοινωνια του σωματος του κυριου εστιν. In eamdem quoque significationem concurrit locutio FRACTIO PANIS, tum in praecitato Pauli testimonio, tum

et orationibus. Et paulo infra addit quod *omnes qui credebant erant pariter, quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem*, quatenus scilicet ad sacra celebranda mysteria domos privatas habebant, ad verbi Dei vero praedicationem et communem omnium precationem templum adibant. Sed et concordant sequentia initiis, dum ubique societas distincta et in dies augescens insinuatur. Ait enim: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una*, (Act. IV-32), et rursus: *Caeterorum autem nemo audebat se coniungere illis, magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum* (VI-13). Et infra referens quomodo Paulus tribus annis post conversionem suam venit Ierusalem: *Tentabat,* inquit, *se iungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus,* donec Barnabas apprehensum illum introduxerit ad apostolos, id est ad Petrum et Iacobum fratrem Domini, a quibus exceptus, omnis in posterum suspicionis immunis fuit (Act. IX, 26-28). Neque solum distincta describitur societas, verum etiam ab apostolis regentibus per omnia pendens, et in tantum quidem ut hi, nondum elapso secundo post ascensionem anno, necesse habuerint primos instituere diaconos, ne a ministerio verbi et sacrorum dispensatione distraherentur. — Ex hac porro segregatione a Synagoga orta est persecutio, non autem vice versa, ut vellent rationalistae, ex persecutione segregatio, prout evidenter attestatur tum ratio agendi Synedrii Iudaici contra apostolos (Act. IV-V), tum historia lapidati Stephani necnon et Sauli

---

infra in relatione institutionis sacrificii N. L., tum praesertim in ipso libro Actuum, XX-7 et seq. *Una autem sabbati* (id est die dominica) *cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosae in coenaculo ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio coenaculo deorsum et sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensque panem et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.* Haec Lucas. At certe circumstantia diei, apparatus loci, longior apostoli concio, omnia ista sacrum coetum inculcant, et vetant ne fractio panis quae indicatur ut praecipuus scopus totius conventus, pro vulgari coena sumatur.

devastantis Ecclesiam (Act. VI-V). Interim vero, vehemens illa persecutio Ierosolymis exorta, in causa erat cur dispergerentur christiani per regiones Iudaeae et Samariae, et ibidem disseminarent fidem Christi. Unde mox ad novellos christianos *qui baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu,* mittebantur Petrus et Ioannes, tum ut eos in fide confirmarent, tum ut sacramentum plenae christianitatis eis conferrent (Act. VIII, 14-21). In quo quidem, quid aliud iterum ostenditur nisi una individua societas sese paulatim expandens extra angustos incunabulorum fines, communionis eiusdem fidei eorumdemque sacramentorum vinculo colligata, sub una eademque apostolica hierarchia? Quin et in his primis initiis, supremi episcopatus Petri illustre invenimus documentum. Nam quando sedata tandem tempestate quae prius saevierat, *Ecclesia per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Spiritus Sancti replebatur, factum est ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddae* (Act. IX, 31-32). Dum petransiret universos, inquit. Quippe, ut notat Baronius ad annum 39, tam optata et tam opportuna a Deo praestita Ecclesiae suae tranquillitate Petrus utitur, et Ierosolymis egressus regiones circumpositas peragrat, ut omnes quae sunt universalis praefecturae functiones exsequeretur et consummaret. Hoc namque sibi vult illud *dum pertransiret universos,* quod de aliis apostolis Lucas non scribit, sed de Petro, cuius muneris fuit universo gregi prospicere (1). Unde Chrysostomus, Hom. 21 in Acta, n. 1-2: « Dicturus est (Lucas) de Petri discessu ad sanctos. « Ne quis ergo putaret id ex metu provenisse, primo narrat ut « se haberent ecclesiae, ostendens ipsum persecutionis tempore « Ierosolymae mansisse; cum autem in tuto erant ubique eccle- « siae, tunc Ierosolymam reliquisse. Non enim quia pax erat, « putabat non opus esse suo adventu... *Quasi dux circuibat, or-* « *dines considerans, quae pars esset coadunata, quae ornata, quae* « *sua praesentia egeret. Vide illum ubique circumcursantem, et* « *primum inventum.* Ubi eligendus erat apostolus, hic primus « fuit; cum dicendum erat Iudaeis non esse ebrios apostolos, « cum claudus sanandus fuit, cum concionandum erat, hic ante

(1) Ad hanc circumstantiam refert Baronius susceptum a Petro episcopatum Antiochenum.

« alios erat; quando agendum cum praefectis, quando cum Anania, « quando ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic « adest, et ubi quaedam dispensanda sunt, ubi vero tranquillae « res sunt, in communi visitat omnes ».

Ergo, vel a prima omnino origine, in ratione autonomae ac distinctae societatis sese exhibebat Ecclesia Christi. Nec prorsus in contrarium est, quod primi illi christiani ex Iudaeis collecti caeremonias mosaicas adhuc servaverint, prout totius consequentia historiae, et praesertim ea quae postmodum in accessu Gentilium provenerunt, satis superque demonstrare videntur. Etenim etiam atque etiam considerare oportet quod transitus a Iudaismo ad christianismum non fuit transitus a falsa ad veram religionem, sed ab una verae religionis oeconomia in oeconomiam aliam, quae iuxta superius iam dicta, ad priorem se habebat ut corpus ad umbram, ut antitypus ad typum, ut adimpletio ad promissionem. « Incarnatio quippe Verbi et occisio ac resurrectio Christi « universorum fidelium salus facta est, et sanguis unius Iusti « hoc nobis donavit qui eum pro reconciliatione mundi credimus « fusum, quod contulit patribus qui similiter credidere fundendum. *Nihil ergo ab antiquis significationibus in christiana re-* « *ligione diversum est,* nec unquam a praecedentibus iustis nisi « in Domino Iesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus « quidem pro divinae voluntatis ratione variatis, sed in idipsum « coruscantibus et legis testimoniis et prophetiae oraculis et obla- « tionibus hostiarum, quia sic congruebat illos populos erudiri, « ut quae revelata non caperent, obumbrata susciperent, et ma- « ior Evangelii esset auctoritas, cui tot signis totque mysteriis « V. T. paginae deservissent, de quibus Dominus profitebatur « quod non venerat solvere legem, sed adimplere » (1). Unde, quamvis in morte Iesu Christi consummatum sit Testamentum Novum, et exinde omni vi obligatoria cadere inceperit lex antiqua, (quod theologi significare solent dicendo legem mosaicam ex tunc mortuam evasisse), non tamen oportuit ut continuo reiiceretur tanquam mortifera, haud secus ac si fuisset diabolicae superstitionis corruptione infecta. Imo vero, per aliquod tempus in fidelibus a Synagoga egressis permanere debuit antiquarum observantia caeremoniarum, simul cum iis quae sunt propria re-

(1) Leo M. Serm. 15 de Pass. c. 1-2.

ligioni christianae, ut scilicet nexus Novi et Veteris Testamenti fieret manifestior, et dum intertexebatur figura veritati, evidentius appareret mirabilis illa successio atque continuatio religionis, sese ab initio evolvens sicut lux quae ab aurora crescit usque ad perfectam diem. Tunc ergo, iuxta celebrem Augustini comparationem, legales observantiae se habuerunt instar honorabilis mortui qui non statim in foveam deiicitur, sed aliquantisper conservatur et ad tumulum deducitur cum debita reverentia, parentum ac necessariorum caterva stipatus ([1]). Nec dubium quin eiusmodi transitionis oeconomia maxime locum habuerit, quando solis adhuc Israelitis coalescebat Ecclesia. Verum, iam instabat eventus qui occasionem suppeditaret, primo quidem solemniter atque authentice declarandi abrogatam obligationem veteris legis, tum deinde diligenter eradicandi praeiudicium quo plerique adhuc tenebantur Iudaei conversi erga mosaicas observantias, usquedum completa tandem sepultura cum destructione templi et eversione Ierusalem, verificaretur id quod dicit Augustinus ubi supra: « Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex « Iudaeis, similiter ea (legalia) celebrare voluerit, tanquam so- « pitos cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus cor- « poris, sed impius sepulturae violator ». Porro, eventus ille praeparativus ad consummatas Synagogae exsequias, fuit accessus Gentilium ad fidem evangelii, cum quo incipit alterum et perquam notabile nascentis Ecclesiae stadium. Tunc enim effecta est iunctura duorum populorum, circumcisionis et praeputii, tam profundis tamque inveteratis inimicitiis inter se invicem hactenus dissidentium, de qua iunctura Apostolus, Ephes. II, 14-22: « Ipse « enim (Christus) est pax nostra qui fecit utraque unum, et me- « dium parietem maceriae solvens inimicitias in carne sua, legem « mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso « in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos « in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in se- « metipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis « (Gentilibus), et pacem iis qui prope (Iudaeis). Quoniam per « ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ergo « iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum « et domestici Dei, superaedificati super fundamentum aposto-

([1]) August. epist. 82, n. 16.

« lorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo « Iesu ».

Secundum nascentis Ecclesiae stadium. — Incipit iuxta computum Baronii anno aerae vulgaris 41, quando Petrus a Deo monitus, edoctusque advenisse tempus admissionis gentium (1), gentilem hominem Cornelium centurionem cum cognatis et amicis eius Caesareae baptizans, cunctis ethnicis aditum ad Ecclesiam reseravit (Act. X). Quae res tam diligenti studio a Luca relata, querelae primum occasio fuit ex parte eorum qui ex circumcisione erant, cum Petrus a Caesarea Ierosolymam reverteretur. At audita narratione facti, *qui aderant tacuerunt, et glorificaverunt Deum dicentes: ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam,* ita ut, prima iunctione duorum parietum in angulari lapide Christo pacifice peracta, exhinc non Petrus tantum et apostoli caeteri, sed ex discipulis complures qui hactenus nonnisi Iudaeis praedicaverant evangelium, gentiles etiam ad Christi ovile colligere inceperint. Subdit enim Lucas: *Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione quae facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phoenicen, et Cyprum, et Antiochiam... Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenaei, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Graecos, annuntiantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.* At vero, ut notat Baronius ad annum 42, quo magis magisque ex gentibus colligenda propagaretur Ecclesia, Paulum quem ad hoc opus elegerat, adhuc Tarsi agentem et quasi sagittam electam in sua pharetra latitantem, Deus educere in medium festinavit. Ad ethnicos enim Antiochiae conversos missus est e Ierosolyma Barnabas, qui hortaretur eos in proposito cordis permanere in Domino; tum ipse *profectus est Tarsum ut quaereret Saulum: quem cum invenisset,*

(1) Apposite notat Card. Franzelin quod in hac circumstantia, « apostolorum principi Petro, non quidem ipsum dogma de destinatione « evangelii pro omnibus gentibus et de universalitate Ecclesiae revelatum est, quod sicut a prophetis praenuntiatum, ita a Christo saepe « disertissimis verbis declaratum fuerat (cf. Act. II 39, III-26); sed « tempus manifestatum est simul cum ratione modoque admissionis « omnium gentium, et exsecutionis testamenti Salvatoris, ut apostoli « praedicarent evangelium omnibus gentibus, omni creaturae, et testes « essent usque ad ultimum terrae ». De Ecclesia, Thes. 14.

perduxit Antiochiam, et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia, et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli, christiani (Act. XI-25). Porro, transacto anno illo, paulo post persecutionem Herodis Agrippae in capite XII Actuum relatam, (quae et de vivis abstulit Iacobum fratrem Ioannis, et occasionem dedit dispersionis apostolorum per universas terras, necnon et adventui Petri in Urbem), iussu Spiritus Sancti factam legimus ordinationem Pauli et Barnabae, dum scilicet sacerdotes qui aderant Antiochiae (1), in celebratione sacrorum mysteriorum essent occupati: *Ministrantibus autem illis Domino* (graece λειτουργουντων, id est sacrificantibus), *dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* (Act. XIII-2). Exinde igitur, mutato nomine (2), Paulus in campum certaminis egressus suscepit partes specialis apostoli gentium, utpote qui peculiarem de gentilibus ad fidem convertendis haberet a Deo procurationem. Statimque ipse et individuus comes Barnabas, ambo in historia Actuum tunc primum nomine apostolorum recensiti (3), accepto ministerio cum ingenti fructu funguntur in regionibus Asiae minoris et adiacentibus insulis, ubique fundantes ecclesias, constituentesque presbyteros per singulas (4). Tum, expleto opere, redeunt *Antiochiam unde erant traditi gratiae Dei in opus quod compleverunt; cum autem venissent et congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei; morati sunt autem non modicum tempus cum discipulis* (Act. XIV, 25-27). Sic pervenitur ad annum aerae vulgaris circiter quinquagesimum primum.

Sed interim gentilium multitudo in dies accrescens intra Ecclesiae gremium, excitaverat invidiam quorumdam qui erant ex circumcisione, eorumque zelum pro mosaicis observantiis multum exacerbaverat. *Et quidam descendentes de Iudaea docebant*

(1) Inter hos, teste Luca, erat Manahen quem multi suspicantur esse Evodium, immediatum Petri in sede Antiochena successorem.

(2) In Actibus prima nominis *Pauli* mentio habetur post celebratam ordinationem per impositionem manuum. *Saulus autem qui et Paulus* (Act. XIII, 9). Exhinc autem, semper Paulus nominatur.

(3) Act. XIV, 4-13.

(4) Act. XIV, 22.

fratres Antiochiae commorantes: *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Hinc maxima turbatio, repugnantibus per omnia Paulo et Barnaba, quibus necesse visum est, attenta rei gravitate, ascendere Ierusalem ubi pro tempore aderat Petrus (post decretum Claudii quo omnes Iudaei e Roma discedere coacti fuerant), aderat etiam Iacobus minor, imo et Ioannes, ut ex Gal. II-9 coniicere licet. « Tractanda siquidem erat, « ait Baronius, omnium gravissima causa: An scilicet una cum « Evangelio Lex quoque servanda esset, ut qui ex gentilibus ad « christianam religionem se transferrent, ex legis hebraicae praescripto circumcidi deberent, et aliorum legalium observatione « obligari. Instabant pseudoapostoli pro lege Moysi acerrime con« certantes, et partem adversam strenue oppugnantes. Apostolico « igitur haec erant discutienda consessu, definienda consensu, « atque auctoritate firmanda. Iam vero ipsa synodica acta quae « Lucas scriptis consignata reliquit, inspiciamus. Ipse enim in « primis causam eiusmodi cogendi conventus praemittens, sic ait: « *Cum venissent Ierosolymam Paulus et Barnabas, suscepti sunt ab « ecclesia..., Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum « qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere « quoque servare legem Moysi. Convenerunlque apostoli et seniores* « (presbyteri) *videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio « fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quo« niam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire « gentes verbum Evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, « testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis. « Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. « Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices di« scipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? « Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemad« modum et illi.* Hactenus Petri sententia, quam primus ut prin« ceps apostolorum dixit, imo rem ipsam sui praerogativa suf« fragii visus est definisse. Nam (quod ait Hieronymus scribens « ad Augustinum), in sententiam eius Iacobus apostolus et omnes « simul presbyteri transierunt, nec servandam ab illis esse cir« cumcisionem, neque caetera quae pertinent ad legem Moysi, « aeque omnes senserunt.... Sed quid post haec factum sit pro« sequitur Lucas: *Placuit apostolis et senioribus cum omni Eccle« sia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et*

« *Barnaba Iudam et Silam viros primos in fratribus, scribentes* « *per manus eorum.* Epistola autem fuit eiusmodi: **Apostoli et « seniores fratres his qui sunt Antiochiae et Syriae et Cili- « ciae fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus « quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, « evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: Pla- « cuit nobis collectis in unum, eligere viros, et mittere ad « vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus « qui tradiderunt animas suas pro nomine D. N. I. C. Mi- « simus ergo Iudam et Silam qui et ipsi vobis verbis refe- « rent eadem. Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra « imponere vobis oneris praeter haec necessaria: Ut absti- « neatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et « suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene « agetis. Valete.** Hactenus litterae apostolicae ex concilio Hie- « solymitano, quod, ea data epistola, absolutum fuisse, Lucas « qui ad res Antiochenas vertit stylum, significare videtur ».

Verum non levi ista transeunda calamo, quia in tam solemn- circumstantia plurima sunt quae Ecclesiam evidenter commo̓n, strant in ratione distinctae atque perfectae societatis constitutam. Primo apparet luce meridiana clarior separatio a Synagoga, tum quia exorta acri controversia de observantia legis Moysis, non *ad sacerdotes levitici generis,* iuxta praescriptum Deuter. XVII-8 et seq., sed apostolicam hierarchiam cui Petrus praesidet, com- muni omnium consensu iudicium et decisio defertur; tum quiai sicut Concilium ex suprema minimeque dependente potestate agit, (*Visum est,* inquit, *Spiritui Sancto et nobis*), ita eius definitio ut irreformabile decretum seu dogma a cunctis recipitur, (unde infra, Act. XV-41, videmus Paulum perambulantem Syriam et Ciliciam, praecipientemque *custodire praecepta apostolorum et se- niorum,* et iterum XVI-4, tradentem *custodire dogmata quae erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Ierosolymis*); tum de- nique quia decretum ipsum continet authenticam declarationem de eo quod mosaicae caeremoniae minime essent christianis im- ponendae. Quod si insuper rationem habeas sententiae quam in Concilio edixerat Petrus, videbis legales ritus ne ipsis quidem christianis de genere Abraham necessarios habitos fuisse, quamvis propter rationes superius relatas, adhuc in eis tolerarentur. *Per gratiam Domini Iesu Christi,* aiebat, *credimus salvari quemad-*

modum et illi (scilicet gentiles). Quasi dixisset: Per Iesu Christi fidem atque evangelicorum praeceptorum exercitationem credimus nos ad salutem perventuros, non secus ac ethnici salvi fiunt; caeremoniae deinceps neque illis neque nobis proderunt, sed spem omnem in evangelio et I. C. gratia collocare debemus. Haec igitur dicendo, iudaicas caeremonias penitus abolendas fore et de medio omnino tollendas satis innuebat.

Apparet etiam in iis quae de Ierosolymitano Concilio refert Lucas, haud minus perspicua unitas regiminis, necnon et communionis qua in unum regnum, unumque sociale corpus omnes particulares ecclesiae iam coalescebant. Ab uno enim auctoritatis centro normam credendorum simul et agendorum acceptam, hic manifestum est. Quin et suprematiae Petri prout a cunctis indubitanter agnitae illud quoque attestatur, quod cum in Concilio magna hinc et inde conquisitio praecessisset, statim ut ipse sententiam protulit, cessavit agitatio: *Tacuit autem,* inquit, *omnis multitudo.*

Tertio demum apparet exercitium potestatis non modo doctrinalis, verum etiam legislativae quantum ad disciplinam, in imposito praecepto abstinendi a sanguine et suffocato, id est ab esu sanguinis vel animalium e quorum carnibus sanguis non fuit per prius effusus. Neque enim in vi legis naturalis, ut constat, nec in vi legis positivae antecedentis cuius finita declarabatur obligatio, eiusmodi praeceptum imponebatur, sed per legem novam a propria auctoritate apostolica emanantem, similem ei qua etiam nunc ab esu carnium certis diebus prohibemur. Caeterum si huius legis causam requiras, haec affertur potissima: nimirum, ut aliquo (licet in re levissima) remanente usu legalium, Judaei ac Gentiles in unum Christum lapidem angularem facilius necterentur (1). « In Actibus Apostolorum, inquit Augustinus l. 32 c. « Faustum, c. 13, hoc lege praeceptum ab apostolis, ut abstine- « rent gentes tantum a fornicatione et ab immolatis et a sanguine, « id est, ne quidquam ederent carnis cuius sanguis non esset ef-

(1) Ita Baronius (ad annum 51), qui alias utitur pulcherrima hac comparatione: Id instituerant apostoli, compaginationis causa, sicut in parietibus videmus fieri, dum ut superinducendus novus priori constructo firmius inhaereat, prominentes relinquuntur lapides, qui velut nexus quidam, recens erectum sibi coniugant.

« fusus... Et si hoc tunc apostoli praeceperunt, elegisse mihi vi-
« dentur pro tempore rem facilem et nequaquam observantibus
« onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes, propter angu-
« larem illum lapidem duos in se condentem, aliquid communiter
« observarent.... Transacto vero illo tempore quo illi duo parietes,
« unus ex circumcisione, alter ex praeputio venientes, quamvis
« in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprie-
« tatibus distinctius eminebant, ac ubi ecclesia gentium talis ef-
« fecta est ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis iam
« hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non
« attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat
« si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est?
« Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a caeteris ir-
« ridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia ve-
« ritatis: *Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod*
« *exit,* nullam cibi naturam quam societas admittit humana, sed
« quae iniquitas committit peccata, condemnans ». Et de rebus
quidem in concilio Ierosolymitano actis, hactenus.

Sed ecce iam pervenimus ad Achillem adversariorum, videlicet ad ea quae praetermisit Lucas, narrat vero Paulus scribens ad Galatas. Quippe absoluto conventu apostolorum Ierosolymis celebrato, ii omnes quibus commissae fuerant litterae synodales, venerunt Antiochiam ut missionem explerent. Porro Iudas mox abiit, Silas remansit, Paulus vero et Barnabas non parvam moram fecerunt inter Antiochenos, *docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini* (Act. XV-35). Cum autem adhuc ibi essent, supervenit etiam Petrus, et tunc accidit factum notissimum, multis hinc et inde discussionibus versatum: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam,* inquit Paulus ad Galat. II, 11-14, *in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Iacobo, cum Gentibus edebat; cum autem venissent subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt caeteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Iudaeus sis, gentiliter vivis, et non iudaice, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Ecce tibi omne fundamentum quo innixi recentes quidam rationalistae, contra attestationem totius Evangelii, contra historiae evidentiam, contra auctoritatem omnium

saeculorum inde ab initio aerae christianae, contra conscientiam simplicis etiam rationis tantam impossibilitatem respuentis, asserere non dubitant Ecclesiam catholicam non esse opus Iesu Christi, sed ex collisione et sequenti fusione duorum principiorum contrariorum esse natam, Petrinismi scilicet et Paulinismi, ut ipsi dicunt in lingua barbara. Quatenus quidquid in Ecclesia de exterioribus observantiis retinetur, esset quaedam veluti prolongatio mosaici instituti cuius adsertor fuit Petrus, quidquid autem spirituale elementum audit, deberetur influxui eius qui in faciem restitit Petro, et per omnia caeremonias Legis studuit evacuare. Et alibi quidem parturiunt montes ut enascatur ridiculus mus; hic autem e converso, quod sane difficilius est, faciunt parturire murem ut enascatur mons. Sed cum eiusmodi homines principium causalitatis seu rationis sufficientis parum curare soleant, non est cur ab eis quaeras, quaenam tandem esse possit vel apparens proportio inter mirandam Ecclesiae compagem structuramque firmissimam, et casualem illam ab eis somniatam mixtionem contrariorum influxuum. Forte magis laborarent in expediendo se ab evidenti denegatione quam a documentis positivis accipiunt, explicando videlicet cum aliqua saltem specie verosimilitudinis, qui fieri potuerit ut Petrus ab eis traductus tanquam tenacissimus Mosaismi contra Paulum defensor, primus omnium in Ierosolymitano consessu sententiam edixerit de non imponendo Christianis iugum legale; quin imo, in eo ipso loco unde argumentandi principium sumunt, dictus sit gentiliter vivere. Tum vice versa, quomodo Paulus cui contrariam Petro mentem et sententiam et intentionem adscribunt, potuerit circumcidere Timotheum (Act. XVI-3), et postmodum veniens Ierusalem, legales purificationes perficere ad Iudaeorum gratiam sibi conciliandam, oblationesque et vota velut unus de Nazaraeorum numero in templo persolvere (Act. XXI et seq.). Haec quippe iam satis superque ostenderent nullam unquam inter utrumque apostolum esse potuisse sententiarum seu diversitatem seu oppositionem, sed solum quamdam agendi rationem a Petro fuisse imprudenter admissam, quando institutum vitae mutavit occasione Iudaeorum qui a Iacobo Ierosolymis venerant Antiochiam, et tacitum eius exemplum propter supremam personae auctoritatem tantum creasse Ecclesiae periculum, ut iusto zelo commotus Paulus violentum debuerit remedium adhibere.

Et sane, ex ipsa Pauli narratione pro comperto habetur primo, Petrum prius communi more conversatum esse inter Antiochenos tam gentiles quam Iudaeos mosaicae consuetudinis iam desuefactos, sed postea patrias repetivisse observantias, ne scilicet offenderet adventantes Ierosolymitas. Secundo, huic posteriori vivendi modi convenisse nomen simulationis, non quidem directae seu per se intentae, sed certe indirectae, qua quis in facto externo dat aliis de se sentire aliud quam quod intus animo habet. Tertio, Paulum ad reprehensionem Petri nihil aliud adhibuisse quam Petri auctoritatem: *si tu, cum Iudaeus sis, gentiliter vivis et non iudaice, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Haec porro, non solum non infirmant catholicam doctrinam, sed confirmant etiam magis. Non, inquam, infirmant, quia ad summum probant Petrum non fuisse impeccabilem, sed aliquid tunc habuisse in conversatione sua materialiter saltem reprehensibile ([1]), quod scandali occasio fuit, id est occasio perniciosissimae existimationis, quod legalia adhuc essent ex necessitate servanda, et in perpetuum apud christianos retinenda. Et nedum infirment, confirmant etiam magis. Unde enim tanta efficacia solius exempli Petri, nisi ex hoc quod apud omnes communiter habebatur ut caput Ecclesiae et omnium princeps apostolorum? Ecce Paulus

([1]) Dico saltem materialiter, quia nihil est quo iudicetur, Petrum formaliter etiam deliquisse. Nam timor ille de quo Paulus ait: *timens eos qui ex circumcisione erant,* non fuit timor mundanus, sed quo timuit ne isti a fide deficerent. « Petrus quidem discipulis suis palam et « aperte dicere non audebat, ab his (legalibus) penitus abstinendum « esse. Metuebat enim ne forte, si consuetudinem istam ante tempus « vellet evellere, simul etiam Christi fidem evelleret, cum nondum « mens Iudaeorum ob diuturnam anticipatam opinionem circa legem « haec verba posset audire. Et quemadmodum optimus agricola, cum « iuxta veterem arborem teneram plantam conseverit, non audet vete- « rem evellere arborem, metuens ne, radicibus illis avulsis, nova planta « simul evellatur, sed exspectat prius illam recte defigi et in terrae vi- « sceribus radices agere, tum deinde veterem confidenter evellit, neque « iam de planta novella quidquam timet: sic nimirum et beatus Petrus « agebat. Recens plantatam fidem recte defigi in auditorum mentibus « sinebat, ut cum altas radices egisset, confidenter deinde iudaicam « omnem anticipatam opinionem exstirparet ». Chrysost. Homil. in illud *In faciem Petro restiti,* n. 12.

expresse et instanter docebat cessasse legalium obligationem, et summopere cavendum ne apud gentiles christianos eiusmodi ritus introducerentur qui in solis Iudaeis adhuc ad tempus poterant tolerari. Petrus vero nihil omnino docebat quod doctrinae Pauli esset contrarium, sed solo conversandi modo videbatur inducere ethnicos conversos ad amplectendum usus mosaicos, et nihilominus praevalet simplex et nudum Petri exemplum, tum praedicationi apostoli gentium, tum decisioni recens acceptae a Concilio, in tantum ut ipse Barnabas qui testimonio Spiritus Sancti Antiochiae segregatus erat in evangelium, in eamdem traheretur simulationem. Mensurans ergo Paulus periculi magnitudinem ex iam secutis effectibus, in faciem restitit Petro. Non tamen restitit Petro aliquid praecipienti, iubenti, aut docenti, sed aliquid imprudenter agenti unde Ecclesiae damnum imminebat. Neque etiam restitit Petro quasi potestatem in eum exercendo, sed potius remittendo ipsum ad proprium eius sensum, quem antecedens agendi modus satis prodebat. In his autem rerum adiunctis quis unquam dixerit resistentiam non contineri intra iustos limites qui inferiori respectu superioris assignantur? Sed magna dispensatione Spiritus Sancti factum est ut tam solemne factum accideret, quo profundius in animis firmaretur decretum Ierosolymitanum vindex christianae libertatis. Quis enim, ait Baronius, nisi haereticus pertinax de his ulterius disputare praesumpsisset, quibus iam Petrus reprehensione admonitus consensisset? Vel quis sperare potuisset iudaicos ritus introducere in Ecclesiam perpetuo servandos, quorum admissionem nec licuit Petro etiam tacito exemplo ad horam auctorizare? (1).

(1) Haec quidem secundum planum et naturalem litterae sensum. — Fuerunt autem qui dicerent, Cepham illum quem Paulus legitur reprehendisse, non fuisse Apostolum Petrum. Hanc opinionem commemorant Chrysostomus in homilia mox citata. et Hieronymus, Comment. in epist. ad Galatas; huic etiam adhaerent nonnulli ex recentioribus theologis. Sed primo, quis unquam sibi persuadere poterit, Cepham hunc, si ut Chrysostomus refert quosdam dicere, fuisset unus quispiam ex multis, annumerari cum his quos Paulus columnas Ecclesiae appellat? *Iacobus,* inquit, *et Cephas et Ioannes qui videbantur columnae esse,* οι δοκουντες συλοι ειναι, phrasi quidem usitata apud Graecos, qua non significantur ii qui apparent esse id quod revera non sunt, sed ii qui vere magna auctoritate funguntur, et ideo sunt in existimatione (οι

Caeterum, oppositionem inter Petrum et Paulum tanquam inter praecones duorum contrariorum systematum religionis, meram fabulam esse, omni etiam apparenti fundamento destitutam, ex hactenus dictis satis superque constat. Addo demum quod perpetuae concordiae duorum apostolorum testis authenti-

---

δοκουντες εξεχειν, primores populi, οι προυχειν δοκουντες, qui summa rerum potiuntur, etc.). Deinde quis sibi persuadere poterit, Cepham hunc cuius nulla mentio exstat in historia, suo agendi modo potuisse trahere multos, ipsumque Barnabam? Denique, qua tandem ratione adeo insisteret Paulus in reprehensione unius ignoti et nullius auctoritatis viri, quando vult probare sinceritatem suae doctrinae, et ostendere se nihil aliud praedicare quam quod caeteri praedicabant apostoli?

Fuit etiam alia opinio quam late exponit Chrysostomus, et quondam acriter defendit Hieronymus contra Augustinum. Vult totum factum Petri sese a mensis Gentilium subtrahentis, tum Pauli Petrum reprehendentis, fuisse simulatum, quatenus ex pacto inter ambos inito, et materia reprehensionis posita est, et reprehensio ipsa. Videlicet, Petrus et Paulus in eo consentiebant, ut iam a christianis omnibus tam ex gentilitate quam ex Iudaismo conversis removerentur legales observantiae. Atqui Petro, utpote speciali apostolo circumcisionis, speciali opus erat condescendentia erga fideles Iudaeos. Opportunam ergo nacti occasionem cum Antiochiam advenerunt Ierosolymitae, ambo convenerunt ut Petrus iudaizaret et a Paulo publice reprehenderetur, Petro non reluctante, imo silentio suo reprenhensionem approbante, sicque minus odiosa fieret Iudaeis exactio. Nam hoc modo « neque Petrus illam sen-« tentiam introducebat, verum ab alio se coargui, id est a Paulo, per-« mittebat, et silebat ut doctrina facilius posset admitti ». Simili quodam modo, in parlamentis nostris minister quispiam se ex condicto interpellari curat, ut res facilius componat vel etiam resarciat, si opus sit. — At vero, utrum sic diminuatur difficultas, annon potius augeatur, iudicet prudens aestimator. Praeterea, conventionis et pacti nullum ne levissimum quidem in narratione Pauli apparet vestigium. Denique, qua fronte diceret Apostolus: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat,* et iterum: *Cum vidissem quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii,* si ipsemet in eam actionem quam reheprensibilem dicit, consensisset?

Haec sane excogitata fuerunt ut responderetur adsersariis fidei christianae hoc loco abutentibus. Sed non indiget veritas gratuita negatione eius quod magno rationum pondere firmatur, et generatim loquendo, pericolosius est concedenda negare, quam neganda concedere.

cus est Petrus, qui in epistola quam testamenti loco Ecclesiae reliquit, concludit dicens: *Propter quod, charissimi, haec expectantes satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace, et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* (2 Petr. III-14). Testis etiam Paulus ipsemet in epistola quam ad Romanos dedit (eo tempore quo a Roma aberat Petrus, ut declarat Baronius, ad annum Christi 58). Quid est enim quod tantopere desiderabat Ecclesiam Romanam invisere, prout ab initio protestatur his verbis: *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos; desidero enim videre vos* (Rom. I-9). Et iterum in fine: *Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus; ne super alienum fundamentum aedificarem, sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam vos* (Rom. XV-20). Et rursus: *Obsecro ergo vos, fratres, per D. N. I. C., ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudaea, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum* (Ibid. 30). Quid est, inquam, quod nunc contra morem suum non timet super alienum fundamentum aedificare, id est, praedicare evangelium apud eos quibus iam ab alio fuerat annuntiatum, sed ardet desiderio aliquid impertiendi gratiae spiritualis, iis quos instituerat Petrus? An forte ut opus Petri reformaret? Utquid ergo tantis encomiis celebraret florentissimum statum et potentiorem principalitatem illius Ecclesiae, cuius fides, sicut ipse ait, annuntiabatur in universo mundo? Sed sciebat se a Deo destinari Petri coadiutorem in Ecclesiae Romanae fundatione, praesentiebatque extraordinariam commissionem apostoli gentium ibi esse desituram, ubi apostolicae cathedrae vigebat principatus ut merito in finem usque saeculorum de Petro diceretur: *Gloriosi principes terrae, quo-*

modo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati! — Reliquum est ut quae ad tertium primaevae Ecclesiae stadium pertinent paucis attingamus.

Tertium nascentis Ecclesiae stadium. — A temporibus Concilii Ierosolymitani incepit maxima diffusio Ecclesiae inter gentes, tam intra quam extra fines imperii Romani, ita ut paucis post annis, de apostolis loquens Paulus dicere potuerit: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (Rom. X-18). Ubique autem, unius cohaerentis ac distinctae societatis forma, ad normam a Christo in evangelio traditam, exhibetur.

Exhibetur enim societas colligata vinculo unius fidei. Nam, 1 Cor. IV-17, praedicatio apostolica una est *ubique in omni Ecclesia*. Et Coloss. I-6, evangelium unum *in universo mundo est et fructificat et crescit*. Et 1 Thess. I-8, fides Thessalonicensium eadem est cum fide omnium credentium, *non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco*. Et Rom. I-8, fides Romanorum *annuntiatur in universo mundo*. — Exhibetur societas colligata participatione eiusdem sacrificii, eorumdemque sacramentorum. Nam, Heb. XIII-10: *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*. Et Eph. IV-4: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Et 1 Cor. XII-12: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles*, etc. Et supra: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. — Exhibetur societas in qua cunctae per orbem ecclesiae inter se invicem communicant tanquam unius eiusdemque regni partes. « Ecclesia Corinthi constat « *sanctificatis et vocatis* in una societate *cum omnibus qui invocant* « *nomen Domini Iesu Christi in omni loco* (1 Cor. I-2). Christiani, « ubicumque terrarum reperiantur, sunt et dicuntur *fraternitas* « *quae in mundo est* (1 Petr. V-9). In diversis ecclesiis particu- « laribus sunt omnes fratres et membra unius societatis, Ecclе- « siae nempe universalis. Romanos quorum *obedientia fidei in* « *omnem locum divulgata est*, salutant *omnes ecclesiae Christi;* « iisdem commendantur christiani ex aliis ecclesiis, ut eos *susci-* « *piant in Domino digne sanctis;* iis qui Paulum adiuverant, gra- « tias agunt *cunctae ecclesiae gentium* (Rom. XVI, 2-19)... Com- « munio haec est omnium fidelium inter se, cum apostolis, cum

« Christo capite et cum Deo : *Ut et vos societatem habeatis nobi-*
« *scum, et societas nostra sit cum Patre et Filio eius Iesu Christo*
« (1 Ioan. I-3). Ecclesia constat *vocatis sanctis,* et vocati sunt *in*
« *societatem Filii Dei,* adeoque Ecclesia est *societas Filii Dei*
« (1 Cor. I, 2-9) ». — Denique exhibetur societas quae distinctis hominum gradibus ordinibusque diversis coalescat (1 Cor. XII, 14-29); quae coelitus datis pastoribus, dispensatoribus mysteriorum Dei et pro Christo legatione fungentibus, gubernetur (Act. XX-28; 1 et 2 Tim. passim, etc.); in qua etiam apostolica potestas vigeat, non modo legifera et iudiciaria, verum etiam coactiva (1 Cor. V, 3-5; 1 Tim. V-19; Tit. I-13). Ita fere Card. Franzelin, de Eccl. Thes. 14.

Et haec quidem Ecclesiae nascentis ratio non proponitur ut ab apostolis primum inventa, sed tanquam in aeternum a Christo constituta. Nam, « ipse (Christus) dedit quosdam quidem « apostolos, alios autem pastores et doctores ad consummationem « sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, « donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii « Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Chri- « sti ». Ergo tandem de facto fundationis Ecclesiae a Christo nullus remanet ambigendi locus. Reliquum est ut, antequam ad disputationem de notis eius veniatur, ipsiusmet Ecclesiae generales rationes paulo distinctius investigemus. Ad hoc pertinet sequens propositio.

THESIS II.

Ecclesia Christi, ex eiusdem Christi revelatione et instituto est essentialiter visibilis, et ipsa visibilis Ecclesia est Ecclesia promissionum: perennis scilicet atque indefectibilis, in qua et per quam homines sanctitatem et salutem consequuntur, ad quam denique si quis re vel voto non pertinuerit, salvus esse non poterit.

Hic intendimus excludere fundamentalem protestantium errorem de Ecclesia invisibili, destruendo simul dualismum quem ad necessitatem suae causae adinvenerunt, cum distinguentes inter ecclesiam promissionum et ecclesiam quae externo organismo seu exteriori societatis forma instruitur, hanc posteriorem

asserunt non esse de institutione Christi, sed resultare ex factis humanis contingentibus et variabilibus pro locorum ac temporum diversitate, consequenterque dicunt nihil per se referre ad salutem, an huius vel illius vel etiam nullius visibilis ecclesiae membrum quis exsistat (1). Nos igitur eiusmodi commentum explodimus. Non quod omnia ad Ecclesiae rationem pertinentia dicamus esse in se visibilia, absit. Nam iuxta analogiam humani compositi, in Ecclesia a Christo fundata distinguimus **corpus** et **animam**: corpus quod est *socialis organismus sive exterior membrorum compages referens similitudinem corporis physici organici,* tum animam quae consistit *in interioribus habitualis gratiae sive supernaturalis vitae donis.* Verum, sicut corpus et anima non faciunt in humano composito homines duos, ita nec in praesenti ecclesias duas, sed unam. Unam dico ecclesiam in qua anima coniungitur corpori, sic tamen ut corpus ordine naturae praesupponatur animae, et non vice versa, ac per hoc, nemo possit participare de animae vita, quin per prius ad unitatem corporis aliquo saltem modo pertineat. Qua in re adhuc iuvamur analogia desumpta ex physicis, ubi corpus est prius anima in via generationis, et quidquid ab anima vivificatur, non vivificatur nisi pars corporis vel exsistat vel fiat. Itaque visibilem asserimus Ecclesiam propter corpus cui anima unita est. Ipsi autem corpori, sicut in praeliminio quaestionis iam fuit declaratum, duplicem visibilitatem ex Christi instituto inesse profitemur. Primo **visibilitatem quoad esse intrinsecum**, quatenus est quaedam socialis structura quae mediantibus sensibus externis attingi potest in sua propria individualitate, in distinctione ordinum quibus constat, in hierarchia penes quam est regimen, et multitudine ei obnoxia. Secundo **visibilitatem quoad esse revelatum,** quatenus hoc distinctum et individuum corpus religiosum, ex perspicuis quibus adornatur notis innotescit, ut cui revelatio divina attribuit in proprium media supernaturalis vitae, simul cum promissionibus perpetuae assistentiae in ordine ad vitae aeternae finem. Et ista quidem corporis visibilitas talis est, quae visibilem faciat et animam, visibilitate scilicet credibilitatis. Porro ambos visibilitatis modos, quorum prior se habet ut necessarium posterioris praesuppositum, uno brevi verbo comprehensos esse vo-

(1) Vide supra, in Quaest. praeambulo.

umus, ubicumque in posterum visibilis aut discernibilis dicetur Ecclesia, quin necesse futurum sit toties quoties ad explicationem descendere, quae semel pro semper data supponitur.

His itaque rite et ut par est praemissis, ad singulorum declarationem descendimus, demonstrantes in primis, Christum instituisse Ecclesiam determinate ut visibilem. Tum deinde, hanc visibilem Ecclesiam esse omnibus hominibus medium salutis, et quidem necessarium. Attamen necessitatem hanc intelligendam esse sub disiunctione, vel in re vel in voto, prout de sacramentis Baptismi et Poenitentiae iam alias explicatum est.

§ 1.

Prior assertio nimis evidenter continetur in praedemonstratis. Et re quidem vera, ut a generalioribus exordiar, vel nullam omnino ecclesiam fundavit Christus, vel si aliquam fundavit, talem profecto fundavit qualem necessario exigit natura hominum inter quos instituebatur, adeoque visibilem. Visibilem dico visibilitate primum constitutionis, quia non est societas si se mutuo socii non agnoscant, et non est unde homines se ut socios agnoscant, si socialis structura per sensus externos attingi non potest. Visibilem etiam visibilitate discernibilitatis a non genuinis ecclesiis, quia ideo sane fundata est, ut ad eam evocati homines se aggregent. Si ergo non esset discernibilis, frustra et inutiliter fuisset a suo auctore instituta, quod de Christo cogitare nefas. Unde iam ab initio notatum est, protestantes non posse cum qualibet verosimilitudinis specie suam tueri opinionem, nisi penitus destruendo ipsum fundamentalem Ecclesiae conceptum, seu verius, negando omnem divinitus institutam ecclesiam in sensu biblico vocabuli (1). Nam certe in Scriptura N. T., Ecclesiae nomine non venit numerus individuorum dispersorum et in massa humana profunde latentium, sed totum aliquod organice unitum, cuius partes sibi invicem iis nexibus adhaereant qui inter homines esse non possunt nisi visibiles: *Aedificatio constructa*, inquit Apostolus, *crescens in templum sanctum in Domino* (Eph. II-21), et iterum: *Corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis* (Ibid. IV-16).

(1) Card. Franzelin, de Ecclesia, Thes. 21.

Quod si nunc specialiter conferas abnormem illam conceptionem Ecclesiae ponentis tenebras latibulum suum, cum omnibus et singulis quae de institutione Christi in superiori propositione relata sunt, ubique videbis oppositionem adeo radicalem ut nulla maior excogitari possit. Et primo quidem manifestum est Christum fecisse baptismum ianuam Ecclesiae suae, quatenus nemo Ecclesiam ingreditur nisi baptismo initiatus. Id demonstrat factum Christi in evangelio, ubi colligens discipulos ad Ecclesiae inchoationem, primum eos baptizasse legitur (Ioan. III-22, et IV-1); demonstrat iussio qua post resurrectionem iubentur apostoli docere omnes gentes, *baptizantes eos* (Matth. XXVIII-19); demonstrat promulgatio Novae Legis facta in die Pentecostes: *Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine I. C.... Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia* (Act. II, 37-41). Et alia innumera sunt in N. T. eiusdem sensus eiusdemque tenoris, quae propter summam rei evidentiam commemorare non opus est. Nunc autem, si ingressum Ecclesiae in visibili sacramento constituit Christus, eo ipso visibilem ecclesiam instituisse dicendus est, quia absurdum sane foret si ad invisibilem societatem visibilis initiatio essentialiter requireretur.

Praeterea, potestas ligandi et solvendi quae Matth. XVI Petro promittitur, est potestas propria illiusmet regni coelorum quod Christus in terra fundavit. Ait enim: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis,* etc. Non igitur potestas est pertinens ad aliquam ecclesiae formam quae ex humanis factis derivaret, sed ad ipsum proprium ac verum regnum Christi apud nos. At vero, quomodo in ecclesia invisibili in qua omnia membra sibi invicem sunt penitus ignota, locus esset exercitio huiusmodi potestatis? Nam quidquid tandem debeat determinate intelligi per solutionem et alligationem de qua in praesenti, id saltem undequaque perspicuum: solvendi et ligandi ministerium in regno coelorum esse quamdam gubernandi rationem, quae quidem in ridiculam desinit chimaeram, ubi nec gubernator cognoscere potest gubernandos, nec gubernandi gubernatorem.

Adhuc, Matth. XVIII-15 et seq., dicit Dominus: *Si peccaverit*

in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, etc. Quo in loco non sumitur Ecclesia pro omni christianorum multitudine; id enim perabsurdum, tum quia omni multitudini dici non potest, tum quia si posset, nihil iuvaret. Quae enim emendatio sequeretur ex confusae multitudinis correptione? Deinde, illi procul dubio ecclesiae dicendum est, de qua statim subiungitur: *Quaecumque alligaveritis,* etc., quod non ad omnem multitudinem, sed ad solum collegium apostolicum ex toto orationis contextu noscitur pertinere. Sed neque necessario de integro pastorum corpore accipienda hic est Ecclesia, prout ex subiecta materia satis constat. Unde ecclesia nunc vocatur etiam unus particularis praelatus. Sic enim et magistratus qui Rempublicam gerunt sive in toto sive in parte, Respublica vocantur, ut recte adnotavit Maldonatus, et quod ab illis fit, a Republica factum esse dicitur. Itaque: *dic Ecclesiae,* hoc est, denuntia ecclesiasticae auctoritati (1), et si contra hanc auctoritatem contumax exsistat, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Haec, inquam, est obvia et maxime naturalis huius loci expositio, quamvis non omnia ibi contenta ad praesentem demonstrationem necessaria sint. Quacumque enim ratione ecclesiam interpretatus fueris, vel de integra multitudine, vel solum de iis qui potestatem in ea gerunt, profecto non aliam ecclesiam accipias necesse est, quam quae in superiori evangelii capitulo prima vice nominata fuit, cum dictum est: *aedificabo Ecclesiam meam;* non aliam nisi eam quae sola proponitur in omni Scriptura N. T., videlicet veram et genuinam Ecclesiam Christi. Atqui si invisibilis est ista Ecclesia, quomodo locum habebit illud: *dic Ecclesiae?* Si latet, si soli Deo est nota, quomodo poterit ad eam causa deferri, quomodo is qui eam non audierit, reus erit tanti delicti ut pro ethnico et publicano sit habendus?

Rursus, per quadraginta dies post resurrectionem cum suis apostolis conversatus est Christus *loquens de regno Dei,* ut dicit Lucas, Act. I-3; de regno Dei, id est de Ecclesia sua quae iuxta superius praemissa, nomine regni Dei vel regni coelorum in

(1) Cf. Chrysost. Hom. 60 in Matth. n. 2.

evangelio insignitur. Porro, ad huius regni Dei institutionem pertinetne vel non, quod dictum est Petro in apparitione lacus Genesareth: *Pasce agnos meos, pasce oves meas?* Et sermo ad omnes apostolos directus, primo quidem in coenaculo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* tum deinde in monte Galilaeae: *Euntes docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi?* At si in Ecclesia sunt pastor et pascendus grex, si hierarchia docens et ministrans sacra, si legati potestate fungentes quos existimare debet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, quid, quaeso, quo evidentius excludatur protestantica fictio Ecclesiae invisibilis?

Adhuc, ecclesia quam apostoli plantaverunt, fuitne ipsissima Ecclesia a Christo fundata, vel alia? Si aliam dicis, ergo apostoli non erant apostoli, scilicet missi ad exsequendum id quod in domini sui voluntate erat, aut certe suo muneri defuerunt, et ex consequenti non habuerunt de facto promissam sibi a Christo assistentiam. Sin autem ipsissimam confitearis, ergo Christi institutum de visibili Ecclesia est, nam procul dubio visibilis erat ecclesia illa in Actibus descripta, primum ex solis Iudaeis constans, deinde sinum suum aperiens et Gentibus, et a primo suo ortu, participatione sacrorum, communione socialis vitae, proprioque et autonomo regimine ab omni alio coetu discreta. Sed quid plura? Nonne in ipsis evangelii exordiis ad discipulos suos loquens Christus aiebat: *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt?* Quasi dixisset: Vos estis civitas elevata in vertice montis, quae a conspectu hominum subtrahi nequit, cum a quacumque horizontis parte illi adveniant, sive ab Austro sive ab Aquilone sive ab Oriente sive ab Occidente, ultro se videndam offerat. Vos estis lucerna illa indefectibilis quam ego lux aeterna accendam, et sicut lucerna non accenditur ut abscondatur, sed ut loco eminenti posita fulgore suo omnes qui intrant domum illuminet, ita vos non in latebris ponemini, sed in medio totius orbis theatro, ut ad vestrae cathedrae fulgorem ii qui inhabitant mundum veritatem edoceantur. Haec Christus in evangelio. Sed vide nunc utrum excogitabile sit aliquid e diametro contradicens magis, quam inventio latentis, occultae, ac prorsus indiscernibilis

ecclesiae, de numero eorum operum quae opifex ad lucem proferre non audet, timens reprehendi. Vide an Ecclesiae visibilitas potuisset sub vividioribus describi coloribus: visibilitas, inquam, quae competit ei non solum prout quaedam societas est, verum etiam prout vera Dei Ecclesia est, cuius cathedra tot et tantis signis foret decoranda, ut ad omnem hominum conscientiam proderetur tanquam coelitus instituta ad erudiendum humanum genus circa ultimum aeternae beatitudinis finem.

Nunc, si primaevae traditionis testimonia requiras, non laboriosa opus est inquisitione, quandoquidem verae Christi Ecclesiae visibilitas est ipsum praesuppositum omnis fere quaestionis primis temporibus agitatae. Dico autem praesuppositum non solum universali consensu firmatum, sed etiam adeo ratum fixumque, ut ne a longe quidem, vel cogitationem contrarii menti antiquorum obvenisse luculenter appareat. Sume ad exemplum celeberrimam illam controversiam quae saeculo tertio exarsit de baptismate ab haereticis collato. Sane vero, quando Cyprianus considerans sacramenta esse proprium bonum solius verae Ecclesiae Christi, nec satis distinguens inter legitimam et mere validam sacramentorum seu confectionem seu susceptionem, asserebat nullitatem baptismi extra verae Ecclesiae communionem accepti, ita ut rebaptizari vellet eos qui veniebant ab haereticorum sectis: procul dubio genuinae Christi Ecclesiae (illius scilicet quae Christi sponsa est, et possidet in proprium omnia sponsi bona ac promissiones), visibiles terminos esse supponebat. Supponebat omnino discerni, quinam a legitima matre accepissent baptismatis sacramentum, quinam vero non. Supponebat proinde visibilem per omnem modum esse Ecclesiam promissionum, videlicet tam materialiter quam formaliter. Et non solum supponebat, sed signate etiam adstruebat: « Manifestum est, inquit, « ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quae in ba« ptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus, super quem « aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et osten« dit, potestatem istam dedit ut id solveretur in coelis quod ille « solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad aposto« los loquitur dicens: *Sicuti misit me Pater, et ego mitto vos.* « *Hoc cum dixisset, inspiravit et ait illis: Accipite Spiritum San« ctum, si cuius remiseritis peccata, remittentur illi, si cuius te« nueritis, tenebuntur.* Unde intelligimus, nonnisi in Ecclesia prae-

« positis in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis, « licere baptizare et remissam peccatorum dare, foris autem nec « ligari aliquid posse nec solvi, ubi non sit qui aut ligare pos- « sit aliquid aut solvere... Nec est ergo, frater charissime, quod « haereticis cedendum existimemus, ut baptisma quod nonnisi uni « et soli Ecclesiae datum sit, prodendum putemus... Ecclesia pa- « radisi instar exprimens arbores fructiferas intra muros suos « intus includit, ex quibus quae non facit fructum bonum exci- « ditur et in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor flumini- « bus, id est, evangeliis quatuor, quibus baptismi gratiam salu- « taris coelesti inundatione largitur. Numquid de Ecclesiae fonti- « bus rigare potest qui totus in Ecclesia non est? Numquid paradisi « potus salubres et salutares impertire cuiquam potest, qui per- « versus, et a semetipso damnatus, et extra paradisi fontes rele- « gatus, aruit et aeternae sitis siccitate defecit? Clamat Dominus « ut qui sitit veniat et bibat de fluminibus aquae vivae quae de « eius ventre fluxerunt. Quo venturus est qui sitit, utrumne ad « haereticos ubi fons et fluvius aquae vitalis omnino non est, an « ad Ecclesiam quae una et super unum qui et claves eius ac- « cepit, Domini voce fundata est? Haec est una quae tenet et « possidet omnem sponsi sui et domini potestatem [1] ». At forte in hoc fuit error Cypriani, in hoc a collegis suis caeterisque antiquis Patribus dissensit, quod unam veram Ecclesiam promissionum diceret visibilem, penes quam unam esset legitima baptismi dispensatio? Audi ergo Augustinum l. 6 de Bapt. c. 1, declarantem in quo dissidii causa consisteret. « Nec ob aliud, « inquit, illis temporibus, quando ista quaestio disputationibus « salva charitate atque unitate altercantibus discutiebatur, visum « est etiam quibusdam egregiis viris antistitibus Christi, inter « quos praecipue beatus eminebat Cyprianus, non esse posse « apud haereticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia « non distinguebatur sacramentum ab effectu vel usu sacramenti. « Et quia eius effectus atque usus in liberatione a peccatis et « cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum « quoque sacramentum non illic esse putabatur ». Ergo non de hoc unquam extitit dissidium, an scilicet extra verae Christi Ecclesiae visibilem communionem esset, necne, legitima et (per se

[1] Cyprianus, epist. ad Iubaianum n. 7-11.

loquendo) fructuosa sacramenti vel susceptio vel collatio. Unde ipsum Stephani Papae rescriptum iubebat ut eis qui ab haereticis baptizati veniebant ad Catholicam, *manus imponeretur ad poenitentiam.* Sciebat enim Pontifex, *manifestum esse ubi et per quos remissa peccatorum dari possit.* Sciebat sacramentum baptismatis tunc solum incipere prodesse ad salutem, quando corrigitur sacrilegum scelus adhaesionis ad sectas a vera visibili Christi Ecclesia separatas. Noverat discernere ovem foris errantem, et praeter ordinem charactere dominico a fallacibus depraedatoribus signatam, ab eis quae in ovilis unitate natae erant. Sed solum volebat ut veniens ad huius christianae unitatis salutem, corrigeretur ab errore, liberaretur a captivitate, sanaretur a vulnere, character tamen in ea dominicus agnosceretur potius quam per repetitam baptismi collationem improbaretur (1). Item, cum Augustinus confutandam assumebat conclusionem a Cypriano deductam ex comparatione Ecclesiae cum terrestri paradiso, an forte comparationem ipsam respuebat, et velut ineptam removebat? An nolebat dici, visibilem esse Ecclesiam promissionum, sicut visibilis erat paradisus? Aut sentiebat sacramenta non esse propria huiusmet visibilis Ecclesiae bona, sicut proprius paradiso erat fluvius ille in quatuor capita divisus, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum?* Absit, sed comparationem contra Cyprianum urgens aiebat: « Ecclesia paradiso « comparata indicat nobis, posse quidem eius baptismum homi- « nes etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam « neminem vel percipere vel tenere. Nam et flumina de fonte pa- « radisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter emanave- « runt. Nominatim quippe commemorantur, et per quas terras « fluant, et quia extra paradisum constituta sunt omnibus notum « est; nec tamen in Mesopotamia vel in Aegypto, quo illa flu- « mina pervenerunt, est felicitas vitae quae in paradiso comme- « moratur. Ita fit ut cum paradisi aqua sit extra paradisum, bea- « titudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptismus « Ecclesiae potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatae vi- « tae nonnisi intra Ecclesiam reperitur, quae super petram etiam « fundata est, quae ligandi et solvendi claves accepit » (2). Haec

(1) Cf. August. l. 6 de Bapt. c. 1.

(2) August. l. 4 de Bapt. c. 1.

Augustinus, Cypriano evidenter consentiens in confessione illius visibilis Ecclesiae, in qua baptismi aqua oritur et fluit tanquam in regione propria, quamvis Cypriani errorem corrigat, ostendendo qualiter foras etiam emanet (non amplius tanquam in paradiso, sed tanquam in Aegypto), propriae terrae fines praetergressa. Et cum paulo post idem Augustinus ad alia Cypriani verba alludens, comparat eos qui a verae Christi Ecclesiae ministris baptizati sunt, filiis patriarcharum e libera uxore natis; alios vero baptizatos extra unitatem, figuratos esse vult in filiis Abrahae et Iacob natis ex ancillis, nemini profecto veniet in mentem, ipsum cogitasse invisibilem dominam quae ab ancillis non possit discerni. Denique, summam Ecclesiae Christi visibilitatem adstruunt omnes ad unam, Augustini disputationes cum Donatistis. Asserunt vel evidenter supponunt veteres Patres qui scripserunt adversus Montanistas, Novatianos, Arianos, et caeteros quorum nomina recensent Irenaeus et Epiphanius de haeresibus. Ostendit vel ipsa excommunicationis doctrina necnon et praxis ab initio observata, nam quid aliud fuit unquam excommunicatio in intellectu omnium christianorum, nisi separatio a visibili corpore verae Ecclesiae Christi?

Nunc autem contra tot et tantas auctoritates, contra ipsum communem sensum ab informi illa et portentosa imaginatione Ecclesiae in humana massa absconditae penitus abhorrentem, aliquid saltem quod argumenti speciem prae se ferat, habebunt protestantes? Mirum sane, si in hominibus qui profitentur se unice pendere a verbo Dei scripto, non mireris absolutam scripturalium etiam rationum quoad ipsam fundamentalem doctrinam vacuitatem.

Ex evangelio proferunt loca duo: unum ubi dicit Christus ad Samaritanam, venisse horam in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, alterum ubi asserit regnum Dei non venire cum observatione, imo inquit, *regnum Dei intra vos est.* Sed huius duplicis loci iam fuit in superioribus anticipata expositio (1), ex qua apparet utramque auctoritatem nihil omnino continere quod sit ad rem, praetereaque nihil. — Nam in primo testimonio opponit Dominus novum Evangelii cultum, tam falso cultui schismatis Samaritanorum, quam cultui mate-

(1) Vide supra, Thes. 1, § 1.

riali religionis Iudaicae. Atqui, si cultus evangelicus dicitur spiritualis in comparatione ad cultum Veteris Testamenti, non est sane consequens ut putetur esse, contra omnem naturae humanae exigentiam, pure internus atque invisibilis. Et si solvitur ab alligatione ad unum particularem locum, secundum illud: *neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*, perabsurde concluderes talem fore religionem qualis conveniret solis angelicis spiritibus. Denique, si eatenus in spiritu et veritate est, quatenus id quod in eo principaliter requiritur est vera fides formata charitate, nequaquam sequitur hanc ipsam fidem non esse generandam, alendam, conservandam, per doctrinam et magisterium unius visibilis hierarchiae a qua fideles dependeant, et in sociali unitate contineantur. Alioquin, quorsum spectant haec clarissima verba Christi ad apostolos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [1] — Alterum quoque testimonium extra quaestionem est. Nam primo, regnum quod *non venit cum observatione,* minime convertitur cum regno invisibili, sed est regnum de quo praesciri nequit quando venturum sit. Imo vero, idem istud regnum de quo *non dicent: ecce hic, aut ecce illic,* est regnum in tanta visibilitate atque claritate manifestandum, ut cum advenerit, altercantium hinc et inde opinionum obiectum esse non possit. Sed hic sermo est de ultimo adventu, ut iam ostendimus. Quod autem attinet ad alia verba: *Ecce enim regnum Dei intra vos est,* in quibus ipsa propositionis forma regnum Dei praesens cogit intelligere, dicendum in primis quod etiamsi interpretaremur *intra vos est,* videlicet, *in cordibus vestris est,* adhuc nihil sequeretur, quia nusquam negant catholici nobilissima charismata regni Dei esse interiora, quamvis dicant illa esse connexa cum mediis externis et visibilibus a Christo institutis, quae sicut per hanc auctoritatem non affirmantur, ita nec negantur. Verum, omnino alius videtur esse huius loci

[1] Hinc etiam sequitur quod omnia loca in quibus gratia et unctio interna celebratur, sicut cum dicitur 1 Ioan. II, 27: *Unctio eius docet vos de omnibus*, intelligenda sunt de ipsa interiori Spiritus Sancti illustratione, supposito et non excluso exteriori magisterio ac ministerio Ecclesiae. De qua re plura dicemus infra; interim vero cf. Card. Franzelin, de Traditione, Thes. 12.

sensus, tum quia verba allata diriguntur ad Pharisaeos qui expresse (vers. 22) contradistinguuntur ab iis qui in regno Dei iam erant, tum quia antecedentia et consequentia sermonis ostendunt intentionem Christi fuisse ut curiositatem de tempore adventus gloriae removeret, omnem curam revocando ad susceptionem regni Dei quod est Ecclesia praesens. De quo quidem regno dicebat: *intra vos est,* scilicet, *in medio vestri est,* et a vobis cum magna sollicitudine suscipi debet, si vultis regni Dei in gloria ventura fieri participes [1]. — Ex his igitur nulla conclusio. Porro ex Novo Testamento nihil aliud proferunt quod ad praedicta non reducatur, nisi forte alicui persuaderi posset, mulierem illam Apocalypsis (XII-14), cui *datae sunt alae duae aquilae magnae ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempora et tempora et dimidium temporis a facie serpentis,* nonnullam gerere similitudinem cum spectro invisibilis ecclesiae adversariorum! Egregie ad rem Cardinalis Franzelin, de Eccles. Thes. 21: « In loco Apocal. XII, describitur Ecclesia Martyrum, « vel sensu litterali secundum persecutiones ultimorum tempo- « rum adhuc futuras, vel sensu litterali immediato secundum « persecutiones imperii idololatrae primis tribus saeculis, nunc « iam praeteritas... At Ecclesia martyrum in tribus potestatibus « harumque functionibus, in quibus (saepe a nobis superius de- « scriptis) essentialiter visibilitas ex Christi institutione consistit, « non minus ut regnum Dei in terris manet conspicua, dum *pa-* « *scitur* a pastoribus suis doctrina et disciplina et sacramentis in « *solitudine* catacumbarum, ibique generat et praeparat *filios ma-* « *sculos,* qui profuso sanguine *rapiantur ad Deum et ad thronum* « *eius,* ut cum Agno in cuius sanguine laverunt et dealbaverunt « stolas suas, *regant omnes gentes in virga ferrea:* quam dum « tempore pacis lucet etiam splendoribus externis, qui conne- « ctuntur quidem cum visibilitate, et etiam (licet non determi- « nata ratione ac mensura) promissi sunt, non tamen constituunt « ipsam essentialem visibilitatem Ecclesiae. Apostoli, eorumque « proximi successores Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenaeus, « Cyprianus, cumque eis presbyteri Clemens Alexandrinus, Ori- « genes, Tertullianus, ipsam hanc Ecclesiam martyrum inter me- « dias persecutiones fugientem in solitudinem describunt, sed

[1] Integram huius loci expositionem vide in thes. praec.

« eam non noverunt aliam quam *per totum orbem unam ecclesiam,* « *multorum episcoporum concordi numerositate diffusam* ([1]). Unde, « qui a visibili sacerdotum ac plebis Ecclesia se secernunt, quam- « diu manent in crimine haereseos vel schismatis, nec martyres « Christi esse possunt: *An esse sibi cum Christo videtur, qui ad-* « *versus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri eius et plebis so-* « *cietate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei* « *dispositionem repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Chri-* « *sti rebellis..., contemptis episcopis et Dei sacerdotibus, constituere* « *audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, domi-* « *nicae hostiae veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire* « *quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis au-* « *daciam divina animadversione punitur* ([2]). Haec igitur, episco- « patus unitate et successione, sacrificio, sacramentis, cultu, di- « sciplina, inter medias persecutiones visibilis Ecclesia sola « est, quae ut in Apocalypsi describitur, parit Christi marty- « res ».

Iam, inter auctoritates Veteris Testamenti non occurrit quid- quam quod vel apparenter referatur ad quaestionem, si unum excipias textum Ieremiae (XXXI-31), in quo de novo foedere prophetia continetur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum... Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam..., et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus.* — Verum primo, ex hoc quod dicitur lex nova danda in visceribus et scribenda in cordibus, sequitur solum quod ipsa sit lex gratiae, in qua principalitatem ordine perfectionis obtinet internum fidei lumen et spiritualis ardor charitatis. Quid autem exinde proficiat causa protestantium revera non apparet, quia semper eodem radicali vitio laborat argumentum, quatenus ex positione elementi interni arguitur ad exclusionem mediorum visibilium, sicut si ex asserta necessitate spiritualis renascentiae sumeretur causa ex-

([1]) Cyprian. epist. 52 Antonianum.
([2]) Cyprian. de Unitate Ecclesiae.

cludendi necessitatem visibilis sacramenti, contra verbum Domini dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Itaque vis argumenti, si qua esset, tota reponeretur in eo quod additur apud Ieremiam: *Et non docebit ultra vir proximum suum,* etc., quibus verbis videri posset excludi visibilis Ecclesiae visibile magisterium. Sed contra est quod ait Christus in evangelio: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Eritne igitur Propheta contrarius Christo, ut uni credamus, altero derelicto? Quod si nefas ipsis protestantibus existimabitur, conciliationis modum necesse habebunt invenire, explicando et ad nescio quam innaturalem metaphoram detorquendo verba Christi, propter verba antiquae prophetiae. Atqui nihil ineptius cogitari potest, tum quia non ex Veteri Testamento explicari debet Novum, sed magis ex Novo Vetus; tum quia si poeticam atque impropriam dicendi rationem in alterutro textu oporteat agnoscere, puto illam fore quaerendam in prophetia ut in sede idonea, potius quam in solemni missione data apostolis, ubi certo certius convenientem locum eiusmodi metaphora non habet. Sed absit ut vel uni vel alteri textui vis inferatur, nam verba Ieremiae naturaliter exprimunt, quamvis diverso modo, illud ipsum quod expressit Christus dicendo: *docete omnes gentes,* videlicet, universalitatem evangelicae legis, per oppositionem ad legem mosaicam prout uni tantum populo olim datam. « Prius enim foedus privum erat « genti Israeliticae, ideoque tantum praeceptum ipsis erat ut suos « docerent, Deuter. IV, 9-10 (Paulus cum Septuaginta, Heb. VIII, « 11, verba *proximum suum* transfert τον πολιτην αὐτου). In foe- « dere autem novo dictum est apostolis: *Docete omnes gentes.* Iis « ergo verbis Prophetae, *non docebit amplius vir proximum suum,* « non excluditur magisterium et ministerium extrinsecum, sed « limitatio doctrinae seu magisterii ad unam nationem; quae li- « mitatio eo significabatur, quod iussi tantum essent Israelitae « docere concivem et fratrem suum. Unde haec ratio subditur: « *omnes enim cognoscent me.* Haec autem optime, componun- « tur cum visibilitate societatis quacum et foedus ineatur a « Deo » (1).

Unum tandem video remanere ab adversariis valde celebra-

(1) Palmieri, de Rom. Pont., § 11.

tum. Dicunt enim: Vera Christi Ecclesia obiectum fidei est. Sed obiectum fidei est invisibile, iuxta illud Apostoli: *Est autem fides argumentum non apparentium.* Ergo vera Christi Ecclesia visibilis esse non potest. Ad hoc igitur primum respondeo quod eodem argumento probaretur Christum Dominum non fuisse visibilem dum conversabatur in terris, cum etiam tunc esset procul dubio fidei obiectum. Si ergo argumenti consequentiam respuunt protestantes, quod attinet ad personam Christi, videant utrum ratio valeat de Ecclesia quae, ut in caeteris, ita in hoc habet perfectam cum sponso suo conformitatem. Porro Christus Dominus non erat obiectum fidei, praecise ut homo simpliciter, sed solum ut Homo-Deus. Nam ut homo simpliciter, habebat visibilitatem intrinsecam quae fidei repugnat. Ut Homo-Deus, habebat solum visibilitatem credibilitatis quae fidem non tollit, sed potius est ad eam necessaria. Recole dicta in introductione. Simili itaque modo, Ecclesia obiectum fidei non est, praecise ut ecclesia in suo esse sociali intrinsece visibilis, sed solum ut Ecclesia vera, videlicet ut vera supernaturalis societas in qua est aeternae salutis via, et sub hoc respectu non habet plus quam visibilitatem credibilitatis, quemadmodum in superioribus iam pluries fuit declaratum ([1]). — Hinc in forma: **Dist. mai.** Vera Ecclesia est obiectum fidei, quasi materialiter sumpta ut quaedam individua societas, indivisa in se et divisa a qualibet alia, **neg. mai.** Sumpta formaliter ut verificans rationem Ecclesiae verae in sensu theologico vocabuli, **conc. mai.** Et pariter distinguitur minor. Obiectum fidei est invisibile, si sumatur sub eo respectu sub quo obiectum fidei non est, **neg. min.** Si sub eo respectu sub quo obiectum fidei est, **subdist.** Est invisibile visibilitate intrinseca, **conc.** Invisibile visibilitate credibilitatis, **neg.** Et explicatio patet ex praemissis ab initio.

§ 2.

His igitur de visibilitate verae Ecclesiae Christi in antecessum positis, iam ultro sequuntur ea quae secundo loco demonstranda assumpsimus, videlicet: **hanc ipsam visibilem Ecclesiam esse omnibus necessarium salutis medium,** ita ut

([1]) Cf. Bellarminum, de Ecclesia militante, l. 3. c. 15.

extra illam nullus omnino salvetur (Concil. Lateranen. IV, Cap. Firmiter), *neminem credamus salvari* (Professio fidei Waldensibus imposita), *non solum pagani, sed nec Iudaei aut haeretici atque schismatici aeternae vitae fieri possint participes* (Decret. pro Iacobitis in Concilio Florentino).

Argumentum porro generale est, quia ad salutem necesse est esse in regno Christi, iuxta illud Act. VI-12: *Et non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Insuper haec necessitas non est simplicis praecepti, sed est etiam medii, cum versetur circa positivam salutis viam, qua deficiente, nulla alia relinquitur conducens ad iustificationem et beatitudinem aeternam (1). Nunc autem, ut ex praedemonstratis liquet, regnum Christi in Novo Testamento nihil aliud est quam visibilis et universalis Ecclesia ab eo fundata. Ergo haec ipsa visibilis Ecclesia est pro omnibus necessarium salutis medium.

Et confirmatur primo. quia necessitate medii necessaria est subordinatio ad caput Christum, a quo solo esse potest salutis influxus. Ergo ex consequenti, eadem necessitate necessarium est subordinationis modus quem ipse praefixit. Sed modus subordinationis ab eo praefixus consistit in subiectione ad illam visibilem hierarchiam, perenniter atque indefectibiliter omnibus diebus usque ad consummationem saeculi permansuram, quam instituit ipse in ratione *capitis ministerialis,* quando suos apostolos misit sicut ipse missus fuerat a Patre (2), quando contulit eis promissam potestatem, eamque universalissimam, ligandi et solvendi in regno coelorum (3), quando eos fecit dispensatores sacramentorum suorum (4), et legavit ut gentes omnes docerent, baptismo initiarent, atque in observatione omnium quae mandaverat instituerent (5), quando demum uni eorum in quo hierarchiae unitas servaretur commisit officium pascendi oves et et agnos (6). Ergo necessarium medium salutis est, adherere et

(1) De notione necessitatis medii et simplicis praecepti, vide *de Ecclesiae sacramentis,* Tom. I, Thes. 22.

(2) Ioan. XX-21.

(3) Matth. XVI-19, et XVIII-18.

(4) Luc. XXII-19, Ioan. XX-23.

(5) Matth. XXVIII-19, seq.

(6) Ioan. XXI-15, seq.

subiici huic visibili hierarchiae, mediante qua perficitur subiectio ad Christum ipsum. Sed hoc nihil aliud est quam pertinere ad visibilem Ecclesiam. Ergo a primo ad ultimum, pertinere ad visibilem Christi Ecclesiam, necessarium est ad salutem necessitate medii. Confirmatur secundo, quia necessarius est baptismus, et eo quidem tenore quo dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed baptismus non potest esse necessitate medii necessarius, nisi ratione eius quod *per se* consequitur ad baptismum. Per se autem consequitur ad baptismum incorporatio in visibili regno Christi, quia ex quo baptismus fuit institutus tanquam huius regni ianua, ipsum incorporationis effectum necessario habet, nisi aliquo vitio ex parte suscipientis contrarietur propria et nativa vis characteris in sacramento accepti. Unde semper sequitur eadem conclusio ac supra.

Hinc comparatio illa adeo celebrata apud antiquos Patres, inter Ecclesiam et arcam Noe. « Quisquis, inquit Cyprianus (1), « ab Ecclesia segregatus, adulterae iungitur, a promissis Ec- « clesiae separatur. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere « iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet ma- « trem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, « et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit ». Et Gaudentius Brixiensis (2): « Periisse autem constat in illo diluvio omnes « ipsius temporis homines, praeter eos qui intra arcam, quae « typum gerebat Ecclesiae, reperiri meruerunt. Nam similiter « etiam nunc, omnino salvi esse non poterunt qui ab aposto- « lica fide et ab Ecclesia catholica fuerint alieni ». Et Hieronymus (3): « Quicumque extra hanc domum (Ecclesiam) agnum « comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit « regnante diluvio ». Et Augustinus (4): « Arca Noe, qua nemo « nostrum dubitat Ecclesiam esse praefiguratam ». Et nota quod in his oportet procul dubio intelligere *visibilem Ecclesiam* Christi. Primo, quia nullam aliam agnoscunt Patres, ut iam ostensum est. Secundo, quia Cyprianus diserte loquitur de Ecclesia

(1) Cyprianus, l. de Unitate Ecclesiae, n. 6.
(2) Gaudentius Brixiensis, Serm. 8, de Evangelii lectione primus.
(3) Hieronymus, epist. 15 ad Damasum Papam.
(4) Augustinus, Enarrat. in Psalm. 103, Serm. 3, n. 2.

quam regit cathedra Petri (1); Hieronymus, de Ecclesia quae Damasi communione constabat. Gaudentius vero, cum ad suos neophytos loquens Ecclesiam catholicam nominabat, quam aliam tibi videtur insinuasse auditoribus, nisi eam quae usque nunc toto orbe diffusa et ubique conspicua, catholicae nomen tanquam proprium apud omnes sibi retinuit? Denique, visibilem Ecclesiam adstruit ipsa comparatio, quae alias absurda evaderet et omni ex parte inepta. Etenim, vel nulla est vera analogia, vel certe arca figurat commune quoddam salutis medium, sicut familia Noe figurat eos qui per hoc commune medium ad salutem promoventur. Et huic figurae bene respondet Ecclesia visibilis in qua sunt media socialia, puta publicum magisterium et regimen ad formationem fidelium, qui idcirco recte dicuntur salvari (aut posse salvari) in arca et per arcam, id est, in Ecclesia et per Ecclesiam. Nunc autem, ubinam invenies vel longinquam arcae salutis similitudinem in occulto illo numero sanctorum a se invicem independentium, quorum singuli sunt sibi ipsis sacerdotes, totidemque constituunt unitates disgregatas? Certe, si aptam comparationem invenire oporteret, rectius diceres eos esse natantes in gurgite vasto, aut ambulantes super aquas, aut invisibili manu Dei portatos, aut si quid aliud eiusmodi. Ipsos autem contineri in arca in qua et per quam salventur, nonnisi ineptissime dices. Haec igitur et alia innumera quae addi possent, ostendunt quod vulgatum axioma, *extra Ecclesiam nulla salus,* de visibili corpore Ecclesiae est intelligendum.

§ 3.

Sed cum dicimus necessarium necessitate salutis, pertinere ad visibile corpus verae Ecclesiae Christi, omnino sic intelligendum est, ut in iis qui huius verae religionis invincibili ignorantia laborant, defectus actualis coniunctionis *in re* suppleri possit per spiritualem coniunctionem *in voto.* Votum autem dico inclusum in ea animi praeparatione et voluntate qua quis vult colere Deum secundum modum ei placentem, eique acceptabilem Commune enim est omnibus mediis externis et positivae insti-

(1) Cyprianus, ubi supra, n. 4.

tutionis, quod ubi in facto desunt, adhuc suam vim exserunt in ordine ad necessitatem salutis aeternae, *prout existentia in desiderio cordis,* omnia intelligendo secundum ea quae declarata sunt in tractatu de Sacramentis (1). Eadem quippe ratione necessarium salutis medium est baptismi sacramentum, qua coniunctio cum visibili corpore Ecclesiae. Et ideo, sicut semper fuit in doctrina catholica distinctio inter baptismum in re et baptismum in voto vel explicito vel implicito, ita et distinctio duplicis modi pertinendi ad arcam quae est Ecclesia Christi.

Non ergo impedit salutem, quod quis ignoranter ad quamcumque falsam sectam adhaereat, dummodo sit in ea animi dispositione de qua mox dictum est, et aliunde a iustificationis via unicuique praeparata sese non avertat. Nonne huic veritati attestatur, quod etiam extra Ecclesiae fines, ut cum Augustino loquar, sacramenta largiter emanant? Et id quidem ex positiva Dei voluntate qui ad ipsorum sacramentorum validitatem potuisset eam conditionem apponere, ut nonnisi a legitimis ministris conficerentur. Nunc autem, si extra Ecclesiae fines sacramenta emanant, nonne ea intentione ut prosint iis qui in bona fide versantes, ab ipsius Ecclesiae visibili communione sunt de facto separati? Et non solum sacramenta, sed doctrina quoque et praedicatio undequaque foras erumpit, ut sit Ecclesia sal terrae et lux mundi, etiam respectu eorum qui magisterium eius non agnoscunt, sed eius influxum variis et miris modis, quamvis non advertentes, recipiunt. Ac per hoc, ab alto cathedrae ecclesiasticae, directe vel indirecte, sive per intentionem sive per occasionem, descendit et spargitur veritatis lumen, pervenitque ad multos etiam extraneos notitia divinae revelationis, saltem quantum ad fundamentales articulos qui necessario debent esse *explicite crediti,* ad hoc ut possit homo per charitatem perfectam se ad Deum convertere, et sic ad iustificationis gratiam extra sacramentum pervenire. Quamquam nec indigeat Deus humano quocumque ministerio, ut fidem quae iustificationis est initium et radix, inspiret homini sese per gratiae auxilium omnibus oblatum disponenti. Qua de re notissima extant S. Thomae verba: « Non sequitur inconveniens posito quod quilibet teneatur ali-

(1) Cf. de Ecclesiae sacramentis, Tom. 1, Thes. 22 et 24; item Tom. 2, ubi de perfecta contritione.

« quid explicite credere, si in sylvis vel inter bruta animalia « nutriatur. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cui- « libet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte « eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus, ductum « naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, « certissime est tenendum quod ei Deus, *vel per internam inspi- « rationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria*, vel « aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Pe- « trum ad Cornelium » (1).

Quapropter calumniantur nos quicumque axioma nostrum: *extra Ecclesiam nulla salus,* sic interpretari affectant, quasi dice- remus damnari de facto eos omnes qui de facto extra visibilem communionem corporis Ecclesiae moriuntur. « Errorem alterum « aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore no- « vimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene « sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in « vera Christi Ecclesia nequaquam versantur... *Absit, Venera- « biles Fratres, ut misericordiae divinae quae infinita est, terminos « audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia « et iudicia Dei quae sunt abyssus multa*, nec humana queunt « cogitatione penetrari. Quod vero apostolici nostri muneris est, « episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam « volumus, ut opinionem illam impiam aeque ac funestam ab « hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione repe- « riri posse aeternae salutis viam... Tenendum quippe ex fide « est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri ne- « minem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non « fuerit ingressus, diluvio periturum. *Sed tamen pro certo pa- « riter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si « ea sit invincibilis, nulla ipsos abstringi huiusce rei culpa ante « oculos Domini* » (2). Et alibi: « Notum nobis vobisque est, *eos « qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia « laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium « cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire pa- « rati honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et*

(1) S. Thomas, de Verit. Quaest. 14, a. 11 ad 1am.
(2) Pius IX, Alloc. 9 Decemb. 1854.

« *gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam* etc. » ([1]). Haec Pius IX, constantem catholicorum sententiam paucis resumens atque proponens.

Nihil ergo ibi continetur quod e conspectu rationis iure meritoque impugnari possit ac reprehendi. Caeterum, irrationabiliter per omnem modum agunt qui in suis de vera religione inquisitionibus, haerent in percontando quomodo iis omnibus providerit Deus, utique tot ac tantis, quos in retroactis saeculis usque nunc, longe a centro luminis revelati positos esse scimus. Huic enim quaestioni, donec veniat iudicii dies, nulla patet solutionis possibilitas, quia de solis mediis generalibus atque communibus facta est nobis revelatio, non autem de modis diversissimis et in secreto Providentiae alte reconditis, quibus ad singulos quosque adultos provenit salutis possibilitas. « Quo« niam, inquit Augustinus, de vera Religione, c. 25, divina Pro« videntia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed « universo generi humano tanquam publice consulit: **quid cum « singulis agatur, Deus qui agit, atque ipsi cum quibus « agitur, sciunt; quid autem agatur cum genere humano, « per historiam commendari voluit et per prophetiam** ». Ergo inscrutabilia relinquentes, ad ea quae in conspectu sunt, animum convertamus. Unam visibilem atque discernibilem Ecclesiam instituit Deus, veluti arcam extra quam non est salus. Et quamvis possibile sit ad eam solo voto pertinere, hoc tamen possibile non est nisi quoad eos qui in ignorantia versantur invincibili, praeterquam quod eorum conditio longe deterior semper dicenda sit, propter carentiam tot et tantorum auxiliorum quae extra realem Ecclesiae communionem non habentur. Ergo summopere interest discernere, quenam sit vera illa Ecclesia, et ad hoc ponitur sequens disputatio.

([1]) Id. Encyclica ad Cardinales, Archiepiscopos, et Episcopos Italiae, 10 Aug. 1863.

QUAESTIO II.

DE NOTIS ECCLESIAE IN COMMUNI.

Notae hic sumuntur pro certis proprietatibus sive attributis propositis in signum, ad discernendum genuinam Ecclesiam Christi a sectis adulterinis, vel etiam, quod in idem reincidit, ad cognoscendum in concreto Ecclesiam de qua tanquam de vera salutis arca, facta est divina revelatio. Sunt autem vel negativae vel positivae. Positiva nota ea est, quae per suam praesentiam sufficienter monstrat veritatem ecclesiae in qua invenitur. Negativa vero illa, quae solum tollit argumentum falsitatis quod ex eius absentia sequeretur. — Porro notae mere negativae possunt in infinitum multiplicari. Quidquid enim boni retinet unaquaeque religio, puta quod doceat non esse occidendum, non esse adulterandum, honorandos esse parentes, et si quid aliud eiusmodi, quidquid etiam de institutis Christi utcumque apud se servat in usu baptizandi vel conficiendi Eucharistiam, aliisque similibus, potest ad notam negativam referri. Nam ubi ista desunt, eo ipso et independenter ab aliis rationibus, statim apparet veram ibi religionem christianam non esse. In summa, cum nota pure negativa sit illud omne cuius carentia seu defectus cedit in positivum falsitatis argumentum, cum insuper in genere defectuum latissimus campus excogitari queat, ipsis negativis notis certus fixusque limes assignatus non est. — Aliter autem sentiendum de positivis, quae etiam, sin minus materiali distinctione, at certe formali consideratione, dupliciter attenduntur. Commune quidem omnibus et singulis notis positivis esse debet ut consistant *in aliqua visibili proprietate, quae experimentali hominum cognitioni per se subiaceat, et cum legitimitate Ecclesiae certam atque infallibilem habeat connexionem.* Verum haec connexio innotescere potest, vel ex natura rei, vel ex praecognita institutione ac revelatione Christi. Ex natura quidem rei, si dicta proprietas naturali rationi sese prodat ut supra naturae vires,

id est, ut verum morale miraculum arguens specialem interventum Dei, ac per hoc, ultro manifestans divinam originem ecclesiae quam condecorat, necnon et genuinitatem dogmatum eius. Ex praecognita institutione ac revelatione Christi, si formaliter sumatur ut character de facto assignatus a Christo et apostolis, tanquam a vera Ecclesia inseparabilis, et ei soli proprius. Dixi characterem inseparabilem, id est, propositum ut quo Ecclesia vera non potest carere, et sic constituit notam saltem negativam. Dixi praeterea characterem proprium, id est, propositum ut quo sola Ecclesia vera foret decoranda, et sic constituit notam undequaque positivam.

Haec sunt quae de notis generatim sumptis dictat ipse sensus communis, quaeque ex infra dicendis, ubi ad applicationem ventum fuerit, maiorem habebunt evidentiam, sed iam possunt multum illustrari, si consideremus in quo peccant notae assignari solitae sive a Protestantibus sive a Moscovitis.

§ 1.

Quod male a Protestantibus notae Ecclesiae assignantur. — Principio observa quod non nostrum est, varia capita doctrinae protestanticae ad concordiam redigere. Revera, pro iis qui invisibilem adstruunt Ecclesiam, videretur prorsus superfluus notarum usus, quia frustra certis quibusdam discerniculis tentares afficere id quod a nobis nec cognoscitur nec cognosci potest. Nihilominus, cum protestantes iuxta superius praemissa ([1]), ab ecclesia visibili non omnino se expedire queant, quaedam posuerunt criteria, quorum ope discerni debeat quaenam sit illa exterior ecclesiae forma, doctrinae et instituto Christi consentanea, in qua potissimum latet verum ac directum ipsius opus, videlicet invisibilis Ecclesia cui se affuturum promisit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quare, ut bene Bellarminus advertit ([2]), per has notas, secundum protestantes, *potius discimus ubi lateat Ecclesia, quam quae sit.* Sed hoc interim transmittamus, quia nunc solum quaeritur an recte et rationabiliter assignent notas, quocumque tandem modo intel

([1]) Supra, in praeambulo Q. 1.

([2]) Bellarminus, de Conciliis et Ecclesia, l. 4, c. 2.

ligant veritatem Ecclesiae quae per eas debet notificari. Porro usque in hodiernum diem loco notarum communiter ponunt *praedicationem sinceram verbi Dei, et legitimum sacramentorum usum* (1); quo nihil ineptius dici potest. Et ratio est quia deest prima et maxime fundamentalis conditio notae, ut scilicet, sit aliquid per sese dignoscibile, et notius quam res cuius est nota. Insuper, nedum sit in pura praedicatione verbi Dei et legitimo sacramentorum usu signum manuducens ad cognoscendum veram Ecclesiam, oportet potius contrario prorsus ordine, praecognoscere in concreto veram Ecclesiam, antequam sciri possit ubi est sincera praedicatio verbi et sacramentorum usus legitimus.

Sane vero, id quod ex essentiali sua ratione est criterium dignoscendi aliud, non potest indigere alio criterio ad hoc ut dignoscatur ipsummet, quia si eo indigeat, tantum abest quin nota notificans exsistat, ut potius sit res per notam notificanda. Atqui profecto puritas praedicationis verbi Dei indiget criterio ad hoc ut sciatur an sit et ubi sit, quia neque consistit in facto quod cadat sub experientia sensuum externorum, neque in aliqua praedicationis proprietate quae seipsa menti affulgeat. Denique, donec veniatur ad signa specialia, omnes sectae, etiam maxime inter se dissidentes, eodem iure praetendunt se habere puram verbi Dei praedicationem, sicut volunt apud se esse veram Ecclesiam.

Praeterea, ad notam positivam sine dubio requiritur aliquid quod sit proprium attributum solius Ecclesiae verae, ut supra iam dictum est, et evidens ratio plane ostendit. Porro, proprium Ecclesiae verae attributum non est nisi praedicatio verbi Dei de integro pura, quia praedicatio partim pura et partim impura, in qua scilicet falsitas veritati admiscetur, potest esse in qualibet

(1) « Omnes quotquot vidi auctores protestantici Anglici, in his « duabus notis affirmandis conveniunt..., quod secundum quosdam in- « sinuatur articulo 19 Ecclesiae Constitutae: *Ecclesia Christi visibilis « est coetus fidelium in quo verbum Dei purum praedicatur, et sacra- « menta quoad ea quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum « recte administrantur*... Alii has duas notas solas admittunt, alii alias « eis adiungunt, sed omnes in illis saltem affirmandis unanimes sunt: « omnes dico qui de hac materia scripserunt; longe plures enim eam « omnino praetermittunt ». Murray. de Ecclesia, Tom. 3, Disp. 21, n. 25.

falsa secta, et eo facilius quod in hoc etiam genere vix ac ne vix quidem accidit ut bonum seu verum totaliter atque absolute corrumpatur. Nunc ergo, unum de duobus: Vel positive scis praedicationem esse puram ex integra causa, vel solum scis illam esse conformem veritati revelatae quantum ad quosdam articulos. Si secundum, adhuc nihil. Si primum, ergo iam praesupponitur cognita Ecclesia vera, quia praedicatio est etiam, imo maxime, de ipsa Ecclesia, et quidem in concreto. Et nisi eam prius cognoveris, quomodo scies an pura sit necne, praedicatio qua haec communio sibi attribuit authenticitatem, communionemque adversam explodit velut synagogam Antichristi? Nam si ad discernendum in hac parte praedicationem puram ab impura, solum afferas spiritum privatum, gustum experimentalem, et interiorem unctionem, perinde erit ac si propriam mihi phantasiam ut regulam assignares. Non est igitur unde dignoscas puram praedicationem, si nondum tibi notum sit, veram esse eam ecclesiam quam praedicatio commendat, falsas vero sectas quas ut tales denuntiat. Et quale tandem genus notae illud erit, quod notae conditiones obtinere nequaquam potest, nisi praecognito eo quod per ipsum est notificandum?

Praeterea, insipienter assignatur ut nota ad cognoscendum unam veritatem, id quod comprehendit complexum totius veritatis revelatae. Sed sic est de pura verbi Dei praedicatione. Dicent fortasse, praedicationem hanc prout nota Ecclesiae est, non esse accipiendam quoad omnia omnino revelata, sed quoad sola fundamentalia. At contra est primo, quod distinctio illa inter fundamentalia et non fundamentalia sensu protestantico intellecta, evertit funditus naturam fidei divinae, ut in hac ipsa disputatione evidenter ostendetur. Contra est praesertim, quod oportet nunc recurrere ad aliud criterium quo fundamentalia a non fundamentalibus secernerentur. Certe, id quod protestantes ut fundamentale habent, videlicet, iustificationem fieri per solam *manum fidei* (id est, per fiduciam meriti Christi ut extrinsecus imputati), et Deum non intueri hominem qualis in se est, sed fictione quadam iuris reputare hominem iustum quin eum propria inhaerente iustitia iustum faciat, nos non solum non reputamus fundamentale, verum etiam habemus pro stulta persuasione, et dogmate absurdo atque impio. Quid ergo, quaeso, discernet inter nos? Non ipsa, puto, praedicatio prout asseritur

pura vel impura, nisi velis erigere in notam discretivam iuris, ipsissimam iuris affirmationem ab alterutra e contendentibus partibus in medio positam: in quo quidem nihil aliud esset quam cumulus contradictionum.

Porro iisdem omnino vitiis laborat nota altera de legitimo sacramentorum usu. Vel enim per hoc intelligunt usum consentaneum rectae praedicationi de sacramentis, et tunc reducitur haec nota ad praecedentem. Vel intelligunt usum in quo servantur omnes exteriores validitatis conditiones a Christo determinatae, et tunc non est ibi nota discernens Ecclesiam veram a falsa, cum sit communis, et non soli Ecclesiae verae propria, ut ipsimet fatebuntur protestantes. Vel intelligunt usum sacramentorum sanctum et fructuosum, et tunc ille usus qui non potest esse cognitus nisi in effectibus virtutum ac bonorum operum, pertinet ad notam sanctitatis quam assignant catholici. Vel denique intelligunt ministrationem et susceptionem quae sit a legitimis ministris, et sic profecto prius est noscere qui sint ministri legitimi, adeoque ubi sit legitima Ecclesia, quam scire ubi sit legitimus sacramentorum usus. Quare Augustinus contra Donatistas pugnans, non ideo dicebat non esse apud eos veram Christi Ecclesiam quia carebant legitimo sacramentorum usu, sed prorsus e converso, ideo asserebat nullum esse apud eos legitimum sacramentorum usum, quia non pertinebant ad veram Ecclesiam. Recole dicta in propositione superiori. Et hanc Ecclesiam veram aliis omnino notis conspicuam celebrabant Patres, atque etiam caecutientibus indigitabant, ut videbimus.

Omnibus ergo modis nullitate afficiuntur notae a protestantibus propositae, *quia non in visibili facto consistentes, quia obscuriores re notificanda, quia omnium praetentione communes, et ita quidem communes, ut impossibile sit dignoscere cuinam e contendentibus partibus iure meritoque sint adscribendae, nisi iam soluta quaestione ad cuius solutionem proponuntur.* — Sed iam videndum est an melius, aut certe, an sufficienter assignentur notae a theologis Ecclesiae Orthodoxae, illius dico Ecclesiae quae seipsam Orthodoxam appellat. Est autem numerosissima ea communio quae in partibus immensi imperii Russorum invalescit.

§ 2.

Quod nec a Moscovitis notae Ecclesiae recte assignantur. — Equidem pauci admodum auctores protestantes de notis tractant. Hanc quaestionem, ait Murray ubi supra, longe plures omnino praetermittunt; et non sine causa, cum nihil ab eis in hac parte dici possit quod vel speciem veri prae se ferat, ut ex praemissis liquet. Porro, si ad ecclesias Photianas (nescio enim quo alio nomine eas appellem), te conferas, adhuc multo minorem copiam auctorum invenies, quia non solum fere desunt qui hanc specialem quaestionem attigerint, sed etiam vix sunt absolute qui scripserint. Nihilominus, paucis abhinc annis prodiit summa *Theologiae Orthodoxae,* ad instar nostrorum Cursuum elucubrata, quae in seminariis totius imperii vim textus et normae studiorum directivae obtinuit. In hac igitur Summa, ubi ad quaestionem praesentem devenitur, reiectis prius notis protestanticis, tum postea iis quae a catholicis solent assignari, statuitur notam verae Ecclesiae esse *conservationem absque variatione, doctrinae infallibilis antiquae Ecclesiae oecumenicae, in unanimi consensu Patrum, et decretis septem priorum Conciliorum generalium contentae.* « Vera Ecclesia, inquit (1), ea est quae con-
« servat realiter et sine variatione, infallibilem doctrinam anti-
« quae Ecclesiae oecumenicae; quae quidem doctrina invenitur
« in professionibus fidei oecumenicorum Conciliorum, et unanimi
« consensu Patrum. Hoc principium est clarum et determinatum;
« est fundamentale pro Christianis; est securum in applicatione,
« quia sic non pronuntiant partes interessatae, *sed ipsa antiqua*
« *Ecclesia per septem priora Concilia oecumenica* » (2). Tum citantur

(1) Introduction à la Théologie Orthodoxe de Macaire, traduite par un Russe, 2ème Partie, Sect. 3, § 144. Paris, Ioel Cherbuliez, 1857.

(2) Quaereret forsitan quispiam cur septem tantum oecumenica Concilia admittant, cum tamen Concilium VIII (Constantinopolitanum IV) in Oriente etiam celebratum fuerit, non secus ac praecedentia, multo ante separationem sub Michaele Caerulario consummatam, et contra Iconoclastas confirmaverit dogma tum Graecis tum Russis usque nunc apprime charum. Porro huius arbitrariae exclusionis nullam aliam rationem invenies, nisi quod canones huius Concilii continent expressam condemnationem Photii, et explicitam de Romani Pontificis primatu

Concilium II, can. 1, Concilium III, can. 7, Concilium VI, can. 1 et 2. Et secundum hanc notam concluditur Ecclesiam Orthodoxam esse veram, Ecclesiam vero Romanam esse falsam: primo quia non obstante prohibitione Conciliorum adiiciendi quidquam symbolo Constantinopolitano, addidit *Filioque,* et secundo quia duo nova dogmata invexit, videlicet de Primatu Papae et de processione Spiritus Sancti a Filio.

Verum huius notae insufficientia, quidquid nunc sit de applicatione, vel prima fronte evidenter apparet. Non enim est absolute proprietas verae Ecclesiae in quantum huiusmodi, sed ad summum conditio, eaque respectiva ad haec nostra hodierna tempora, cuiusdam alius proprietatis quae in vera Ecclesia esse debuit ab initio, et in qua sola esse posset aliqua vis demonstrativa. Quippe proprietas verae Ecclesiae qua talis, est conservatio absque variatione, doctrinae quam tradidit Christus et praedicaverunt eius apostoli. Nunc autem, cum haec proprietas non potuerit perseverare usque ad nos nisi per continuationem cum vera Ecclesia quae nos intervallo temporum separat ab apostolis, sequitur utique quod vera Ecclesia hodierna debet conservare absque variatione doctrinam verae Ecclesiae antiquae; sed ubinam vera Ecclesia antiqua fuerit, adhuc in vi notae assignatae prorsus ignoratur. Uno demum verbo, si quid nota ista nata esset ostendere, nihil aliud certe, nisi quod haec designata communio continuatur in morali identitate cum illa veteri in qua fue-

---

professionem. « Definimus, neminem prorsus mundi potentum quemquam « eorum qui patriarchalibus sedibus praesunt inhonorare aut movere a « proprio throno tentare, *praecipue quidem sanctissimum Papam senioris* « *Romae*... Quisquis autem tanta iactantia et audacia usus fuerit, ut « secundum Photium vel Dioscorum, in scriptis vel sine scriptis iniu- « rias quasdam *contra Sedem Petri apostolorum principis* moveat, aequa- « lem et eamdem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua « saeculi potestate fruens pellere tentaverit praefatum Apostolicae Ca- « thedrae Papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema sit. « Porro si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam « de sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, « oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita « quaestione sciscitari et solutionem accipere..., *non tamen audacter sen-* « *tentiam dicere contra Summos senioris Romae Pontifices* ». Ita Synodus VIII, can. 21.

runt celebrata septem Concilia, a Nicaeno I anno 325, usque ad Nicaenum II anno 787. Atqui eiusmodi continuatio nondum monstrat veram Ecclesiam, nisi aliunde supponas veram fuisse hanc ipsam Ecclesiam veterem in qua memorata Concilia celebrata sunt, et de qua proinde redit integra quaestio. Hinc ergo ulterius procedo et dico: Putasne Ecclesiam non indiguisse notis antequam essent septem Concilia illa, quorum primum non est antiquius saeculo quarto, ultimum vero nos ducit usque ad finem saeculi octavi? Aut dices forsitan, alias fuisse tunc verae ecclesiae notas, et alias nunc? Quod si eaedem tunc et nunc, ergo iam causa cadis, quia tunc, puta saeculo tertio, nota verae ecclesiae non fuit conservatio absque variatione, doctrinae infallibilis contentae in professionibus fidei septem priorum Conciliorum oecumenicorum quae nondum exsistebant. Proinde, ut verbis adversariorum utar, principium clarum et determinatum, principium fundamentale pro Christianis et in applicatione securum, in hoc unice est: Quod Ecclesia vera debet usque nunc innotescere iisdem omnino characteribus quibus ab initio refulsit, et ab initio etiam eminuit supra omnes conventus Catharorum, Paulianistarum, Ebionitarum, Montanistarum, Novatianorum, Sabellianorum, Manichaeorum, Arianorum, Macedonianorum, Apollinaristarum, Donatistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, et aliorum sexcentorum quorum ignota iam nomina extant apud Epiphanium. Assignandi igitur hi visibiles et perpetui veritatis characteres, et prout inventi in hac vel illa Ecclesia hodiedum existente, non solum absolute ostendent eius legitimitatem, sed etiam indivisim commonstrabunt certissimam eius continuationem cum antiqua Ecclesia oecumenica quae iisdem notis resplendebat, et per eas ad omnem hominum conscientiam commendabatur.

Praeterea, etiamsi praesupponeretur aliunde cognita veritas antiquae Ecclesiae cuius fuerunt septem priora Concilia generalia, adhuc invariata illa doctrinae conservatio quam in notam erigunt adversarii, aut ita explicatur ut nulla verosimilitudine dici possit necessarium verae ecclesiae attributum, ac per hoc, nequidem notae negativae vim obtinere valet; aut si accipitur eo modo quo debet accipi ut constituat inseparabilem eius proprietatem, talis proprietas, utpote in facto visibili, obvio, et omnium oculis proposito nequaquam consistens, perperam omnino

ut nota positiva, praesertim unica, assignatur. Utrumque horum paucis declaremus.

Primo igitur sumi potest invariatio in doctrina modo pure materiali, quatenus scilicet symbolum fidei iisdem omnino totidemque verbis, nec plus nec minus, nunc constaret, quibus ab antiquis Conciliis, puta Nicaeno et Constantinopolitano conditum fuit et expressum. Et revera sic videntur intelligere theologi Russi, dum volunt Ecclesiam suam esse veram vel solo hoc nomine, quia in Symbolo eius non invenitur additio *Filioque,* quam posterioribus temporibus admisit Ecclesia Romana. Fatendum porro, quod si hoc modo sumeretur invariatio doctrinae, saltem non careret conditione claritatis quae in nota exigitur; sed pace omnium dixerim, ne verosimiliter quidem ad necessarias Ecclesiae dotes est referenda. Et si in re tantae evidentiae ad argumenta descendere oporteret, sufficerent vel solae auctoritates in quibus nos provocant adversarii. Nam canon primus Concilii II sic habet: *Fidem non violandam Patrum trecentorum decem et octo, qui apud Nicaeam Bithyniae convenerunt, sed manere eam firmam et stabilem.* Quo tamen non obstante, ipsimet Patres Concilii II addiderunt symbolo Nicaeno ea quae de divinitate Spiritus Sancti contra novam Macedonianorum haeresim expresse declaranda iudicarunt. Ergo unum de duobus: Vel non omnis additio ad Symbolum est violatio fidei a maioribus acceptae, vel contra suum proprium decretum Patres Constantinopolitani violaverunt fidem Nicaenam. Et quidni usi essent fautores Macedonii ad trahendum ad se veram ecclesiam, ea ipsa nota qua nunc utuntur theologi Ecclesiae Orthodoxae, asserendo se conservare absque variatione doctrinam infallibilem praecedentis ecclesiae oecumenicae, in professione fidei magnae Synodi Nicaenae repositam? Imo vero, quidni eadem usi fuissent et Ariani contra ipsos Nicaenos Patres, qui (quod longe maius piaculum esse videtur) addiderant symbolo ab apostolis tradito, et usque nunc sub nomine symboli apostolorum ubique pervulgato?

Quod si reponas, additionem *Filioque* non esse eiusdem rationis cum additionibus praedictis, quae solum ponebant in explicito id quod iam implicite in praecedentibus formulis continebatur: primo quidem dicendum esset hanc disparitatem gratis omnino asseri; evidens enim non est. Imo vide quam bonam et saltem plausibilem rationem habeamus. Nam Patres Constanti

nopolitani de Spiritu Sancto dixerant: *Qui a Patre procedit.* Nunc autem, cum iuxta evangelicam veritatem (Ioan. XVII-10), quaecumque sunt Patris sint etiam Filii, excepta solum paternitate, qua Pater relative Filio opponitur et in ratione personae distinctae constituitur, sequitur plane quod ratio principii Spiritus Sancti in Patre esse non potest, quin sit et in Filio, ac per hoc, quisquis dixerit Spiritum Sanctum a Patre procedere, iam implicite dixit, a Patre *Filioque.* Verum ista praeter quaestionem sunt. Cum enim adversarii in vi notae ab eis assignatae, ex duobus distinctis capitibus falsam esse Ecclesiam Romanam contendant, videlicet quia addidit Symbolo, et insuper quia novum dogma de processione Spiritus Sancti a Filio invexit: iam reponunt rationem notae vel in solo et nudo facto absentiae additionis, independenter etiam a quaestione de intrinseca eius seu falsitate seu veritate. Et hoc est quod in praesenti pro absurdo denuntiamus, tum quia haec materialis invariatio nihil prae se fert quod ad Ecclesiae dotes pertineat, tum quia retorqueretur contra ipsam antiquam ecclesiam oecumenicam, cuius sunt septem priora Concilia generalia.

Caeterum nihil etiam proficerent adversarii, si forte intenderent munire se aliqua prohibitione iuris mere ecclesiastici, qua ab antiquis Conciliis vetitum fuisset ne quovis modo adderetur unquam Symbolo Constantinopolitano. Sciant enim elementare esse principium, quod legislator non ligat seipsum, et quod suprema potestas nusquam limitatur per decreta emanata ab iis qui temporibus anterioribus eamdem ipsam potestatem exercuerunt, cum omnes sive antecessores sive successores unam semper iuridicam personam constituant. Quidquid ergo nunc sit de existentia supradictae prohibitionis (cuius tamen nullum quod sciam apparet vestigium), ex natura rei solos inferiores respexisset, minime vero eos qui usque in mundi finem suprema in Ecclesia auctoritate potirentur. Et hoc quidem adeo obvium et perspicuum est, ut pudeat in ea re magis declaranda oleum perdere simul et operam.

Itaque, quocumque modo rem aspicias, evidens est quod invariatio in doctrina, ad hoc ut necessariam verae Ecclesiae proprietatem constituat, sumi debet formaliter, id est, non secundum immobilitatem litterae mortuae, seu nudam materialitatem formularum, (qua ratione in musaeis etiam antiquitatum doctrina

invariata conservatur), sed omnino secundum veritates ipsas quas continet depositum revelationis ab apostolis olim concreditum. Et tunc, si haec proprietas in notam positivam assumitur, redeunt fere rationes quae valent contra notam protestanticam purae et sincerae praedicationis verbi Dei. Considerandum namque est quod etsi ad convincendum de falsitate sectam quamlibet, sufficiat ostendere variationem vel circa unum tantum particulare dogma, certo tamen certius ad positivum veritatis Ecclesiae argumentum, *per se* requireretur ostensio invariationis quoad totum complexum doctrinae revelatae, iuxta tritum axioma: Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Nunc autem invariatio circa integrum revelationis depositum, praesertim ut manifestanda (secundum quod adversarii volunt) per decreta Conciliorum oecumenicorum et unanimem consensum Patrum, nullam omnino habet e conditionibus quae in Ecclesiae proprietate desiderantur, ad hoc ut transire possit in notam. Iterum namque observabis quod etsi omnis nota sit proprietas, non tamen e converso omnis proprietas est nota.

In primis proprietas illa non consistit in facto obvio, omnium oculis proposito, et per sese discernibili. Si enim non innotescit nisi per professiones fidei veterum Synodorum et Patrum unanimem sententiam, ergo prius erit Conciliorum decreta et Patrum ingentes libros persolvisse, quam scire ubinam sit ista in dogmate a maioribus accepto invariatio, veram Ecclesiam notificans. Sed proh dii immortales! quis unquam Isaiae legens oraculum: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius,* imaginari potuit populos certatim accurrentes cum collectione Conciliorum et voluminibus integrae Patrologiae? Quis mirabilem hanc domum in cacuminibus montium elevatam somniavit visibilem luce solum accepta e latebris bibliothecarum? Sane vero fateberis ultro, non esse ibi modum perveniendi ad cognitionem verae religionis, qui ad vulgi capacitatem sit undequaque accommodatus, si tamen viris etiam in theologica scientia versatissimis post longa et ardua studia adhuc impar non appareat. Nec ad removendam de vulgo sollicitudinem, satis erit si dicas, vulgus hominum a doctis esse instruen-

dum. Nam id saltem mihi concedas necesse est: Christum sci. licet sat inique res disposuisse si verae Ecclesiae notam in eo collocasset, in quo docti, aut facile falluntur, aut certo certius pro studio partium indoctos facillime fallunt. Nunc autem, ita se rem habere in adversariorum sententia, non aliunde demonstratum esse volo, quam argumentis ab ipsismet in actu exercito suppeditatis.

Et exempli quidem gratia, dum intendunt ostendere invariationem dogmatis penes se esse, abesse vero ab Ecclesia Romana propter dogma de primatu Papae post septem priora Concilia oecumenica noviter introductum, appellant ad canonem 28^um^ Concilii IV, et ad 36^um^ Concilii VI. Atqui testatur historia, canones illos qui ab eis dicuntur Concilii VI, non esse nisi Concilii *in Trullo*, quod ipsi Graeci *Quinisextum* vocant, quodque ab oecumenico Concilio VI apprime distinguitur (1). Item testatur, tres ultimos canones Concilii Chalcedonensis, a 28 ad 30, eos esse contra quos furtim introductos illico reclamaverunt legati Sedis Apostolicae (2), et quorum confirmationem, licet a Patribus Concilii

(1) Cf. Harduin, Tom. 3, post acta Synodi VI, *Concilium in Trullo palatii imperatorii, admonitio ad lectorem* (Edit. Paris. 1714, pag. 1646, seq.).

(2) « Paschasius vicarius Sedis Apostolicae dixit : ... Hesterna die « postquam potestas vestra surrexit, et humilitas nostra vestigia vestra « secuta est, quaedam gesta facta dicuntur, quae nos et praeter cano- « nes ecclesiasticos et disciplinam aestimamus effecta. Poscimus ergo « ut vestra Magnificentia relegi haec praecipiat, ut omnis fraternitas in- « spiciat, utrum iusta an iniusta sint ea quae gesta sunt ». Agebatur autem de iure Constantinopolitanae Sedi attribuendo, confirmandi et ordinandi metropolitas in Asiana et Pontica et Thracia dioecesibus. Et cum ab incepto non desisterent Concilii Patres, Lucentius alter Sedis Apostolicae legatus dixit: « Sedes Apostolica nobis praesentibus humi- « liari non debet, et ideo quaecumque in praeiudicium canonum vel re- « gularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, Sublimitatem Ve- « stram petimus ut circumduci iubeatis. Sin alias, contradictio nostra « his gestis inhaereat, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ec- « clesiae Papae referre debeamus, ut ipse aut de suae Sedis iniuria aut « de canonum eversione possit ferre sententiam » (Acta Conc. Chalced., Act. XIV, apud Harduin, Tom. 2, pag. 616-643).

expetitam (1), S. Leo concedere noluit (2). Unde et carent regulari subscriptione quae post canonem 27 immediate ponitur, et desunt non solum in omnibus manuscriptis latinis, verum etiam in Nomocanone Ioannis Antioch. Patr. Cp., et apud Theodorum Lectorem, et in paraphrasi Arabica (3). Quod non ideo dixerim, quasi in praedicto canone 28 Concilii IV, si intelligatur ad mentem suorum auctorum, tum in Actione XVI, tum in epistola ad S. Leonem directa declaratam, aliquid sit quod *dogmaticae veri-*

(1) Confirmationem canonum qui legatorum protestationes provocaverunt, a S. Leone his verbis petunt Patres Chalcedonenses : « Con« firmavimus autem et 150 sanctorum Patrum regulam, qui in Constan« tinopoli congregati sunt sub piae memoriae maiore Theodosio ; quae « praecepit, *post vestram sanctissimam et Apostolicam Sedem*, honorem « habere Constantinopolitanam, quae secunda est ordinata : confidentes « quia lucente apud vos apostolico radio, et usque ad Constantinopo« litanorum ecclesiam consuete gubernando, illum spargentes, hunc sae« pius expanditis, eo quod absque invidia consueveritis vestrorum bo« norum participatione ditare domesticos. *Quae igitur ad interemptionem « totius confusionis definivimus, haec... dignare complecti, Sanctissime et « Beatissime Pater*. Qui enim locum Vestrae Sanctitatis obtinent, san« ctissimi episcopi Paschasius et Lucentius, et qui cum eis est reve« rendissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resi« stere tentaverunt, *procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bo« num volentes, ut sicut fidei, sic bonae ordinationis vobis deputetur effe« ctus* ». Epistola Concilii Chalcedonensis ad S. Leonem, apud Harduin, l. c. pag. 656.

(2) « Ne per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae « in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta « sunt, approbem : haec ad omnes fratres et coepiscopos nostros qui « praedicto concilio interfuerunt, scripta direxi .., ut et fraterna univer« sitas et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres « qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gesto« rum synodalium, propriam vobiscum iniisse sententiam, *in sola vide« licet fidei causa* (*quod saepe dicendum est*), *propter quam generale Con« cilium, et ex praecepto Christianorum principum, et ex consensu Apo« stolicae Sedis placuit congregari*, damnatis haereticis qui si corrigi « voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini Nostri Iesu Christi « incarnatione dubitatio ». Epistola Leonis Papae ad episcopos qui in sancta Synodo Chalcedonensi congregati fuerunt. Apud Harduin, l. c. pag. 685.

(3) Harduin, ibid. pag. 609.

tati primatus Romani contrarietur, sed solum ad ostendendum quam absurde poneretur nota verae Ecclesiae dependens a quaestionibus de authenticitate unius vel alterius canonis conciliaris, in quibus vulgus hominum est adeo peregrinum, ut fallaciis decipientium absque defensione undequaque pateat.

At non satis, quia in hoc campo non tantum ex iis quae afferuntur facillima fallacia est, verum etiam et maxime ex iis quae silentio praetermittuntur. Quod rursus exemplo adversariorum confirmatum velim. Dum enim pro causa sua adducunt, vel suppositities oecumenicorum Conciliorum canones, vel alios qui ad rem nonnisi specie tenus faciunt, omittunt interim ea Romani primatus argumenta quibus plena sunt acta Synodorum quae fuerunt in Oriente celebratae. Ignorant ergo legatos Romanae Sedis semper in his Conciliis praefuisse, puta Hosium Cordubensem in Nicaeno vice S. Sylvestri, Cyrillum Alexandrinum in Ephesino vice S. Caelestini, Paschasium et Lucentium in Chalcedonensi vice S. Leonis, et simplices etiam presbyteros imo et diaconos decretis subscripsisse ante omnes patriarchas, non alia sane de causa nisi quia pro Pontifice Romano legatione fungebantur. Non legerunt confirmationem Concilii I a S. Sylvestro in Concilio Romano factam: *Quidquid in Nicaea Bithyniae constitutum est, ad robur sanctae matris Ecclesiae catholicae et apostolicae, a sanctis sacerdotibus trecentis decem et octo, nostro ore conformiter confirmamus* (1). Nihil sciunt de sententia depositionis Nestorii in Ephesino pronuntiata: *Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri et Comministri Caelestini Romanae ecclesiae episcopi, ad lugubrem contra eum* (Nestorium) *sententiam necessario venimus* (2). Eos fugit, qualiter in eodem Ephesino Concilio, legati Roma missi, cum propter adversam tempestatem tardius advenissent, voluerunt secundum instructiones a Caelestino Papa acceptas, totaque consentiente Synodo, ut quae in eorum absentia Actione I gesta fuerant, suae approbationi subiicerentur: *Philippus presbyter et Apostolicae Sedis legatus dixit: Gratias agimus sanctae venerandaeque Synodo quod litteris sancti beatique Papae nostri vobis recitatis..., sanctis vestris exclamationibus vos adiunxeritis. Non enim ignorat vestra*

(1) Harduin, Tom. 1, post Acta Concilii Nicaeni, pag. 527.
(2) Ibid, Acta Concilii Ephesini, Act. 1, pag. 1422.

beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum caput esse beatum apostolum Petrum. Proinde cum nostra mediocritas multis tempestatibus iactata et vexata serius accesserit, rogamus ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum in sancta hac Synodo acta sunt, quo iuxta beati Papae nostri, praesentisque huius sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus conformiter eorum depositioni (1). De acclamationibus Patrum Chalcedonensium, post lectas litteras synodicas S. Leonis, nusquam audierunt: *Haec apostolorum fides. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est* (2). Volunt ignorare, dogmaticum decretum Concilii VI (Constantinopolitani III) de verbo ad verbum fuisse transcriptum ex praeformata definitione Agathonis Papae in litteris ad Imperatorem Constantinum missis (3), decretumque ipsum sic incipere: *Sancta et universalis Synodus fideliter suscipiens et expansis manibus amplectens suggestionem quae a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquae Romae facta est ad Constantinum fidelissimum nostrum Imperatorem,* etc. (4). Omitto nunc sexcenta alia quae in eumdem scopum notari possent, et unam tantum conclusionem in tuto esse volo. Nam si quoad unum solum dogma natura sua planum minimeque reconditum, tam facilis fallacia est in nota ab adversariis assignata, quanto magis si per consensum Patrum et oecumenicorum Conciliorum decreta innotescere deberet invariatio doctrinalis quoad totum complexum veritatis revelatae! Non ergo ibi quaerendum id quo hominum multitudo distinguere possit veram ecclesiam a sectis adulterinis, non id quo Ecclesia ipsa, ut Patres dicunt, est luce perfusa, super omnes conventus eminens, plus quam sol splen descens, in sole posita, hoc est, in manifestatione nota, conspicua, gloriosa, ornata, lucida, ita ut vanus sit et caecus qui tam magnum montem non videt, et contra lucernam in candelabro positam oculos claudit.

Accedit quod conservatio absque variatione doctrinae infallibilis (ut supra), non est aliquid notius re notificanda, adeoque

(1) Harduin, Acta Concilii Ephesini, Act. 2, pag. 1471, seq.

(2) Ibid. Tom 2, Acta Concilii Chalcedonensis, Act. 2, pag. 306.

(3) Ibid. Tom. 3, Acta Concilii Constantinopolitani III, Act. 4, pag. 1074 et seq.

(4) Ibid. Tom. 3, Acta Concilii VI, Act. 18, pag. 1398.

etiam quoad doctos, absurde in notam erigitur. In quo iterum, opportunum argumentum suppeditabunt Orthodoxi nostri. Nam in applicatione suae notae, imponunt nobis variationem, sibique adscribunt invariationem, circa dogma processionis Spiritus Sancti. Cum autem nos firmiter teneamus rem praecise e converso se habere, ergo medium agnoscendi veram ecclesiam erit in praevia solutione quaestionis ad altissimum Trinitatis mysterium pertinentis, quae infinitis disputationibus metaphysicis iam ab antiquo ansam praebuit, quatenus per prius innotescat quid intenderint veteres Patres Graeci, cum dixerunt Spiritum Sanctum non procedere *ex* Filio, sed ex Patre *per* Filium! Verumenimvero, quid, quaeso, ex his duobus notius esse debet, an ecclesia vera, an divinarum processionum ratio? Aut forte per cognitionem revelatae veritatis de Trinitate perveniendum est ad cognitionem ecclesiae verae, potius quam per cognitionem ecclesiae verae ad cognitionem veri dogmatis de Trinitate? Universim quippe loquendo, cum Ecclesiam suam instituerit Christus, ut per quam instruerentur homines de mysteriis credendis ad salutem, iuxta illud: *Praedicate evangelium omni creaturae,* necesse habuit ponere signa Ecclesiae demonstrativa in plena independentia ab eorumdem reconditorum notitia mysteriorum, ut iam cum veritate dicant populi: *Venite, ascendamus ad montem Domini ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas,* non autem e converso: Docuit nos vias suas, ascendamus ergo ad domum eius. Itaque omnibus modis deficiens invenitur nota a Moscovitis proposita.

§ 3.

Quod notae recte reponuntur in quatuor proprietatibus a Patribus Constantinopolitanis symbolo inscriptis: « Et unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam ». — Hic observa, nondum esse propositum intentionis nostrae descendere ad specialem declarationem necnon et demonstrationem singularum notarum, cum id ad sequentium quaestionum obiectum pertineat, sed solum generaliter et quasi summatim in praefationis modum ostendere, quam bonam idoneitatem habeant haec quatuor ad notae officium, ut facilior postea de unoquoque in particulari instituatur disputatio.

Et re quidem vera, in charactere notificante veram ecclesiam seu religionem, duo requiruntur. Primo, ut consideratus in abstracto seu quoad ius, facile appareat velut necessarium ac proprium ipsius verae religionis de qua inquiritur attributum. Secundo, ut consideratus in concreto, hoc est, in suae realitatis exercitio, per sese visibilis ac discernibilis exsistat: quatenus ad sciendum an sit et ubi sit, non oporteat ad alia recondita recurrere, non abstrusas agitare quaestiones, non metaphysicorum problematum praemittere solutionem, multoque minus praesupponere cognitionem veritatum de quibus per ipsius verae ecclesiae magisterium homines sunt regulariter instruendi; sed solum attendere ad facta quae usque nunc experimentali nostrae cognitioni subsunt, aut certe in celebratissimis et maxime conspicuis historiae documentis continentur. Atqui ambae conditiones omnino verificatae inveniuntur in quatuor supradictis Symboli Constantinopolitani.

Verificatur prima conditio, quia omnia et singula facile innotescunt tanquam necessaria ac specialia Christi Ecclesiae attributa, idque tum ex claris et notissimis testimoniis evangelii quae in sequentibus afferentur, tum etiam ex hoc quod hominum animis pene naturaliter insitum est, *unitatem* esse propriam tesseram religionis a Deo institutae, et *sanctitatem* tam necessario in ea adesse, quam necessario abest ab omni religione humanitus constructa; *catholicitatem* quoque iure haberi ut aliquid divinum quod in vera Christi Ecclesia consequi debuit universalitatem redemptionis; denique *apostolicitatem* seu directam derivationem ab iis qui de coelo missionem acceperunt, ita esse supernaturali religioni essentialem, ut ex natura rei in nulla falsa secta possit reperiri. Haec, inquam, omnia mentibus etiam simplicium ac rudium, sin minus in forma scientifica, at certe in confuso pro uniuscuiusque mensura et captu, sponte sua se insinuant. Unde nihil omnino desideratur de priori conditione notae, quae respicit ius in abstracto.

Sed nec desideratur conditio altera, in qua potissimum peccant notae praecedenter reiectae; conditionem dico dignoscibilitatis, quae exigit ut id quod in notam assumitur sit notius re notificanda, et ope experientiae attingi valeat in sua concreta realitate. Et sane, unitas religiosa, etiam cum omnibus circumstantiis quae ad notam positivam requiruntur, visibilibus publi-

cisque factis sese prodit ubi est, sicut publicis factis noscitur abesse ubi non est; idemque dic de sanctitate, catholicitate, et apostolicitate. Nam quod adversarii dicunt, characteres istos praesupponere alios anteriores, vel in rebus facti experimentalis minime esse repositos, quasi sanctitas catholicitas et apostolicitas de qua loquimur, in nullo alio consisteret quam in conservatione doctrinae sanctae, catholicae, et apostolicae (1), non est usquequaque verum. In tantum enim nunc ecclesiam aliquam dicimus sanctam, in quantum factis et effectibus inclarescit ut propria sedes sanctitatis apud homines; in tantum catholicam, in quantum per totum orbem et inter omnes gentes est diffusa; in tantum apostolicam, in quantum in suis antistitibus et summis rectoribus notoriam habet ab apostolis sine interpolatione successionem: que omnia ex infra dicendis evidentius apparebunt.

Caeterum, notas praefatas esse eas ipsas quibus ab initio utebantur Patres ad discernendam veram Ecclesiam, facile constat. Certe illas omnes simul colligit Augustinus in refutatione epistolae Manichaei quam vocant fundamenti. « In catholica, in« quit (2), Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius « cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt..., multa « sunt alia quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet « consensio populorum atque gentium *(unitas)*. Tenet auctoritas « miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta *(sanctitas)*. Tenet « ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post re« surrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem « episcopatum successio sacerdotum *(apostolicitas)*. Tenet po« stremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter « tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum « haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino « alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel « basilicam suam vel domum audeat ostendere *(catholicitas)*. »

Specialiter vero notam **unitatis** late exponit Cyprianus (3) occasione schismatis Novatiani, ostendens tractatu longo atque argumentis opus non esse, ut quis Ecclesiam veram ab adulterinis sectis discernat. « Probatio est ad fidem facilis compendio

(1) *Introduction à la théologie Orthodoxe de Macaire*, ubi supra, § 143.
(2) Augustinus, contra epistolam fundamenti, c. 4.
(3) Cyprianus, de Unitate Ecclesiae, per totum et specialiter. n. 4.

« veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi dico,* inquit, « *quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam* « *meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves* « *regni caelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et* « *in caelis, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in* « *caelis.* Super illum unum aedificat suam Ecclesiam, et illi pascen- « das mandat oves suas. Et quamvis apostolis omnibus post re- « surrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut* « *misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum ; si* « *cuius remiseritis peccata, remittentur illi, si cuius tenueritis, te-* « *nebuntur,* tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram « constituit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua « auctoritate disposuit. Hoc erant utique et caeteri apostoli quod « fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed « exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut « una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores « sunt omnes et grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus « unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una mon- « stretur. Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fi- « dem credit ? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram « Petri super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se « esse confidit ? quando et beatus apostolus Paulus hoc idem « doceat, et sacramentum unitatis ostendat dicens : *Unum corpus* « *et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una* « *fides, unum baptisma, unus Deus* ».

Notam quoque **sanctitatis** multis prosequitur Epiphanius in fine operis quod conscripsit adversus haereses, sese comparans viatori qui post emensa maria tempestuosa atque horrenda deserta, pluribus incommodis et maximis iniuriis conflictatus, terrestrique et maritimo itinere confectus, tandem respirat in prospectu civitatis. Est autem haec civitas sancta Ierusalem, Christi virgo et sponsa, basis et petra solidissima, quam alloquens exclamat : « Paradise summi artificis, sancti regis civitas, puri illi- « batique Christi sponsa, castissima virgo, uni ac singulari viro « desponsa per fidem, splendida et diluculi instar emergens, pul- « chra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordi- « nata, quae ascendis e deserto, splendidissimo candore collucens « et innixa patrueli, quae unguentorum fragrantiam redoles, quae « ascendis e deserto tanquam virgula fumi ex myrrhae thurisque

« suffitu, atque ex aromatarii pulvisculo qui suavissimum odorem « exhalavit. Quae ad dexteram regis assistis, fimbriatis induta « vestibus, et intextis auro, variisque perpolita. Quae nigrore « quondam infecta, pulchra nunc es et candida, ut cum ad te « pervenerimus, a tristissimis illis haeresum molestiis quas hacte- « nus obivimus, aliquando cessemus, et a tempestatum decuma- « norumque qui illic sunt fluctuum iactatione conquiescentes, in « te, Sancta mater Ecclesia, et in sancta doctrina tua, ac sancta « pariter solaque Dei fide et veritate respiremus ». Tum, multis interpositis de fidei expositione, incipit Epiphanius exponere ea quae ad sanctitatem legum et institutorum Ecclesiae pertinent, necnon et ad eximios sanctitatis fructus qui in ipsa conspiciuntur, ac demum in hunc modum concludit : « Hic est character et nota « istius sanctae Ecclesiae... Haec est, inquam, Ecclesiae nota ex « lege, prophetis, apostolis, et evangelistis conflata... Haec est « venerandae Christi sponsae nota peculiaris ac descriptio, haec « illius dos et haereditatis testamentum » ([1]).

Quod si nunc specialem usum notae **catholicitatis** requiras, confer inter alios Augustinum in infinitis pene locis suorum operum adversus Donatistas. Attende praesertim ad ea quae habet in libro de vera religione, n. 12 : « Tenenda est nobis christiana « religio, et eius Ecclesiae communicatio quae catholica est, et « catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omni- « bus inimicis. Velint nolint enim, ipsi quoque haeretici et schi- « smatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis lo- « quuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non « enim possunt intelligi nisi hoc eam nomine discernant, quo ab « universo orbe nuncupatur ». **Apostolicitatem** denique esse tesseram et characterem ad quem frequentius appellant Tertullianus, Irenaeus, Optatus, Hieronymus, et alii sine numero, adeo notum est ut nequaquam opus sit transcribere nunc testimonia quae infra, in speciali quaestione, opportuniorem locum invenient.

Quid si dicerem, ipsos quoque paganos ope eorumdem criteriorum discrevisse, et a caeteris quibusvis sectis distinxisse veterem illam martyrum Ecclesiam, in cuius veritate agnoscenda Protestantes et Orientales omnes nobiscum sine dubio consen-

([1]) Epiphanius, adversus haeres. l. 3, tom. 2, Expositio fidei.

tient? Sane vero, Celsus qui suas christianis intestinas dissensiones exprobrabat propter tot schismata quae videbat undique consurgere, unam adhuc Ecclesiam distinguebat ab aliis omnibus facile dignoscibilem, et *catholicitate* praevalentem: quam hac decausa *magnam Ecclesiam* vocat. « Ergo, inquit (1), idem Deus, « Iudaeorum et istorum (christianorum scilicet). Quippe id *magna* « *Ecclesia* aperte confitetur, quae etiam admittit ut vera, quae « Iudaei commemorant de mundi creatione, de sex diebus, etc. ». Ubi vides argumentum Celsi ad hoc pene reduci: Dico eumdem esse Deum christianorum, qui et iudaeorum. Nec obstat quod sacros iudaeorum libros christiani quidam (puta Marcionitae) non recipiunt. Sufficit enim confessio Ecclesiae magnae (communionis catholicae), in qua non secta, sed truncus ipse christianismi esse noscitur. — Similiter in commotione quam excitavit Paulus Samosatenus, imperator Aurelianus sine difficultate agnovit veram Ecclesiam christianam ad quam pertinebat aedificium sive templum, illudque adiudicavit iis *qui erant in communione cum episcopo Romae,* ut refert Eusebius, Hist. eccles. l. 7, c. 30. Hanc enim communionem *successione apostolica* conspicuam, habebant et exteri ut ipsam radicem et arborem semper vivacem, quae cum ramis ab ea praecisis confundi omnino non poterat. — Adhuc, cum Constantius imperator incepit vexare Ecclesiam, ad Arianas partes deflectendo, Ammianus Marcellinus, tametsi paganus, non potuit non observare imperatorem hunc a recta via declinasse, quia declinaverat a religione christiana *absoluta et simplice* (2). Sed quid, quaeso, est religio christiana absoluta et simplex, nisi ea quae principio unitatis constat, et non potest deseri quin statim ad interminabiles dissensiones, disputationes, et logomachias pateat descensus? Ergo ipsi auctori pagano norma discernendi sinceram a non sincera christianitate, in tessera *unitatis* qua magnam Ecclesiam notatam cernebat, reposita videbatur. — Quid est etiam, quod paganorum impugnatione sectae semper caruerunt? Quippe nulli haeretici, teste Origene (3), pro

(1) Apud Origenem, contra Celsum, l. 5, c. 29.

(2) Ammianus Marcellinus, l. (21), c. 16.

(3) « Quod a nobis nimio, ut ita loquar, pietatis studio fit, cum sci- « licet nos omni mortis generi crucisque supplicio exponimus, id illis « (haereticis) tribuit (Celsus), qui nihil simile perferunt ». Origenes, c. Celsum, l. 7, n. 40.

fide pati habuerunt. Sed et Iustinus in Apologia (1) observat persecutionem pepercisse Marcionitis et aliis. Porro, aut vehementer fallor, aut explicatio tam singularis facti quaerenda est ex hoc quod rabies inferni in eam solam Ecclesiam sese exercuit, quae nota *sanctitatis* tanquam inferni antagonistam palam se prodebat; de caeteris vero, a quibus nihil haberet timendum, mundus iustitiae Dei per omnia infensus, omnino non curavit. Tales igitur sunt perpetui characteres quibus ab initio vera Christi Ecclesia omnibus visibilem sese exhibuit.

Verumtamen omnia hactenus dicta, simplicis praeambuli loco accipias velim. Quod enim Ecclesia cui Romanus praeest Episcopus, per quatuor notas Symboli et per singulas earum, velut unice vera evidenter signetur, quatuor sequentes disputationes *absolute* demonstrabunt. Statim autem incipiendum a nota unitatis.

(1) « At eos (Simonis Magi et Marcionis sequaces) a vobis nec ve-« xari nec occidi, saltem ob ipsorum opiniones, novimus ». Iustinus, Apologia prima pro Christianis ad Antoninum imperatorem, n. 26.

QUAESTIO III.

DE NOTA UNITATIS.

Omnis societas aliqua unitate constat, quia societas generatim dicit hominum multitudinem vinculo cuiusdam communitatis colligatam, in ordine ad prosecutionem finis qui alias a disgregatis individuis, aut nullo modo, aut nonnisi aegre et imperfecte posset obtineri. Multitudo ergo se habet ut materia, vinculum vero colligans ut forma, et hoc vinculum nihil aliud est quam id quo primo adstruitur unitas ad socialem actionem praerequisita. Porro ad socialem actionem semper et necessario praerequiritur subordinatio multitudinis ad unum regimen a quo sit impulsus, et socialium virium gubernatio. Praerequiritur etiam aliqua coadunatio intellectuum in cognitione finis prosequendi et mediorum ad finem conducentium, tum certa unio voluntatum qua multitudinis individua ad invicem se habeant sicut partes eiusdem totius et membra eiusdem corporis, utique per respectum ad finem a quo est specificatio societatis, et omnium ad ipsam pertinentium mensura ac determinatio.

Sed iam notandum est discrimen inter societatem temporalem et societatem ecclesiasticam, quae in tantum supernaturalis dicitur et est, in quantum pro fine proprio habet, non quidem bonum pacificae et tranquillae vitae huius mundi, sed bonum futurae beatitudinis de quo Apostolus: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* (1). Etenim, quod ad temporalem societatem attinet, principia coadunationis intellectuum et voluntatum iam praeexsistunt in natura, cum natura quae eadem est in omnibus, sufficienter nos instruat de fine et mediis, suoque instinctu sufficienter inclinet in bonum praesentis

(1) 1 Cor. II, 9.

vitae prout communi actione et collatis viribus prosequendum. Satis est igitur ut naturalis inclinatio suam habeat applicationem in determinato quodam socialis activitatis centro, et ideo nihil aliud in unitate civili considerare est praeter subordinationem multitudinis ad unum regimen autonomum, per primitivum aliquod aggregationis factum initiatam. — At vero, aliter omnino sentiendum est de societate ecclesiastica, quia per ordinem ad prosecutionem finis supernaturalis, principia coadunationis intellectuum et voluntatum non sunt nobis naturaliter indita, sed aliunde accedere debent. Quare subordinatio multitudinis ad sociale regimen iam non sufficienter habetur per nudum et simplex factum initiationis in societatem. Quin imo potissimum consistit, primo quidem in communi professione eius fidei quam docet sociale magisterium, (aliter enim non erit consensio intellectuum circa finem et media); tum secundo in positivo et perseverante omnium animo communicandi inter se ut partes illius corporis quod a sociali capite pendet, (nam alias deficeret radicalis illa voluntatum cohaesio, sine qua non intelligitur unificatio creaturarum intellectualium in ordine ad operandum). Atque hinc demum sequitur quod propria societatis ecclesiasticae unitas comprehendit triplicem unitatem **regiminis, fidei,** et **communionis,** quanquam unitas haec triplex, ut ex dictis iam apparet, non sit accipienda veluti in eadem linea existens, nam revera unitas regiminis est principium generativum et conservativum aliarum duarum, quarum altera respicit intellectus, et altera voluntates (1).

(1) Pulchre Concilium Vaticanum in Constitutione *Pastor aeternus,* has tres unitates simul complectitur dicens: « Pastor aeternus et epi« scopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis suae opus « perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua ve« luti in domo Dei viventes fideles omnes *unius fidei et charitatis* (id « est communionis) vinculo continerentur. Quapropter priusquam clari« ficaretur, rogavit Patrem non pro apostolis tantum, sed et pro eis qui « crediturí erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, « sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur apostolos « quos sibi de mundo elegerat misit sicut ipse missus erat a Patre, ita « in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem sae« culi esse voluit. *Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per « cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei*

Haec de unitate ecclesiastica generatim. Sed ut notio eius sufficienter compleatur, oportet nunc specialiter descendere ad singula.

Et primo quidem **unitas regiminis** quam dicimus a Christo in Ecclesia institutam, sumi debet in vero et proprio sensu verborum, adeoque secundum quod dicit regimen individuum, id est, in fractiones independentes atque autonomas minime divisum aut divisibile. Nam si fingas plura gubernia numero distincta, et a se invicem independentia, adhuc quidem haberi forsitan poterit unitas confoederationis, minime vero unitas regiminis nisi prorsus abusive. Et ratio est quia plura non possunt esse unum in eo ipso ordine in quo sunt plura. Non enim plures homines erunt unquam unus homo, tametsi possint esse una familia, et plures familiae nunquam erunt familia una, quamvis esse possint una civitas, et plures civitates nunquam erunt civitas una, quamvis esse possint unum regnum. Et simili prorsus modo, etsi plura gubernia possint esse una guberniorum confoederatio, non tamen unum gubernium seu unum regimen. Caeterum generatim loquendo, ipsius regiminis unitas absolute compossibilis est cum qualibet gubernii forma, sive monarchica, sive aristocratica, sive etiam democratica. Ubi tamen sermo est de Ecclesia, forma democratica nequidem in quaestionem venire potest, post tot et tam evidentia documenta in Quaestione prima proposita atque declarata. Non enim multitudini, sed apostolis auctoritatem contulit Christus in suo regno, uti attestatur tota de integro historia fundationis, ab initio usque ad finem. Quare si quid dubii adhuc superesset, nonnisi de forma aristocratica vel monarchica, quanquam plurima illa argumenta quae de primatu Petri hactenus occurrerunt, sufficientissimum iam praeberent fundamentum asserendi summum imperium iuxta Christi institutum esse penes unum, ac per hoc, regiminis ecclesiastici formam ad aliquod monarchiae genus esse reducendam. Verum ab his in praesenti possumus praescindere, ut nihil aliud nunc consideretur nisi indivisio gubernii, quocumque tandem modo habeatur, sive per hoc quod suprema

---

« *et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris apostolis* « *praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac* « *visibile fundamentum* ».

auctoritas a qua dependent omnes inferiores potestates residet apud unum solum antistitem, sive per hoc quod in solidum ab optimatum collegio retinetur.

Iam cum unitate regiminis cohaeret **unitas communionis**, quae eodem fere modo explicari debet. Quippe, sicut unitas regiminis excludit pluralitatem guberniorum, quantumvis amico foedere inter sese coniunctorum, ita unitas communionis excludit pluralitatem ecclesiarum quae se haberent veluti totidem tota seorsum in seipsis consistentia. A fortiori excludit monstruosum illud commentum Puseytarum qui Ecclesiam universalem conflant ex communionibus non modo independentibus, sed etiam inter se pugnantibus, Romana scilicet, Graeca, et Anglicana. Denique positive consistit in cohaesione omnium tam individuorum quam coetuum particularium ad invicem sub eodem capite supremo (1), per modum compactarum partium unius individui corporis moralis, cuius sunt communia bona, sacrificium, sacramenta, et suffragia (2).

Sed unitas communionis in societate credentium praesupponit **unitatem fidei**, quae utpote ad praesentem notam maxime pertinens, paulo ampliorem postulat declarationem, et hac de causa ultimo loco fuit reservata. In primis haec unitas consideratur, non secus ac praecedentes, ut in facto visibili consistens, videlicet in exteriori professione, quae quidem per se et ut in pluribus cum ipsa fide interna necessario coniungitur, tametsi per accidens et ut in paucioribus possit esse sine illa. Deinde unitas de qua nunc sermo, est unitas non fortuita, non

(1) Nota duplicem conditionem hic assignatam cum dicitur : cohaesio omnium ad invicem sub uno capite supremo. Non enim sufficit absolute loquendo subordinatio ad unum caput, ut habeatur unitas communionis, quia sub uno capite vel rege plures esse possunt, quin unam efficiant societatem. Et ideo *subordinationi* ad unum caput, addi debet *coordinatio* ad invicem ; quae coordinatio in hoc posita est, quod singuli fideles vel particulares coetus sint alter alterius membrum, ut dicitur Rom. XII-5, minime vero se gerant ut totum ab aliis separatum. Hinc S. Thomas 2-2, Quaest. 39, a. 1 docet quod schisma incurritur dupliciter, vel quia renuit quis subesse Summo Pontifici, vel quia membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat. Sed de hoc, alias.

(2) De hac communitate bonorum vide Tractatum de Sacramentis, Tom. 2, ubi de excommunicatione.

casualis, sed stabilis, principium habens proportionatum ac perpetuum, adeoque non facti tantum, verum etiam iuris. Et quia in omni societate principium unificans penes socialem auctoritatem residere dicendum est, iam apparet stabilem hanc fidei unitatem dependere ex natura rei a magisterio eorum qui missi sunt ad docendum omnes gentes, ad praedicandum evangelium omni creaturae, uno verbo, ad regendum et administrandum regnum Dei super terram. Tertio unitas de qua loquimur est eiusmodi ut versetur circa totum omnino complexum credibilium, quamvis aliter et aliter, pro diversa conditione obiectorum quae in proxima fidei regula iam sufficienter proposita supponuntur, vel secus. Et sane unitas fidei conditionem fidei ipsius sequatur oportet. Porro ad essentialem fidei theologicae rationem pertinet ut credat indiscriminatim omnia et singula a Deo revelata, quia motivum quod est divina auctoritas omnibus et singulis aequaliter applicatur. Et ideo si reiicitur quoad quodlibet e revelatis, ipso facto reiicitur quoad reliqua, nec est possibile ut vere credas Deo revelanti se esse unum et trinum, si forte non credas ei cum revelat Abraham duos habuisse filios, et sic de aliis. At vero, evidentissimum etiam omnibus erit, non posse eodem modo ferri actum fidei, tum in ea quae iam sunt explicite proposita ut in ambitu revelatorum comprehensa, tum in ea quae etsi obiective ad revelationis depositum pertinentia, nondum tamen ut talia nobis innotuerunt. Nam priora sunt obiectum fidei determinatum tam quoad se quam quoad nos; quo fit ut determinate etiam in ipsa ferri debeat fides nostra. Posteriora vero sunt determinata quidem quoad se, sed nondum quoad nos; et ideo nequaquam esse possunt obiectum fidei explicitae, nisi tantum in voto et in praeparatione animi, ubi scilicet facta fuerit de iis sufficiens propositio. Haec, inquam, omnia ex essentiali ratione fidei divinae aperte fluunt; quibus consentanea sint necesse est quaecumque de unitate dicuntur, cum haec unitas nihil aliud sit quam proprietas fidei ipsius prout in multitudine societatis credentium consideratae. Nunc ergo si bene teneas id quod supra notatum est, et evidenti etiam ratione suadetur, nimirum, propositionem revelatorum quae ad communem in societate fidem sufficiat, non posse descendere nisi a sociali auctoritate, facile videbis ipsam fidei unitatem de qua nunc sermo, id demum et nihil aliud importare:

Ut scilicet omnes consentiant in determinata confessione omnium articulorum iam propositorum ab auctoritate magisterii, paratosque se prodant ad unanimem confessionem, eamque pariter determinatam atque explicitam, circa alia quaecumque revelata, statim ac continget ipsa explicite proponi ac definiri per praedictum magisterium, cui in rebus fidei cuncti se subiectos profitentur.

Hactenus simplex declaratio eorum quae sunt de conceptu socialis unitatis fidei. Ubi non praesupponimus eius exsistentiam vel necessitatem ex instituto Christi; nam haec manet postmodum demonstranda. Neque etiam praesupponimus infallibilitatem magisterii ad quod pertinet propositio credendorum; nam eiusmodi infallibilitas se habet potius quoad nos ut logica consequentia supradictae unitatis, si forte fuit alicubi a Deo vere instituta, et sub obligatione hominibus imposita. Nihil ergo horum praesupponitur, sed tantum in abstracto declaratur *quid importet fidei unitas in aliqua societate seu ecclesia.* Et ex dictis constat primo, importari unitatem quae a publico magisterio tanquam a proprio principio dependeat, quia hoc fert natura unitatis socialis. Constat secundo, importari unitatem quae vigeat quoad omnia credibilia, et non quoad solos quosdam (ut aiunt) fundamentales articulos, exsistentibus interim contradictoriis et inter se pugnantibus professionibus quoad caeteros non fundamentales, quia hoc respuit natura fidei de qua unitas praedicatur.

Quod autem attinet ad hanc ipsam distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium, diligenter adverte posse illam dupliciter intelligi. Primo ex parte solius materiae, quatenus scilicet inter obiecta revelata, quaedam sunt quae implicite continent alia, vel de quibus oportet unumquemque fidelem diserte instrui, eo quod non sufficit ut credantur fide illa confusa qua quis credit in generali quidquid revelavit Deus, sed debent in se distincte cognosci necessitate vel medii vel saltem praecepti. Quaedam vero alia, quorum cognitio explicita non est simpliciter necessaria ad salutem, quaeque ideo absque praeiudicio spiritualis vitae possunt ignorari, modo animus sit paratus ad credendum etiam explicite facta sufficienti propositione. Et hoc sensu memorata distinctio rationabiliter admittitur, eo vel magis quod impossibile est ut omnia a Deo revelata distincte cognoscantur, praesertim ab omnibus et singulis fidelibus. Hoc sensu fundamentalia dici

possent ea quae continentur in symbolo, et multo magis illa duo quae recenset Apostolus ad Heb. XI-6, quoniam in eis tota fidei doctrina quodammodo incardinatur (1). Sed alio prorsus sensu distinctio fundamentalium et non fundamentalium a Protestantibus est inventa, videlicet ex parte auctoritatis vel obligationis credendi, quasi in revelatis essent quaedam indifferentia, de quibus liberum foret unicuique quidlibet sentire, ita nimirum ut contradictoriae confessiones veritati fidei eiusque unitati minime officerent. Et hoc modo distinctio est manifeste impia et absurda, quia funditus evertit auctoritatem Dei et erigit in principium legitimitatem haereseos, quae nihil aliud est quam eclectismus in materia doctrinae revelatae. His adhuc addi possent plurimae aliae considerationes, quae tamen opportuniorem locum habebunt in sequentibus. Nunc enim, praemissis (ut par est) notionibus necessariis, veniendum est ad positiones spectantes notam unitatis, quarum prima est ut sequitur.

THESIS III.

Ecclesia ex sui fundatoris instituto est essentialiter una unitate regiminis, fidei, et communionis. Quae triplex unitas prout viva ac per se consistens, id est, nulli alii unitati naturali (puta politicae) subordinata, et accessorii instar annexa, proponitur in Evangelio velut nota verae Ecclesiae positiva. Porro, in vi huius notae, Ecclesia communionis Romanae unica vera et legitima Christi sponsa esse ostenditur.

Vides integram assertionem ad duo principalia puncta reduci. Primum est quod unitas, sub triplici aspectu praecedenter declarato, est iuxta Christi institutum proprietas Ecclesiae si-

(1) « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credi-« bilibus, scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa « hominum salutem, secundum illud Heb. XI-6 : *Accedentem ad Deum « oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* In « esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter « existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiae « includuntur omnia quae temporaliter dispensantur a Deo ad hominum « salutem, quae sunt via in beatitudinem ». S. Thomas 2-2, Q. I, a. 7.

mul et nota positiva. Alterum est quod de facto non invenitur nisi in communione Romana, quam eo ipso signat ut solam veram Ecclesiam extra quam non est salus. Singula per ordinem demonstranda.

§ 1.

Principalis locus, ad quem aliae auctoritates N. T. facile reduci possunt, est apud Ioannem in illa sublimi oratione quam post coenam, iam pergens ad crucem, pro Ecclesia sua fudit Dominus ad Patrem: « Haec locutus est Iesus, et sub-« levatis oculis in coelum dixit: Pater, venit hora, clarifica « Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te..... Manifestavi nomen « tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et « mihi eos dedisti..... Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, « sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, et mea omnia « tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. Et iam « non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, « *ut sint unum sicut et nos*. Cum essem cum eis, ego servabam « eos in nomine tuo... Non rogo ut tollas eos de mundo, sed « ut serves eos a malo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus « veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos « in mundum. Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi « sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed « et pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me, *ut* « *omnes unum sint,* sicut tu, Pater, in me et ego in te, *ut et* « *ipsi in nobis unum sint,* ut credat mundus quia tu me misisti. « Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, *ut sint unum* « *sicut et nos unum sumus*. Ego in eis et tu in me, *ut sint* « *consummati in unum,* et cognoscat mundus quia tu me misisti, « et dilexisti eos sicut et me dilexisti ».

Haec sane oratio, utpote interpres absolutae voluntatis Christi, debuit in omnibus infallibiliter adimpleri. Sciendum enim est quod aliqua petiit Christus a Patre, non absolute et quoad eventus efficaciam, sed solum conditionate et quoad mediorum sufficientiam, cuiusmodi ea sunt quae generaliter spectant salutem omnium et singulorum hominum, pro quibus omnibus et singulis mortuus est, pretium sui sanguinis offe-

rendo. Aliqua vero alia petiit etiam absolute, ita scilicet ut petitio ferretur super consecutionem rei in seipsa, et non tantum super consecutionis media, defectibili hominum arbitrio oblata et commissa. Porro quidquid absolute petiit, absolute voluit, absolute etiam obtinuit, quia semper et in omnibus exauditus est pro sua reverentia (1). Nunc autem absolutam fuisse petitionem illam quae Ioan. XVII continetur, apparet ex omnibus circumstantiis imo et terminis orationis. Prius enim, ut Maldonatus adnotat, pro se oraverat Christus ut a Patre clarificaretur, et rationes multas adduxerat cur exaudiri ab eo deberet: quod ipse eum clarificasset, quod opus eius perfecisset, quod nomen eius hominibus manifestasset, quod non sine fructu officio defunctus esset. Et nunc orat eodem tenore pro discipulis, causasque multas item affert quamobrem pro illis rogans exaudiri debeat, non secus ac pro se (2). Atqui sine dubio absoluta fuit petitio qua pro se petiit clarificationem, in resurrectione a mortuis, ascensione in coelum, et sessione ad dexte ram Patris demum obtentam. Ergo absoluta pariter illa alia quae sequitur. Praeterea, utquid diceret: *non pro mundo rogo,* nisi hic attendi deberet specialissima quaedam exauditionis voluntas, spectans rem petitam consideratam in infallibili eventu, et non tantum in causis quae effectu suo ex deficientia hominum carere possunt? Denique constat obiectum huius orationis esse ipsam perennitatem operis pro quo Pater miserat Filium in mundum, quodque Pater absoluta voluntate volebat, tametsi dependenter a Christi merito et oratione adimplendum. Omnia ergo infrustrabilem petitionem inculcant, adeoque haec ipsa petitio habenda est instar legis constitutivae, in qua necessariae proponuntur dotes quibus vera Christi Ecclesia foret decoranda; nec quod sciam, ulla unquam in hac parte prodiit adversariorum oppositio. His igitur praesuppositis, videndum nunc per ordinem, pro quibus roget Christus, quid roget, et ad quid ordinetur id quod rogat.

In primis rogat pro toto Ecclesiae corpore, videlicet pro integra hierarchia apostolica usque in saeculi finem permansura, necnon et pro omni multitudine credentium eidem hierarchiae

(1) De oratione Christi cf. tractatum *de Verbo incarnato*, Quaest. 21.
(2) Maldonatus, in h. l.

per decursum temporum aggreganda. Incipit ab apostolis qui praesentes aderant, quique coena facta, secuti fuerant eum versus hortum Gethsemani properantem (Marc. XIV, 17-26; Luc. XXII, 14-39). Iam enim abiturus commendat eos Patri: *Quia tui sunt,* inquit, *et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis,* duas proponens rationes validissimas ob quas commendationis suae exspectat effectum. Una est quod discipuli sui Patris sint, debeat autem quisque suorum habere curam. Altera est quod in illis ipse fuerit clarificatus, quasi dicat aequum esse ut Pater iis quibus Filius obstrictus est, mercedem solvat. *Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio,* quae tertia est ratio duabus praecedentibus superveniens. Ipse enim Christus qui apostolos hactenus tanquam pater filios protegebat, de mundo discedebat, et ideo deberet illos orphanos desertosque relinquere nisi illis nunc adesset Pater. Et hanc ipsam rationem magis magisque more humano confirmans, (nam ut homo inter homines loquebatur): *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi... Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo,* id est, cum ego in mundo cum illis eram, ego tuebar, ego protegebam eos, nunc autem discedente me, tuo illis auxilio opus est, ergo ne deseras illos. Et prosequitur dicens: *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo,* ubi quartam affert rationem qua Patrem monet ut discipulis in mundo manentibus opem ferat: quod scilicet ipsius Patris causa mundus eos odio habeat et persequatur, iustumque sit ut cuius causa patiuntur, ab eo adiuventur. *Non rogo ut tollas eos de mundo,* hoc enim non expedit, cum per eos evangelium sit ubique terrarum praedicandum, *sed ut serves eos a malo,* hoc est, volo ut in mundo necessario manentes a mundo serventur. Et iam alludens ad caeremonias et ritus quibus veteris foederis sacerdotes initiati fuerant, dicit venisse tempus solemnis inaugurationis novi sacerdotii Novi Testamenti: *Sanctifica eos in veritate... et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Nam, ut ipse Rosenmuller in hunc locum adnotavit, verbum *sanctificandi* frequentatur de sacerdotibus inauguratis (Exod. XXIX-1 et seq., Levit. VIII-11 et seq., XXI-15, etc.), pariterque adhibetur pro victimis quae ad sacerdotum initiationem in sacrificium offerebantur (Exod. XXIX 26, et alibi frequenter). Et utroque modo su-

mitur hoc verbum in praesenti, ut sit sensus : Consecra apostolos meos in idoneos Novi Testamenti ministros, illius scilicet testamenti quod iam non umbra est, sed veritas. Nam et pro eis me in cruce offero, ut haec mea hostia sit loco umbratilium hostiarum quae in mosaicorum sanctificatione sacerdotum mactari solebant ([1]). Tum demum causam afferens cur oporteat eos sic sanctificari et consecrari : *Sicut tu me misisti*, inquit, *in mundum, et ego misi eos in mundum,* hoc est, cum a te in mundum missus sim, et ex tua voluntate de mundo nunc sim abiturus, necesse est ut mei vicarios relinquam qui meo officio perfungantur. Ac per hoc ostendit quomodo in hac re causa etiam agatur Patris, quia non aliter peragi poterat legatio illa quae sibi a Patre fuerat iniuncta ([2]). Et omnia quidem hactenus relata apostolos spectant ; apostolos autem dico, non praecise prout personaliter sumpti post paucos annos erant morituri. Orat enim Dominus pro iis quos relinquebat ut vicem sui in suo regno gererent, pro ministris Testamenti quod non ad unam hominum generationem, sed ad omnes usque in finem progenies pertinebat, denique pro

([1]) Ita iterum Maldonatus, ubi supra. Quoad ultimum versiculum haec ad verbum habet ; « Credo hoc loco *sanctificare*, legale, et ut ita « dicam, solemne verbum esse, allusionemque fieri ad caeremonias V. « T., quibus cum sacerdotes caeterique Dei ministri initiabantur, san- « ctificari dicebantur, id est, a caeteris hominibus segregabantur con- « secrabanturque... Petit igitur Christus a Patre ut discipulos suos san- « ctificet, id est, ad evangelicum sacerdotium ministeriumque initiet, « non iam legalibus illis umbris ac caeremoniis quibus V. T. ministri « consecrabantur, sed in veritate, id est re ipsa, Spirituque Sancto qui « multo melius quam omnes veteres caeremoniae, homines sanctificat, » aptosque facit *ministros novi Testamenti,* quemadmodum de seipso di- « xit S. Paulus. Quod enim hic dicit Christus, *sanctifica eos in veritate...*, « hoc, inquam, ipsum aliis verbis dixit Apostolus 2 Cor. III - 6 : *Qui « idoneos non facit ministros novi Testamenti, non littera sed spiritu,* id « est, non caeremoniis illis V. T. ad litteram et Iudaico more intelle- « ctis, sed aliis melioribus, id est, spiritualibus. Hinc intelligitur non so- « lum quid sit sanctificare, sed etiam quid in veritate sanctificare, et « quid sibi Christus paulo post velit, cum dicit : *Et pro eis ego sancti- « fico meipsum.* Veritatem enim legalibus caeremoniis et umbris opponit, « quemadmodum cum Ioannes dixit supra : *Lex per Moysen data est, « gratia et veritas per Iesum Christum facta est* ».

([2]) Iterum Maldonatus, ubi supra.

legatis qui opus suum in mundo perennarent donec veniat consummatio. Tales autem erant apostoli prout cum suis in perpetuum successoribus unam personam moralem efficientes, et ideo evidentissime apparet, apostolicam hierarchiam nunc sumi eodem prorsus modo ac in notissimo textu Matthaei, ubi ad undecim loquens Dominus dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Verum oratio Christi non est pro solo ordine hierarchico. Signanter enim addit: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me;* et in hac terminorum amplitudine omnem credentium multitudinem quam intra suos fines apostolica Ecclesia unquam contineret, comprehendi constat. Ergo pro suo integro grege, pastoribus simul et ovibus, crucem iamiam subiturus, intercessor Christus apud Patrem accedit. Proinde, quis sit praecipuus character quo hanc ipsam Ecclesiam suam in perpetuum sigillatam voluerit, ex eo quod pro ea in tam solemni circumstantia a Patre petit et rogat, aestimare licebit.

Porro, quid Ecclesiae suae petit nisi unitatem? *Ut sint unum sicut et nos... ut omnes unum sint... ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint unum sicut et nos unum sumus... ut sint consummati in unum.* Profecto non potuit esse ut maiori insistentia et significantioribus verbis idipsum inculcaret. Sed iam quaeritur quaenam sit illa unitas de qua hic sermo. In primis cum petit ut unum sint qui credituri sunt, evidens omnino est agi de unitate quae inter credentes qua tales vigeat, ac per hoc, de ipsa primum **unitate fidei,** de qua Paulus ad Eph. IV-5: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis.* Et non solum in confuso haec fidei unitas pro Ecclesia postulatur, verum etiam determinate quoad modum ipsum qui in superioribus fuit declaratus: eius videlicet unitas fidei quae futura erat per apostolicum verbum sive magisterium. Et ideo per prius (vers. 11), huic magisterio perfectam consensionem sua oratione imploraverat Christus. Nec sane arbitraria ista interpretatio est, sed plana et litterae consonans, quam authentice confirmat Paulus, Eph. IV, his verbis: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum..., donec occurramus omnes* (id est, quotquot in finem usque mundi fideles futuri sumus) *in unitatem fidei..., ut iam non simus parvuli fluctuantes*

et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Ubi vides fidei unitatem ex ipsius Christi infallibili dispositione in multitudine fidelium provisam. Provisam autem non ad tempus, sed in perpetuum, videlicet usque ad consummationem sanctorum, adeoque usque ad consummationem saeculi quod non alia de causa per temporum vices nunc decurrere permittitur, nisi ut compleatur numerus eorum qui ad vitam praeordinati sunt aeternam. Provisam denique mediante apostolico magisterio pastorum et doctorum, cui multo magis ex divino charismate collatum esse debuit ut sit sibimetipsi constans, minime fluctuans ad omnem doctrinae ventum, semper retinens eum dogmatum sensum quem semel declaravit, nec permittens ut unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine recedatur. Et talem quidem oportuit esse fructum orationis a Christo fusae ad Patrem cum dixit: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, ut sint consummati in unum.*

At putasne ad solam fidei unitatem haec verba restringi? Nonne qui nunc orat Christus, ipse est qui dixerat Ioan. X-16: *Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas me oportet adducere, et fiet unum ovile et unus pastor?* Nonne idem ille qui testante Ioanne XI-52, moriturus erat *non tantum pro gente* (iudaica), *sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum?* Atqui dispersos congregari in unum, et fieri unum ovile sub uno pastore, profecto est eos coalescere in unum individuum sociale corpus, in quo omnes ad invicem communicant. Ergo cum nunc petit Christus a Patre id quod meritorum mortis suae mercedem esse vult, nimirum summam et absolutam Ecclesiae suae unitatem, non de sola unitate fidei est intelligendus, sed et de **unitate communionis**, sine qua in multitudine hominum unitas veri nominis non concipitur. Unificantur enim homines non tantum unione intellectuum, sed et maxime cohaesione voluntatum. Unde si inter multos contingeret esse eamdem doctrinae professionem, quin tamen esset omnium ad invicem communicatio tanquam membrorum unius socialis organismi, nusquam cum veritate dicerentur illi simpliciter unum, multoque minus in unum consummati. Proinde illa etiam a Domino unitas petitur, per quam formaliter fit ut Ecclesia sit *unum corpus... compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis,* ut dicitur Eph. IV, 4-16, seu

unum quoddam totum organizatum, humani corporis analogiam referens, iuxta illud 1 Cor. XII-12: *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus,* scilicet mysticum Christi corpus quod est Ecclesia. Et rursus Rom. XII, 4-5: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Haec est immobilis forma Ecclesiae universalis (1), hic *unitatis* character quo signatam illam Sponsus voluit, quando pro ea sese traditurus, preces supplicationesque ad Patrem offerens exauditus est pro sua reverentia.

Nunc autem unitas communionis necessario importat **unitatem regiminis**, non secus ac socialis illa unitas fidei de qua prius. Quapropter gubernii indivisio ex natura rei in duabus aliis unitatibus iam intelligitur, quanquam minime omiserit Christus de ea etiam explicitam facere mentionem, cum in priori suae orationis parte commendans Patri apostolos, et in eorum persona omnes quotquot eis erant successuri, aiebat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum sicut et nos.* Unum, inquam, in quantum formaliter considerantur ut ad regimen assumpti, unum ea unitate qua per omnia cohaerens et omnino indivisus in Ecclesia episcopatus foret. De hac regiminis unitate et de eius centro in cathedra Petri immobiliter constituto, plurima in secunda huius operis parte, tum ex evidentissimis Evangelii testimoniis, tum ex universali Traditione inde ab initio, proferenda erunt. Interim vero, secundum quod in ipsa quaestionis expositione praemonuimus, minime oportet ad speciales determinationes descendere. Satis enim est ad scopum praesentem ut in confesso sit constitutio hierarchiae quae plures autonomas partes non capit, quatenus hic quoque locum habeat quod eleganter scribit

(1) Quod praecedentia testimonia ad Ecclesiam universalem referantur, et non ad solas singulas ecclesias particulares, constat omnino ex iis quae declarata sunt, Thes. 1, § 2 in fine, praesertim vero ex hoc quod ipsae ecclesiae proponuntur ab Apostolo ut aliae aliarum membra. Vide ibi dicta. His etiam adde quod Eph. IV, tam absoluta est ecclesiastici corporis unitas, quam absoluta est unitas Dei, baptismatis et spei vocationis nostrae.

Cyprianus: « Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et « rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; « et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet dif- « fusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen serva- « tur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis « unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare « non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et « Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos por- « rigit; unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec uni- « tas corporis separatur » (1).

Sic igitur triplex constat unitas quae ex Christi instituto in vera eius et genuina Ecclesia necessario elucere debet. Haec unitas non est fluxa, non transitoria, non meri facti, sed firma, perpetua, undequaque stabilis, et in finem usque immobiliter perdurans, iuxta illud: *Ut sint consummati,* id est, finiti *in unum,* τετελειωμένοι εἰς ἕν. Est etiam unitas maxime positiva, per se exstans, et non per accidens tantum, seu ratione alicuius alius unitatis ordinis humani, cui coadaptaretur ut accessorium principali, a qua penderet ut effectus a causa suae consistentiae, ad quam denique se haberet sicut parasita planta ad arborem unde habet sustentari et nutriri. Signanter enim ait Dominus Patri: *Ut et ipsi in nobis unum sint.* In nobis dixit, hoc est, ex propriis principiis quibus religantur ad nos. In nobis dixit, hoc est, non in Caesare, non in principatu politico, non in vinculo nationalitatis, aut aliis eiusmodi quae ad carnem et sanguinem noscuntur pertinere. In nobis dixit, hoc est, tali unitate quae nequaquam a mundanis causis robur suae cohaesionis trahat, siquidem regnum in quo vigere debet non est de hoc mundo: « Nunc autem re- « gnum meum non est hinc ». Et haec demum unitas imploratur a Christo ut sit signum suae missionis et nota verae Ecclesiae: *Ut et ipsi,* inquit, *in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti.* Et iterum: *Ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti.* Ergo unitas ista, praeterquam quod in facto visibili et conspicuo expresse reponitur, nulli falsae ecclesiae potest convenire. Petitur enim in ostensionem singularis dilectionis qua Pater diligit Ecclesiam, velut Filium simul cum eius sponsa uno

(1) Cyprianus, de unitate Ecclesiae, n. 5.

complectens amore; itemque stare debet in argumentum perpetuum, commendans coram mundo ipsam missionem Christi. At certe signum singularis dilectionis qua Ecclesiam prosequitur Pater, uni Ecclesiae verae reservatur. Et argumentum commendans missionis Christi veritatem, in iis dotibus minime esse potest quae tam genuinae eius sponsae quam falsis sectis forent communes. Itaque a primo ad ultimum, omnia inculcant atque evidenter commonstrant in unitate hactenus exposita, notam Ecclesiae maxime positivam (1).

Superest nunc ut ad applicationem veniamus.

(1) Longum esset in re adeo nota veterum afferre auctoritates. Accipe interim, speciminis instar, pauca haec Patrum testimonia. Dicit **Irenaeus**, l. 1. c. haeres. c. 10: « Hanc praedicationem (apostolorum) « cum acceperit Ecclesia, et quidem in universum mundum dissemi- « nata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans, et similiter « credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et con- « sonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. « Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus tradi- « tionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fun- « datae Ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hae quae in « Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, « neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae « quae in medio mundi constitutae. Sed sicut sol creatura Dei, in uni- « verso mundo unus et idem est, sic et lumen praedicatio veritatis, « ubique lucet et illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem « veritatis venire ». — Dicit **Clemens Alexandrinus**, l. 7 Strom., c. 17: « Ex iis quae dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram « Ecclesiam, eam quae vere est antiqua... Nam cum unus sit Deus et « unus Dominus, propterea id etiam quod est summe venerabile, et ex « eo quod sit unicum laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est « unum. In unius ergo naturae sortem cooptatur Ecclesia quae est una, « quam conantur haereses in multas discindere. Et essentia ergo et opi- « nione et principio et excellentia, solam esse dicimus antiquam et ca- « tholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei... Caeterum Ecclesiae « quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, om- « nia alia superans, et nihil habens sibi simile vel aequale ». — Dicit **Cyprianus**, epist. 40 ad plebem: « Deus unus est, et Christus unus, et « Ecclesia una, et cathedra una super petram Domini voce fundata. « Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, praeter unum al- « tare et unum sacerdotium non potest ». — Dicit **Athanasius**, de decret.

§ 2.

Iam ergo agitur quaestio facti, in qua quidem tria per ordinem facile ostenduntur: Primo, quod unitas, verae Ecclesiae dos et nota, in communione Romana est. Secundo, quod alibi deest. Tertio, quod comparatione aliarum communionum ita apud nos eminet et splendescit, ut sit in summo visibilitatis gradu ad omnem hominum conscientiam proposita.

Quod unitas, verae Ecclesiae dos et nota, in communione Romana est. — Adest certe regiminis unitas, cuius principium ac centrum est cathedra una, a qua dependent cuncti per orbem particulares antistites. Adest et unitas communionis, cum omnes ecclesiae uni illi cathedrae subiectae, inter se invicem tanquam eiusdem corporis membra sine dubio communicent (1). Adest

---

Nicaen. n. 4, varietatem et repugnantiam doctrinarum, cauponum potius quam magistrorum esse insigne; tum subdit: « Siquidem vera illa « doctrina est, verumque Doctorum indicium, cum omnes inter se con- « sentiunt, non autem vel secum vel cum suis patribus litigant ». — Dicit **Hieronymus**, in Osee, cap. 8: « Unum esse altare in Ecclesia, et « unam fidem, et unum baptisma Apostolus docet, quod haeretici de- « serentes, multa sibi altaria fabricati sunt, non ad placandum Deum, « sed in delictorum multitudinem ». Sed quid opus esset multiplicare citationes, praesertim cum de ea Ecclesiae dote agatur, quam omnium primam Patres in Symbolo posuerunt?

(1) His certe non obstant ea quae contigerunt tempore schismatis Occidentalis, et si quis contra nos argueret in hunc modum: *Per quadraginta annos Ecclesia vestra adhaesit duobus summis Pontificibus qui se invicem excommunicabant, fuitque per totum illud tempus divisa in duas partes oppositas; ergo, vel communionis unitas sub uno indiviso regimine non est essentialis Ecclesiae, vel certe Ecclesia vestra aliquando caruit nota veritatis,* facile est respondere. — Distinguendum antecedens quoad primam partem. Adhaesit duobus Pontificibus formaliter ut duobus, **neg.**, quia omnes adhaerebant uni cathedrae Principis Apostolorum, quam ex omnium consensu unus tantum verus et legitimus Pontifex poterat occupare. Adhaesit duobus Pontificibus pure materialiter, ratione exorti dubii circa personam Pontificis legitime electi, **subdist.** Ita tamen ut in utraque obedientia, et semper agnita sit necessitas perveniendi ad communem dubii solutionem, et pro electione unius indubitati Pontificis undique quaesita fuerint et adhibita media, quae tandem in Concilio Con-

tandem unitas fidei, quia praedicatio undique constans et aequaliter perseverans invenitur: quia uno ore omnes eadem dogmata confitentur; quia una est regula visibilis, videlicet magisterium episcoporum sub Pontifice Summo, ab omnibus agnita et concordi unanimique professione retenta, a qua quisquis in credendo recedit, anathemati subiicitur et ipso facto venerandae communionis iura amittit (1). Unde et continuo in hac Ecclesia

---

stantiensi ad felicem exitum perducta sunt, **conc.** Alio modo, **neg.** Caeterum mutuae Pontificum excommunicationes, ex una quidem parte ferebantur in vi principii unitatis, ex alia vero parte, stante dubio, nullius effectus esse poterant. — Hinc nullo modo concedenda altera antecedentis pars. Nunquam enim desiit unitas corporis, quia neutra obedientia se unquam habuit ut aliquod totum seiunctum, sed semper communicabant inter se utriusque episcopi, ut apparet inter alia, ex convocatione generalis Concilii, primum Pisis, postmodum Constantiae. Quare de toto spatio quadraginta annorum ratiocinandum est sicut de tempore quo Pontificia sedes vacat, utique quod attinet ad obedientiam Pontificis Avenionensis, cui non constabat legitimitas nunc apud omnes explorata, Pontificis qui sedebat Romae.

(1) Rursus, nihil in contrarium afferri potest ex controversiis de infallibilitate Pontificia aliquando exortis, quasi circa visibilem regulam fidei fuissent aliquando fideles inter se divisi. — Nam primo, semper fuit explicite atque unanimiter in confesso apud omnes catholicos, Pontificem Romanum esse visibile caput tum totius Ecclesiae generatim, tum speciatim Ecclesiae docentis, adeoque nullam decisionem fidei vim habere posse, nisi suprema eius auctoritate sancitam. Semper etiam fuit in confesso, infallibilem fidei regulam esse penes ipsum Romanum Episcopum prout coniunctum cum corpore pastorum sive in Concilio oecumenico congregatorum, sive in suis sedibus ordinario magisterii munere perfungentium. Unde solum disputatum est aliquando, an sententia Romani Pontificis ex se sola, et non exspectato consensu corporis episcopalis vel dispersi vel coadunati, vim haberet definitionis absolutae. — Insuper, quod maxime est considerandum, opinio Gallicanorum qui ante Concilium Vaticanum denegabant Pontifici Romano infallibilitatem (ut aiunt) separatam, limites simplicis theoriae nunquam praetergressa est, et in praxi, quod attinet ad visibilem regulam fidei, nullum unquam influxum habuit aut habere potuit. Sane vero, ipsi Gallicani fide tenebant et explicite profitebantur necessitatem absolutam manendi in communione successoris Petri. Unde aperte sequebatur practica necessitas adhaerendi definitionibus pontificiis, ex hoc solo quod sub interminatione excommunicationis imponebantur. Quidquid ergo

miraculum primae Pentecostes cernitur adimpletum, iuxta illud Augustini: « Ecclesia tunc in una domo erat, accepit Spiritum « Sanctum; in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. « Ecce quod praetendebat modo. Nam quod illa Ecclesia parva « linguis omnium gentium loquebatur, quid est, nisi quod Ec- « clesia ista magna a solis ortu usque ad occasum linguis om- « nium gentium loquitur? Modo impletur quod tunc promitteba- « tur. Audivimus, videmus. *Audi, filia, et vide.* Ipsi reginae di- « ctum est: *Audi, filia, et vide.* Audi promissum, vide completum... « Tunc enim et unus fidelis linguis omnibus loquebatur, *et nunc « unitas fidelium linguis omnibus loquitur* » (1).

Considerandum autem qualiter praedicta Romanae communionis unitas sit maxime vivax et positiva, quotidianis factis, iisque in plena publicitatis luce positis, sese indesinenter manifestans. Nam ab illa una cathedra e qua sacerdotii vigor exoritur, singuli instituuntur episcopi cum in locum demortuorum antecessorum subrogantur. Ad illam unam cathedram cuncti ex omnibus mundi partibus pastores identidem confluunt, rationem suae administrationis reddituri. Ad eamdem, sive pro elucidatione dubiorum occurrentium, sive pro dispensationibus a legibus disciplinaribus, sive pro absolutione a reservatis continuus recursus est; ac demum per omnia observatur forma unius corporis com-

---

illud fuerit quod parum consequenter pro studio partium ab eis in speculatione scholastica propugnatum est. Ecclesia tamen Gallicana, non secus ac caeterae catholici orbis ecclesiae, iudicia dogmatica Romanae Sedis semper de facto suscepit, etiam non exspectato consensu corporis Pastorum. De qua re multa afferentur documenta, ubi de dogmate definito in Vaticano Concilio. Interim vero, confer acta Innocentii XII in proscriptione propositionum super amore erga Deum purissimo. Innocenti X in damnatione propositionum Iansenii, necnon et Breve Clementis XI *Gratulationes*, una cum responsione Cardinalis de Noailles, apud Palmieri, de Romano Pontifice, pag. 548 et seq. — Ideo tandem disputationes praedictae nihil aliud ostenderunt quam prodigiosam vim unitatis Romanae, contra quam nihil praevalere potuit, ita ut hic etiam locum habeat observatio Comitis de Maistre circa schisma Occidentale: « Ce fléau des contemporains, ait, est un trésor pour nous dans l'his- « toire. Il sert à prouver que le trône de S. Pierre est inébranlable. « Quel établissement humain résisterait à cette épreuve, etc. ».

(1) August. Serm. 267, n. 3, et 269, n. 1.

pacti et connexi, ut Apostolus ait, per omnem iuncturam subministrationis. Verumtamen, adhuc magis consideratione dignum, quam sit actuosa unitas fidei, sive ex parte magisterii docentis, sive ex parte multitudinis edoctae illa aspiciatur. Ex parte quidem magisterii docentis, quia proprium est magisterii huius, ut fidei doctrinam in scriptis ac mortuis confessionibus dormire non sinat, sed indefesse et constanter in summo orbis theatro, contra potestatum saeculi minas, vehementissimasque opinionis oppositiones eam praedicet et inculcet per omnem modum, memor apostolici praecepti: *Praedica verbum, insta opportune, importune, opus fac evangelistae.* Proprium eius est ut doctrinam hanc in decretis Conciliorum et constitutionibus Pontificum summa auctoritate tradat, et sicubi contingat deviatio a norma semel a se proposita, statim in gliscentem errorem animadvertat, et ad rectum tramitem reducat errantes. Interim vero, ex parte Ecclesiae edoctae actuositas principii unitatis hinc vel plurimum comprobatur, quod post acerrimas etiam controversias, studiaque partium maxime hinc et inde excandescentia, vixdum decisio prolata est, causa illico censetur finita, et ardori disputationis succedit submissio et consensus unanimis. Haec sane apud nos quotidiana sunt; haec in recentibus etiam factis, iisque celeberrimis, hodiedum notari dantur; haec denique tanto magis commendant positivam et vivacem vim unitatis Romanae, quod communio ista profecto non est cuiusdam massae inertis, sed sinu suo comprehendit doctos quam plurimos, et summorum ingeniorum decore semper fuit illustris, et in iis potissimum regionibus viget ubi praecipua est sedes activitatis intellectualis.

Tandem ea ipsa religiosa unitas certo quidem certius est consistens per se. Non enim innititur alicui alii unitati ordinis mundani, non quaerit heterogeneum sustentaculum in remedium suae insubsistentiae, non inseritur Statui ut ramus qui a trunco praecisus continuo aresceret et moreretur. Quin imo, manifeste transcendit nationalitates, transcendit omnes unitates politicas, propriaque sibi vi in toto mundo consurgit, stat, et firma persistit. Numquid non ista unitas est, quam oratione sua implorabat Christus, cum dixit: *Ut omnes in nobis unum sint, ut cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti?* Sed quid ex adverso in sectis separatis cernere sit, iam nunc considera.

Quod extra communionem Romanam unitatis nota non est. — Prae primis non est in Protestantismo, et quoad hanc assertionem declarandam non arbitror longius esse immorandum, quia vel falsa sunt ea omnia quae in priori huius propositionis parte ex regula evangelii deprompsimus, vel causa Protestantismi iam habenda est ut iudicata.

Etenim primo, Protestantismus non est nisi collectio sectarum, seu aggregationum a se invicem independentium, quibus commune est *protestari* contra Ecclesiam Romanam a qua saeculo XVI sese separaverunt. Evidentissime ergo apparet quod in Protestantismi universalitate minime invenitur compacta illa unitas qua Ecclesiam suam Dominus insignitam voluit. Et si in universalitate deest genuina nota institutionis Christi, eo ipso deesse comprobatur in quacumque fractione singillatim sumpta. Nam de omnibus fractionibus et singulis earum par atque eadem ratio est, cum omnes communem originem habeant, et eidem principio innitantur. — Praeterea, primum Protestantismi principium nihil aliud ponit quam radicalem negationem unitatis religiosae ut religiosae. Si enim singuli homines sunt sibi ipsis sacerdotes, singuli sibi ipsis regula fidei per privatam interpretationem Scripturae, singuli sibi ipsis sufficiens salutis arca per individualem cum Deo communicationem, ergo nulla est aut regiminis aut fidei aut communionis unitas *per se*. Imo vero, per se est absoluta unitatis exclusio, et deinde consequitur in facto babelica illa confusio quam in Reformatione a primis suis initiis conspicere licuit. Nec iuvabit recurrere ad unitatem in fundamentalibus; nam ut nunc omittam ea quae de hac re iam praenotata fuerunt, quinam illi sint fundamentales articuli, frustra inquireres. Et sane, nequidem in credenda divinitate Christi inter se concordant, quanquam nihil magis fundamentale in Christianismo absolute considerato esse videatur. Et similiter multum abest quin circa ipsam inspirationem Scripturae constans et unanimis confessio sit, quanquam hoc dogma instar basis cuiusdam in aedificio Reformationis iure meritoque deberet haberi (1). In summa, nonnisi unus est

(1) Scribebat initio huius saeculi Comes de Maistre, *Du pape*, l. 4, c. 2: « On sait ce que dit un jour Lafontaine en rendant le Nouveau « Testament à un ami qui l'avait engagé à le lire : *J'ai lu votre Nou-« veau Testament, c'est un assez bon livre.* C'est à cette confession, si

vere fundamentalis articulus in quo omnes, si solos Puseytas excipias, usque modo conveniunt, videlicet articulus paulo supra commemoratus, quo tam fidei quam communionis unitas radicitus destruitur. Hinc, vel dicendum quod Christus voluit suos esse unum in neganda unitate, vel concludendum quod Protestantismus est ipsa subsistens antithesis veri et genuini christianismi. — Denique vix opus erit animadvertere quod si quid socialis cohaesionis in sectis illis utcumque retinetur, totum hoc civili auctoritati manifestissime refertur acceptum. Unde secundum divisiones politicas multiplicantur apud eos communiones, et in tantum etiam increvit corruptio principii libertatis ecclesiasticae, ut multi minime dubitent ius maiestaticum circa sacra in dogma erigere. Omnibus ergo modis Protestantismus nota unitatis destitutus ostenditur.

Porro, quod attinet ad illas ecclesias quae Photium ducem et antesignanum agnoscunt, iisdem fere argumentis convincuntur. In primis non sunt nisi collectio communionum a se invicem independentium. De qua enim ecclesia loqueris, cum Ecclesiam Orientalem nominas? An de Ecclesia Russiaca, an de illa quae in Turcarum imperio consistit sub Constantinopolitano Patriarcha, an de illa alia pariter independente quae in novello regno Hellenico nunc est? Et certo quidem certius, tam secundum absolutam rei veritatem quam secundum propriam ipsarum confessionem, omnes et singulae aequales titulos habent, omnes et singulae unius originis sunt, et non magis in una quam in altera viget assignata ab eis nota *conservationis doctrinae septem priorum Conciliorum oecumenicorum.* Impossibile est igitur ut una ex illis sit vera, quin eo ipso verae sint omnes simul. Sed non sunt verae omnes simul, cum omnium simul non sit una communio et regimen unum. Ergo nulla est vera, et omnes sunt falsae.

Praeterea, unitas quae in singulis illis Ecclesiis conspici-

« l'on y prend bien garde, que se réduit à peu près la foi protestante, « à je ne sais quel sentiment vague et confus qu'on exprimerait fort « bien par ce peu de mots: *Il pourrait bien y avoir quelque chose de « divin dans le christianisme* ». Sed iam longe ultra progressi sunt. Et nostro quidem aevo praecipuus impugnator divinitatis Christi et totius revelationis fuit Strauss, minister et pastor Ecclesiae Lutheranae, qui usque ad mortem suo munere functus est, suoque beneficio potitus.

tur, est evidentissime unitas dependens a civili gubernio. Non extenditur ultra fines unius imperii, et omnes subit vicissitudines ipsius unitatis politicae, prout recentia etiam facta luculenter attestantur. Nam quando initio huius saeculi regnum Hellenicum a sceptro Ottomanorum subtractum est, Ecclesia pariter Hellenica subtracta est a iurisdictione Constantinopolitani Patriarchae, et in nationalem ecclesiam excrevit. Quin et paucis abhinc diebus (1), legebantur in ephemeridibus propositiones Sultani ad principes Bulgariae et Serbiae, Ottomanae Portae tributarios, quibus Turca se paratum ostendebat ad concedendam his regionibus omnimodam independentiam in ordine ecclesiastico. De potentiori autem et principali communione Moscovitarum, res est notior quam ut declaratione indigeat, nam episcopi Russi in sua consecratione iureiurando promittunt obedientiam S. Synodo, *uti legitimae potestati a pie defuncto et aeterna memoria digno Petro Magno constitutae, et a feliciter imperante Imperatoria Maiestate cum bono iussu confirmatae;* item iurant se exsecuturos quidquid S. Synodus praescripserit *ad libitum Imperatoriae Maiestatis* (2). Iis autem qui ad S. Synodum assumuntur, imponitur sequens confessio: *Confiteor porro, et iureiurando assevero supremum huiusce collegii iudicem esse ipsum totius Russiae monarcham, Dominum nostrum clementissimum* (3).

Haec iam intentum abunde conficiunt, quin opus sit ad specialem considerationem unitatis fidei descendere. Verumtamen non praetereunda ista unitas est, quam nimia liberalitate his ecclesiis vulgo concedunt. Sane vero, si de confessionibus scriptis, iisque ab immemorabili conservatis, sermo esset, nihil forte occurreret in contrarium. Sed numquid quaestio nunc esse potest de unitate fidei in pergamena religatae? Numquid de mortuis formulariis quae hodie subscribuntur, quia subscribebantur heri et nudiustertius? Unitas qua Christus Ecclesiam suam insignitam voluit, ad hoc ut divinum quid prae se ferat, et vere sit mundo in signum, iuxta illud: *ut cognoscat mundus quia tu me misisti*, debet esse unitas viva, actuosa, positiva, quae cum cul-

(1) Haec scribebantur mense Martio 1897.

(2) Tondini, Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand, pag. 102. Paris, Librairie de la société bibliographique, 1874.

(3) Apud Tondini, ibid. pag. 10.

tura intellectuali componi possit, et propria ac vitali energia resistat causis dissolventibus. Atqui nihil tale in praetensa unitate Orientalium communionum videre est. Ubi in primis apud eas activum illud magisterium communionis Romanae, in quo semper verificatur dictum Prophetae : *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt*, et rursus : *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum?* Quis unquam audivit de doctrinalibus decretis S. Synodi, aut de encyclicis Constantinopolitani Patriarchae? Ubi praesertim progressus ille, vitae indicium, in eodem sensu eodemque dogmate, tam eleganter a Lirinensi in suo Commonitorio descriptus? Certe thesaurus doctrinalium decisionum seu expositionum clauditur cum Concilio VII. Quare a mille annis et amplius, os iudicum fidei occlusum permansisset, quasi a tanto tempore nullae fuissent destruendae haereses, nulli novi errores confodiendi, nulla incidentia dubia elucidanda, nulla demum doctrina in suis consequentiis evolvenda. Nonne diceres silentium huiusmodi simillimum silentio mortis? Sed haec nunc praetermitto ; volo ut de sola simplici conservatione doctrinae a Patribus acceptae quaestio instituatur. Porro, utrum una illa Patrum fides in aliquibus Orientis partibus vere conservetur, nescio. Unum scio, quod scilicet sicubi forsitan antiqua adhuc viget unitas, hoc causis potius negativis, utputa ignorantiae, intellectuali inertiae, et carentiae contactus cum omni elemento extraneo alterante refertur acceptum (1). Cuius rei signum esse po-

(1) « Toutes ces églises séparées du S. Siège au commencement du « douzième siècle, peuvent être comparées à des cadavres gelés, dont « le froid a conservé les formes. Ce froid est l'ignorance qui devait « durer pour elle plus que pour nous, car il plut à Dieu, pour des rai- « sons qui méritent d'être approfondies, de concentrer jusqu'à nouvel « ordre toute la science humaine dans nos régions occidentales. Mais « dès que le vent de la science qui est chaud viendra à souffler sur ces « Eglises, il arrivera ce qui doit arriver suivant les lois de la nature : « les formes antiques se dissoudront, et il ne restera que de la pous- « sière. Je n'ai jamais habité la Grèce, ni aucune contrée de l'Asie. « mais j'ai longtemps habité le monde, et j'ai le bonheur d'en connaî- « tre quelques lois. Un mathématicien serait bien malheureux s'il était « obligé de calculer l'un après l'autre tous les termes d'une longue sé- « rie ; pour ce cas et pour tant d'autres il y a des formules qui expé-

test, quod ubicumque videre est aliquid culturae intellectualis, vel commercii cum centris civilizationis, illico incipiunt apparere phaenomena notata in Protestantismo, qui semper magis ac magis dissolvitur, et ad omnimodam confusionem proprio velut pondere vergit (1). Hinc est quod in Russia, summitas cleri iam a

---

« dient le travail. Je n'ai donc aucun besoin de savoir (quoique je n'a-
« voue point que je ne le sais pas) ce qui se fait et ce qui se croit ici
« ou là. Je sais, et cela me suffit, que si la foi antique règne encore
« dans tel ou tel pays séparé, la science n'y est point encore arrivée,
« et que si la science y a fait son entrée, la foi en a disparu ; ce qui
« ne s'entend point, comme on le sent assez, d'un changement subit,
« mais graduel, suivant une autre loi de la nature qui n'admet point
« les *sauts*, comme dit l'Ecole. Voici donc la loi aussi invariable que
« son auteur : **Aucune religion, excepté une, ne peut supporter l'é-**
« **preuve de la science**. La science est une espèce d'acide qui dissout
« tous les métaux, excepté l'or ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, c. 2.

(1) « Voici encore une autre loi de la nature. Rien ne s'altère que
« par mixtion, et jamais il n'y a mixtion sans affinité. Les Eglises Pho-
« tiennes sont conservées au milien du Mahométisme comme un in-
« secte est conservé dans l'ambre. Comment seraient-elles altérées,
« puisqu'elles ne sont touchées par rien de ce qui peut s'unir avec el-
« les ? Entre le Mahométisme et le Christianisme il ne peut y avoir de
« mélange. Mais si l'on exposait ces Eglises à l'action du Protestan-
« tisme ou du Catholicisme avec un feu de science suffisant, elles dis-
« paraîtraient presque subitement. Or comme les nations peuvent au-
« jourd'hui au moyen des langues se toucher à distance, bientôt nous
« serons témoins de la grande expérience *déjà fort avancée en Russie*.
« Non langues atteindront ces nations qui nous vantent leur foi reliée
« en parchemin, et dans un clin d'œil nous les verrons boire à longs
« traits toutes les erreurs de l'Europe. Lorsque l'on considère les épreu-
« ves qu'a subies l'Eglise Romaine par les attaques de l'hérésie et par
« le mélange des nations barbares qui s'est opéré dans son sein, on
« demeure frappé d'admiration en voyant qu'au milieu de ces épou-
« vantables révolutions, tous ses titres sont demeurés intacts et remon-
« tent aux apôtres... Le contraire arrive à toutes les religions fausses.
« Dès que l'ignorance cesse de maintenir leurs formes, et qu'elles sont
« attaquées par les doctrines philosophiques, elles entrent dans un état
« de véritable dissolution et marchent vers l'anéantissement absolu par
« un mouvement sensiblement accéléré. Et comme la putréfaction des
« grands corps organisés produit d'innombrables sectes de reptiles fan-
« geux, les religions nationales qui se putréfient, produisent de même

longo tempore Calvinianis doctrinis undique infecta notatur, dum ex populo innumerae sectae pullulant, sicut vermes e cadavere. In summa, a praetensa illa fidei unitate quae in Ecclesiis Photianis esse dicitur, tantum differt unitas in evangelio proposita, quantum differt positivum a negativo, activitas ab inertia, et vivens a mortuo.

Quapropter nota unitatis quae tanta iam perspicuitate splendescit in communione Romana, quando absolute consideratur, summum deinde attingit evidentiae gradum, comparatione eorum quae extra eam sunt vel unquam fuerunt, qua late patet in toto mundo, seu praeteritorum seu praesentium factorum contemplatio. Et ut omnia in uno resumam, attende unitates religiosas quas vel in historiae annalibus comperimus, vel hodiedum per omnem terrae latitudinem conspicimus superstites. Undique unitates insubsistentes in se, reduplicative qua religiosae sunt. Undique unitates parasitae quae aut in unitate stirpis aut in unitale civili fulcimentum quaerunt. Unitatem vero fidei et communionis quae nulli sustentaculo ordinis mundani innitatur, unitatem transcendentem fines unius regionis vel imperii, unitatem in alto elevatam supra divisiones seu ethnographicas seu politicas, et ab earum variationibus undequaque independentem : talem, inquam, unitatem (sine dubio imploratam a Christo cum dixit : *ut omne in nobis unum sint, ut cognoscat mundus quia tu me misisti*), solius Romanae Ecclesiae esse et fuisse, nemo negare poterit nisi plane caecutiens aut voluntarie oculos claudens contra evidentiam factorum. Et politica quidem capita gentium extra

---

« une foule d'insectes religieux qui traînent sur le même sol les restes « d'une vie divisée, imparfaite, et dégoûtante. C'est ce qu'on peut ob- « server de tous côtés, et c'est par là que l'Angleterre et la Russie peu- « vent s'expliquer à elles-mêmes le nombre et l'inépuisable fécondité « des sectes qui pullulent dans leur vaste sein. Elles naissent de la pu- « tréfaction d'un grand corps, c'est l'ordre de la nature. L'Eglise Russe « en particulier porte dans son sein plus d'ennemis que toute autre ; le « protestantisme la pénètre de toutes parts. Le *rascolnisme* qu'on pour- « rait appeler l'illuminisme des campagnes se renforce chaque jour... « Il y a certainement de grandes différences entre les sectes anglaises « et les sectes russes, mais le principe est le même. C'est la religion « nationale qui laisse échapper la vie, et les insectes s'en emparent ». J. de Maistre, ubi supra, c. 3.

catholicismum, solent sibi vindicare principatum religionis velut accessorium quoddam suae civilis potestatis; hic autem e converso. Ecce tibi exemplo unico ac prorsus sui generis, religionis caput in facie mundi vindicans sibi dominium aliquod temporale velut necessarium accessorium suae potestatis spiritualis. Idque hac una de causa: videlicet, quia cum praesit unitati universali ac transcendenti, nulli eum particulari principi civiliter subiectum esse oportet; hinc pro eo necessitas alicuius civilis principatus, cum regularis status societatis humanae nullum admittat medium inter imperantes et subditos. At, quaeso, quis alius praeter Romanum Pontificem, talia somniare et asserere posset quin eo ipso ceu dementia captus haberetur?

Quisquis ergo haec considerabit, intelliget Ecclesiam Romanam ratione suae unitatis esse vere montem in vertice montium, civitatem in alto positam quae abscondi nequit, signum levatum in nationes quod undique conspicuum apparet et illustre. Intelliget praeterea, unitatem hanc esse adeo singularem, adeo unicam, adeo extra et supra omnes leges alibi observatas, ut constituat verum morale miraculum, nonnisi in specialissimo Dei interventu rationem sui sufficientem habens. Hinc, praecisione etiam facta ab omni auctoritate positiva, demonstrat credibilitatem Ecclesiae cuius est, uptote suapte natura sigillans attestationem qua ipsa se a Deo revelatam affirmat ut societatem supernaturalem, infallibilem fidei magistram, necessariumque salutis aeternae medium.

QUAESTIO IV.

DE NOTA SANCTITATIS.

Sanctitas de qua nunc nobis sermo, in quadam coniunctione cum Deo, suprema norma rectitudinis, consistit. Et quia coniungi Deo impossibile est, nisi quis a rebus impuris segregetur, duo sunt ad sanctitatem requisita : videlicet munditia affectus, tum firma ad Deum adhaesio per amorem et opera virtutum, « Nomen sanctitatis, inquit S. Thomas, 2 2, Quaest. 81, a. 8, duo « videtur importare. Uno quidem modo munditiam, et huic significationi competit nomen graecum ; dicitur enim ἅγιος quasi « sine terra. Alio modo importat firmitatem ; unde apud antiquos « *sancta* dicebantur quae legibus erant munita, ut violari non de « berent... Et utraque significatio competit... Munditia enim neces« saria est ad hoc quod mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus coniungitur, « sicut quaelibet res ex immixtione peioris sordescit, ut argen« tum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab in« ferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremae rei pos« sit coniungi, et ideo mens sine munditia Deo applicari non « potest. Unde, Heb. XII-14, dicitur ; *Pacem sequimini cum omni« bus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Firmitas etiam « exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur ; applicatur enim ei « sicut ultimo fini et primo principio; huiusmodi autem oportet « maxime immobilia esse. Unde dicebat Apostolus, Rom. VIII-38 : « *Certus sum quod neque mors, neque vita separabit me a chari« tate Dei* ». Sic ergo, concludit Angelicus, sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo. Habet infinitos gradus, quorum terminum ultimum nusquam invenire est. Sed cum ad hoc usque pertingit, ut notabiliter transcendat communem modum ac mensuram hominum secundum virtutem operantium, tunc dicitur esse in gradu heroico (1), de quo egre-

(1) « S. Augustinus, l. 10 de Civit. c. 21, postquam animadvertit « persecutiones fidelium non modo non fuisse perniciosas, sed Ecclesiae

ST. MARY'S
COLLEGE LIBRARY
CALIFORNIA

gie disputat Benedictus XIV, de Canoniz. SS. l. 3, c. 21. Et haec quidem sanctitatem spectant in principali acceptione vocabuli, prout sanctitas rationalium creaturarum est. Nunc autem praedicatur etiam (tamquam de minoribus analogis), de omnibus principiis seu mediis quae habent efficaciam ad homines sanctificandos; et hoc modo sancta dicuntur sacramenta, sancta doctrina, sanctae leges, sancta instituta, atque ita porro. Quippe, omnia quae habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo denominari possunt, sicut a sanitate quae est in animali denominatur sanum non solum animal quod est sanitatis subiectum, sed dicitur medicina sana in quantum est sanitatis effectiva, diaeta in quantum est conservativa eius, etc. Et simile omnino est de sanctitate.

Iam ergo patet quotuplici modo societas religiosa possit appellari sancta: videlicet **sancta sanctitate principiorum** et activi influxus in sua membra, tum **sancta sanctitate membrorum ipsorum**, sive personarum ad ipsam pertinentium. Hic autem sedulo animadvertes sequentia. — Primo, nulla ecclesia potest esse sancta sanctitate membrorum, si non sit sancta sanctitate principiorum. Non quod absolute repugnet aliquos in tali congregatione iustos inveniri, absit; sed quia si qui sunt, nonnisi per accidens in ea esse possunt, hoc est, praeter vim et influxum mediorum societatis. Porro, ab eo quod est per accidens denominatio non sumitur, ut constat. — Secundo, sanctitas principiorum necessario est ex integra causa, quia principia et instituta

---

« utiles, cum per eas numerus martyrum impletus sit, de martyribus in-
« quit : *Hos multo elegantius, si ecclesiastica consuetudo pateretur, nostros*
« *Heroes vocaremus* ». Et paulo post : « *Sed a contrario martyres nostri*
« *Heroes nuncuparentur, si, ut dixi, usus ecclesiastici sermonis admitteret.*
« Coquaeus in notis ad hoc caput S. Augustini scite observat, Herois
« nomen inanem quamdam gloriam prae se ferre consuevisse, quam
« viri sancti spernebant, et a qua religio christiana abhorrebat; quo
« sensu S. Augustinus ait se martyres nostros fuisse Heroes appellatu-
« rum, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur. (Sed iam) pro-
« fana voce sanctificata et posteriori usu comprobata, *usus longaevus in-*
« *vexit eam Heroum appellationem in eos qui eximiis et admirandis vir-*
« *tutibus atque operibus longissimo spatio supergressi sunt caeteros homines,*
« *non modo impios, sed et probos ac iustos, qui lentiori gradu honestatem*
« *sequuntur* ». Bened. XIV l. c.

cuiusvis ecclesiae in unum systema coeunt, nec potest esse quod vere sancta dicatur ea religio, quae vel unum haberet dogma seu speculativum seu practicum, repugnans sanctitati. — At tertio, non eadem est ratio de sanctitate membrorum, ad quam non solum non requiritur ut omnia membra sancta sint, sed nequidem necesse est ut sancti sint numero plures. Etenim sanctitas ista immediate afficit individua singillatim sumpta, et mediantibus individuis denominat societatem, cuius sanctificanti influxui refertur accepta. Et recte quidem ab istis vel paucioribus, supposita nunc sanctitate principiorum, denominatur societas: tum quia isti sunt pars potior et per se, in qua nimirum socialia principia ad plenum vim suam exserunt; tum quia cum ardua res sit sanctitas, et vehementissimis naturae corruptae inclinationibus contraria, mirum profecto non est si religio etiam sanctissima et de se summe efficax ad generandas virtutes divinissimas, non ut in pluribus proprium suum finem adaequate obtineat. Ad hoc igitur ut aliqua ecclesia sancta sanctitate membrorum et dicatur et sit, sufficit ut in ea sint sancti, *qua tales ad ipsam pertinentes,* id est, virtute influxus eius sanctitatem consecuti. Nec omnino a tanto hoc decore fraudabitur propter multos malos in eius gremio existentes. Nam isti ideo sunt mali, quia in sua vivendi ratione sequuntur normam contrariam ei quam praescribit propria religio, nec utuntur mediis ab ea suppeditatis. Praeterea vero, commune principium est quod in iis quae non molem sed qualitatem spectant, non maior sed potior pars denominat collectivitatem.

Porro utraque sanctitas hactenus declarata non potest transire in notam, nisi in quantum externis signis sese prodit, iisdemque penitus independentibus a praevia solutione quaestionis de Ecclesia vera, ubi sit et quaenam sit. In hoc ergo, occurrunt etiam nonnulla accurate observanda.

In primis, **quoad sanctitatem principiorum**, frustra appellares ad nudam et simplicem possessionem eorum quae credimus quidem esse principia sanctitatis, sed tamen ex sese ut talia non innotescunt, et deinde possunt materialiter retineri velut ex alieno, ac denique sanctificantem influxum non tam ex seipsis solis habent, quam ex modo quo per vivens ministerium seu magisterium dispensantur et in usum veniunt.

Quo in genere sunt primo sacramenta. Nam certe, an in

sacramentis vis sanctificativa sit, experimentaliter nec videtur nec videri potest; et si forte te referas ad auctoritatem et revelationem Christi, adhuc nihil. Etenim nulla sane repugnantia est quominus sacramenta retineantur etiam ab iis quibus a Deo in legitimam proprietatem data non fuerunt. Aliunde vero, ex natura rei est ut faciant ad sanctitatem solius Ecclesiae apud quam inveniuntur, non ut res aliena illegitime detenta, sed ut proprium bonum propriaque haereditas. Atqui, quaenam illa Ecclesia sit, idipsum praecise est quod nunc vertitur in quaestionem. Non ergo ad sanctitatem principiorum demonstrandam recte afferres possessionem Baptismi, Eucharistiae, Poenitentiae, etc., eo vel magis quod nullum est sacramentum sanctificans adultos independenter a bono usu, iuxta illud Apostoli: *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Et ideo omnibus modis in praesenti, a materiali facto exsistentiae sacramentorum in hac vel illa communione praescindendum est.

Idem porro dicendum de Scriptura. Equidem Scripturam credimus divinitus inspiratam, utilemque ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia. Verum Scriptura non est principium sanctitatis prout littera mortua, sed secundum quod eo spiritu intelligitur quo fuit condita. Praeterea non potest computari inter propria principia omnis ecclesiae in qua utcumque habetur, sed illius tantum cui vere fuit a Deo commissa. Accedit quod nudum possessionis factum nullam de se idoneitatem habet ad discernendum veram Ecclesiam a falsa, cum nihil facilius sit quam ut liber seu codex aliquis quocumque transferatur et ubilibet conservetur. Redeunt ergo, et a fortiori, observationes superius factae circa sacramenta.

Hinc demum, non ex materiali retentione cuiusvis externi medii, etiam a Deo dispositi vel instituti ad sanctificandos homines, pendet ostensio sanctitatis principiorum, sed magis ex modo quo media illa externa per praedicationem, leges, instituta, et semper vivens ministerium adhibentur; denique, ut cuncta uno complectar verbo, ex omnibus signis quae nata sunt prodere in societate religiosa rationem fontis unde scaturit sanctificans influxus; de quibus dicetur in speciali infra suo loco.

Nunc, quod attinet **ad sanctitatem membrorum**, primum omnium evidenter apparet non esse sumendum criterium ex parte defectus, quasi inquirendo quaenam religio sit quae sinu

suo pauciores contineat sceleratos, aut in qua minora fiant flagitia. Hoc enim praeter quaestionem est, et ad nullam ducit conclusionem. Et certo quidem certius, religiosa societas positive sancta non ostenditur ex hoc quod malos gremio suo comprehendit, quantumvis numero pauciores aut gradu minores quam aemula communio. Sed nec e converso ostenditur non sancta, propter homines etiam pessimos qui forte numerantur inter eius membra, prout ex supradictis manifestissime iam liquet. Et quamvis professio sanctae religionis sit de se frenum cohibens ne turpia quaeque admittantur, tamen non est frenum eiusmodi quod pro libertate arbitrii et insitis passionibus omnino enervari non possit. Imo accidere potest ut, non obstante hoc freno, multi inveniantur comparative peiores: utputa si maiora et fortiora habeant obstacula vincenda, si obnoxii sint vehementioribus causis corruptionis, si in maiores inducantur tentationes. Quae omnia facile verificari poterunt in iis qui profitentur religionem sanctam, cum ad eos evertendos praecipui conatus impietatis et portarum inferi noscantur convergere. Speciatim vero fallerent in praesenti, argumenta allata ex statisticis quibus gens confertur ad gentem et regio ad regionem, quoad decrementum populationis, numerum nativitatum illegitimarum, et praesertim quoad tranquillitatem politicam aut temporalem prosperitatem. Ratio est quia in huiusmodi semper deficit praesuppositum quod requireretur ad quamlibet speciem consequentiam, adesse scilicet paritatem in caeteris. Praeterea unaquaeque gens, nostris praesertim temporibus, constat hominibus quorum multi aperte elongantur ab omni praxi suae religionis. Denique, si de stabilitate politica et temporali prosperitate sermo sit, non directe in temporalem prosperitatem procurandam influit religio sancta, et licet ex natura rei eidem faveat, tamen haec prosperitas per se ex aliis causis pendet. Unde a primo ad ultimum, non ibi est genus argumenti quod ad rem praesentem faciat.

Sic igitur verum criterium quo discernatur Ecclesia sancta sanctitate membrorum, nequaquam sumendum est ex parte defectus, sed omnino et exclusive ex parte positivae perfectionis. Dum enim, ut dictum est, religiosa societas minime demonstratur carere praedicta sanctitate ex hoc quod plurimos continet malos, e converso convincitur plane ea ipsa decorari, si vel pauci possunt ostendi qui in vi informationis et principiorum eius sancti

effecti sunt et efficiuntur. Quanto autem magis, si tales non sint pauci, sed in numero absolute magno, imo et maximo!

Nunc vero, in ordine ad argumentum quod natura huius operis patitur, vix ac ne vix quidem ratio haberi debebit illius sanctitatis quae aut communis seu ordinariae mensurae terminos non transcendit, aut non gaudet notorietate sufficienti ad hoc ut statim et citra speciales inquisitiones (quae non essent huius loci), in signum proponatur. Quippe oportet ut facta quibus innititur demonstratio, nulli rationabili dubio ansam praebere possint. Requiritur insuper, ut non tantum constet de facto sanctitatis personarum, verum etiam de eo quod sanctitas ista sanctificanti principiorum societatis influxui debeatur. Secus enim non sequeretur intenta conclusio, cum nihil prohibeat quominus boni et iusti in falsa religione per accidens inveniantur (1). Ex utroque autem capite, multis hinc et inde cavillationibus facile locum daret argumentum fundatum in ea sanctitate quae nonnisi ordinariis continetur limitibus et signis. Ex primo quidem, propter difficultatem adstruendi statisticam generalem quae positivis et certis documentis, potius quam necessitati causae praeiudicatae innixa videatur. Ex altero etiam, quia adhuc admissa statistica, de nexu facti cum sanctitate (praesertim exclusiva) ipsius religionis, non ita liquido convincerentur adversarii.

Verum nihil tale timendum de sanctitate notoria atque heroica. Ipsa enim posita est supra candelabrum, et a fulgore illius nemo nisi volens sese subtrahere potest. Praeterea, statim liberamur a molesto dubio, an per se vel forte per accidens tantum in aliqua ecclesia sit. Per accidens enim, seu praeter et contra vim principiorum, omnino non potest adesse. Ratio est primo quia res adeo sublimis censetur sanctitas heroica, ut independenter ab educatione et informatione sociali nequeat efflorescere. Et certe, nulla paritas cum vitiositate quae est quid privativum, ad quod corrupta natura sibi ipsa sufficit, et proprio velut pondere vergit. Sanctitas vero est aliquid difficillimae perfectionis, ad quod non datur sufficiens propensio in natura ut nunc est. Quare, etiam praescindendo a modo supernaturalitatis, oportet ut interveniant ab extrinseco principia efficacissima, inter quae,

(1) Nota quomodo id quod dicitur esse *per accidens*, non convertitur cum eo quod est *raro*.

iuxta providentiam humanae naturae connaturalem, non minimas partes habere debet socialis educatio et cultura. Accedit vel maxime, quod eadem heroica sanctitas manifeste est computanda inter miracula ordinis moralis, quae specialissimum et extraordinarium Dei adiutorium arguunt. Repugnat autem et plane implicat ut tale adiutorium a Deo detur hominibus profitentibus etiam bona fide religionem non veram, quia sic faceret Deus contra semetipsum, et homines deciperet qui invincibiliter iudicant rectam esse salutis viam quam heroes sanctitatis perambulaverunt. Sed et argumentum foret omni exceptione maius, si ipsi virtutum heroicitati accederet splendor supernorum charismatum, velut signum de coelo authenticum aut consummatae aliquorum sanctitatis, aut praesentiae Spiritus sanctificantis in visibili corpore Ecclesiae.

Hinc tandem vides quod ubi causa sanctitatis membrorum agitatur, tota quaestio his terminis definiri dicenda est, videlicet: Quaenam ecclesia sit cuius sunt sancti, ecclesia ostendens eos qui vi informationis ab ea acceptae conspicuam et notoriam iustitiam adepti sunt, ecclesia demum extans in immemorabili possessione heroum sanctitatis, atque hoc modo palam innotescens ut germana patria filiorum Dei, fecundusque ager ex virtute sibi insita cunctos germinans coelestium virtutum flores. His itaque praemissis instar principiorum dirigentium, ad discussionem ipsam nunc veniendum est, quae duabus propositionibus comprehendetur. Prima erit de ipsa nota in abstracto, altera de eius applicatione.

THESIS IV.

Ecclesia Christi est essentialiter sancta, primum quidem sanctitate principiorum, quam deinde consequitur ut necessaria proprietas, sanctitas etiam membrorum. Utraque autem sanctitas prout sese exterius manifestans, haberi debet pro nota verae Ecclesiae positiva, idque non tantum in vi auctoritatis librorum N. T., sed ex ipsa quoque natura rei.

§ 1.

Sanctitas principiorum in Ecclesia Christi nequidem discussionis materiam suppeditare potest. Cuilibet enim evidens esse debet evidentia etiam immediata, quod omnis societas a Deo

fundata, ipso suae institutionis facto habere convincitur omnia media seu principia quae sunt ad consecutionem proprii finis necessaria. Sed Ecclesia ordinatur ad finem coniunctionis hominum cum Deo, hic primum inchoandae per gratiam, et in futuro demum consummandae per gloriam. Ergo ad hoc ipsum efficacibus instruitur principiis, idque immobiliter prorsus atque inamissibiliter, propter illam indefectibilitatem quam significant notissima evangelii verba. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* ac rursus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Nunc autem, efficacibus instrui principiis quibus homines reducantur ad Deum, nihil aliud importat quam sanctitatem principiorum de qua in praesenti. Ergo a primo ad ultimum, Ecclesiam Christi sanctam sanctitate principiorum fateri necesse est. Quo in argumento, omnes consequentiae per se satis patent. Maior quoque praemissa continet veritatem in terminis manifestam. Denique, Ecclesiam fuisse de facto a Christo ordinatam ad finem supernaturalis sanctitatis, et hanc ordinationem non minus ei essentialem esse quam essentiale est societati civili ordinari ad finem temporalis felicitatis, tum nomina *regni Dei, regni coelorum, regni quod non est de hoc mundo,* tum beatitudines in evangelio annuntiatae, tum repetitae promissiones remissionis peccatorum et vitae aeternae in visione Dei, tum scopus incarnationi praefixus ac per Ecclesiam et in Ecclesia attingendus, unoque demum verbo, omnes omnino Novi Testamenti auctoritates ita protestantur, ut ne apparens quidem ratio relinquatur in contrarium.

Porro, hanc sanctitatem principiorum consequitur ut necessaria proprietas, sanctitas etiam membrorum. Promittitur enim Ecclesiae assistentia Dei cum successu infallibili in iniuncto ministerio, prout facile constat ex solemni attestatione Christi apud Matthaeum, XXVIII 20: *Ecce ego vobiscum sum.* Quoties enim dicitur Deus fore cum aliquo, toties in Scripturis certus ac felix indicatur suscepti operis exitus. Si ergo finis Ecclesiae est hominum sanctificatio per eam et in ea, nusquam poterit ipsa Ecclesia ab eiusmodi finis consecutione deficere, nec unquam principia quibus instruitur otiosa remanebunt, sed lege quadam constanti ac necessaria, gremio suo semper continebit sanctos qui tales sint ex vi seu efficacitate mediorum et influxus eius.

Et haec quidem ex ipsis Evangelii auctoritatibus aperte

eruuntur. Quibus gemina sunt ea quae docet Apostolus, Tit. II-14: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Non enim esse potest quod Christus suo intento fraudetur quoad Ecclesiam, contra quam portae inferi non praevalebunt. Et simile quoque argumentum trahitur ex Ephes. V, 25-27: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quocumque enim modo interpreteris illud, sive de Ecclesia prout in consummatione saeculi ac beata resurrectione futura est, sive de Ecclesia vitae praesentis quae in praestantioribus suis membris nullam habeat maculam a qua quis simpliciter maculatus appellari possit ([1]), sive denique sensu plenissimo, de utroque stadio viae et termini secundum quod respectiva utriusque conditio fert ([2]), semper eadem sequitur conclusio. Cum enim Ecclesia

([1]) Simpliciter loquendo, macula non est nisi peccati mortalis. « Macula, inquit S. Thomas in IV, D. 16, Quaest. 2, a. 2 ad 1[um], po « test esse dupliciter. Uno modo per privationem pulchritudinis, *et sic « in veniali non manet aliqua macula, quia gratiam non tollit quae est « animae decor.* Alio modo, per hoc quod pulchritudo quae est gratiae, « impeditur ne exterius appareat, sicut per pulverem pulchritudo faciei « foedatur, et talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratiae « ne in actibus exterius ostendatur ». Et 1-2, Quaest. 89, a. 1, docet Angelicus quod « *proprie loquendo*, peccatum veniale non causat macu- « lam in anima; et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est *secun- « dum quid,* in quantum impedit nitorem qui est ex actibus virtutum ».

([2]) « In hoc saeculo mundatur et sanctificatur Ecclesia..., sed non « perficitur haec eius mundatio et sanctificatio, ut gloriosa, perfecte « sancta, et prorsus immaculata dici possit, donec finiatur hoc saecu- « lum. Quo finito, Christus Ecclesiam sponsam suam, totam macula et « omni deformitate carentem, adeo ut sit omni ex parte sancta et ir- « reprehensibilis, ipse sibi exhibebit, copulaturus eam sibi vinculo ac « foedere nuptiarum insolubili. De quibus futuri saeculi nuptiis inter « Christum et Ecclesiam celebrandis loquitur ipse Christus in parabola « decem virginum. Loquitur et Ioannes, Apoc. XIX dicens: *Quia vene- « runt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se.* Qui et de gloria « sponsae subiungit: *Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti « et candido* ». Estius. Comment. in epist. ad Ephes.

triumphans non constet nisi iis qui hic sanctitatem consecuti sunt, impossibile sane est ut voluerit Christus exhibere sibi Ecclesiam prorsus immaculatam in termino, quin per prius voluntate pariter absoluta intenderit fructum sanctitatis in Ecclesia praesenti, ex qua illa quae sursum est colligitur.

Nec denique praetereundum quod sanctitas conveniens Ecclesiae tanquam necessaria eius dos et proprietas, eiusmodi sit oportet, ut normae in Evangelio propositae respondeat, adeoque et consiliorum observantiam comprehendat. Et re quidem vera, Ecclesia quae est corpus Christi, vitam sui capitis perenniter debet in se referre. Christus autem absolutissimum praebuit exemplar omnium consiliorum, eorumque exercitio omnis eius vita contexta fuit. Unde et ab initio viguit consiliorum observatio, iugiterque perseveravit velut spontaneus quidam effectus institutionis christianae, prout late ostendit Bellarminus in controversia de membris Ecclesiae, l. 2 de Monachis, per totum.

Demum animadvertes quod utramque sanctitatem, tam principiorum quam membrorum, una simul complectuntur Patres, cum Ecclesiam dicunt omnem omnino virtutem non solum docere, sed et reipsa continere (1), cum de ea intelligunt id quod apud Isaiam legitur: *Vocaberis civitas iusti, urbs fidelis* (2), cum in ea aiunt resplendere iustitiam sicut aestivis mensibus fulget meridies (3); cum eam vocant coelestis Ecclesiae imaginem et imitationem (4),

(1) Cyrill. Hieros., catech. 18, n. 23: « Generaliter quidem omne « peccatorum genus quae per animam et corpus perpetrantur, curat et « sanat (Ecclesia); eadem vero omne possidet virtutis genus, in factis « et verbis, et spiritualibus cuiusvis speciei donis ».

(2) Iuxta Septuaginta: *Vocaberis civitas iustitiae, metropolis fidelis Sion*. Cf. Euseb. Comment. in Isaiam, cap. 1.

(3) Ambrosius, l. 4 Hexaemeron, c. 5, explicans illud Cantic. 1-6, *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie:* « In meridiano pacis (ad « Christum dirigitur sermo), hoc est in Ecclesiae loco, ubi iustitia re- « splendet, ubi fulget iudicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur, « ubi maiores sunt dies, quod eis sol iustitiae tanquam aestivis men- « sibus diutius immoretur ».

(4) « Et si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter « requiras ubi sit *Dominicum* (nam et caeterae impiorum sectae atque « haereses suas ipsorum speluncas *Dominicorum* nomine honestare ni- « tuntur), neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit catholica Ec-

verum paradisum (1), veram matrem viventium (2), iter ad coelum (3), decorem et gloriam vultus Christi (4), arcam in qua sancti custodiuntur (5), verum semen Abrahae (6), plenitudinem Christi (7), et si quae aliae sunt appellationes eiusmodi. — Sed ne in re adeo manifesta longior currat disputatio, statim videndum est an declarata hactenus sanctitas recensenda sit inter notas verae Ecclesiae *positivas*. Dico autem positivas, quia de nota negativa quaestio amplius esse non potest, cum ex praemissis evidentissime iam appareat, carentiam sanctitatis quocumque modo sese prodentem, debere omnino haberi pro argumento positivo ecclesiae falsae.

« clesia. Hoc enim proprium nomen est huius sanctae, et matris omnium « nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. I. C., *et figuram prae « se fert atque imitationem superioris Ierusalem, quae libera est* ». Cyrill. Hieros., Catech. 18, n. 26.

(1) « Paradisus dicta est Ecclesia, sicut legitur in Cantico canti- « corum : *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vivae, paradisus « cum fructu pomorum.* Inde ceciderunt, vel aperta et corporali sepa- « ratione omnes haeretici, vel occulta et spirituali omnes conversi ad « vomitum suum, cum post remissionem omnium peccatorum paululum « ambulassent in via iustitiae, in quibus facta sunt posteriora deteriora « prioribus ». Augustinus, l. 11 de Genes. ad litt., c. 25.

(2) « Haec est Eva mater omnium viventium... Mater ergo viven- « tium Ecclesia est, quam aedificavit Deus in ipso summo angulari « lapide Christo Iesu, in quo omnis structura compaginata crescit in « templum Dei ». Ambrosius in Luc., l. 2, n. 86.

(3) « Ad quam (coelestem Ierusalem) per hanc Ecclesiae et con- « ventus nostri domum scanditur ». Hilarius, in Psalm. 133, n. 2.

(4) « Calcaneum eius (Christi) Synagoga est, decor et gloria vultus « eius Ecclesia, sicut scriptum est: *Dominus regnavit, decorem induit* ». Ambrosius, in Psalm. 48, n. 11.

(5) « Dominus primum inhabitat diluvium huius saeculi in sanctis « suis, tanquam in arca, ita in Ecclesia custoditis. Et deinde sedebit « regnans in eis in aeternum ». Augustinus, Enarrat, in Psalm. 28, n. 10.

(6) « Ex promissione Dei tanquam factum accipiatur, quod certis- « sime futurum in Christo et in Ecclesia praenuntiabatur, quod est « verum semen Abrahae ». Augustinus, Quaest. in Pentateuch. l. 6, c. 25.

(7) « Plenitudo Christi Ecclesia. Plenitudo enim capitis est corpus, « plenitudo corporis caput ». Chrysost., Hom. 3 in ep. ad Ephes., n. 2.

§ 2.

Dictum est supra, quod duo in nota positiva requiruntur: ut scilicet sit in se discernibilis, deinde ut sit verae Ecclesiae exclusive propria. Neutra autem conditio in praesenti deest.

Certe non deest prior, nam sanctitas principiorum nata est per seipsam apparere intellectui. Sanctitas vero personarum, in interiori licet facto consistens, adhuc tamen ad extra innotescit per exteriores actus virtutum, prout propria hominis natura exigit, et nimis evidens suadet ratio.

Frustra autem obiiceres, eiusmodi actus esse signa aequivoca, propter simulationis seu hypocrisis possibilitatem. Primo quia, universim loquendo, perfecta simulatio tantae est difficultatis in omni genere, ut vix contingat simulatorem quemlibet uno alterove indicio mox non detegi. Atque hinc originem duxit optima illa sensus communis interpres, fabella asini in pelle leonina, qui extremitate emergentis auriculae statim est deprehensus. Secundo quia multum crescit difficultas, cum de simulanda sanctitate agitur, eo, quod sanctitas est ex integra causa, et arduam premit viam, et constantiam requirit ac perseverantiam, et tot repentinis occasionibus tentatur ut quidquid in hoc genere fucatum est, neminem omnino diu fallere possit vana specie virtutis. Tertio quia ad culmen impossibilitatis pervenitur, quoad sanctitatem illustrem quae communes humanae naturae mensuras excedit, omniumque ad se oculos trahit, et tam alte supra adulterinas hypocritarum imitationes est elevata, ut facilius crederem simium posse hominem fingere, hominis personam induere, et pro vero homine inter homines ab hominibus haberi. Ex hac igitur parte, nonnisi sophisticae opponuntur rationes, quas et communis sensus explodit et humani generis conscientia reprobat.

Neque etiam melius opponeres, sanctitatem illam quae Ecclesiae Christi propria est, supernaturalem esse, et ideo non posse experimentaliter innotescere, ut theologi docent in materia de ente supernaturali. Huic enim difficultati duae sunt responsiones. Prima, quod extraordinaria charismata quibus solet in praesenti providentia sanctitas illustrari, sensuum experientiae procul dubio subiacent. Et cum aliunde nequeant esse nisi a

Deo ut auctore supernaturali, eo ipso attestatio sunt authentica praesentiae interioris gratiae a qua ratio supernaturalitatis dependet. At vero, abstrahendo etiam a miraculosis charismatibus, potior et principalis responsio sit, quod minime necesse est ut sanctitas accipiatur in notam secundum omnes formalitates quae numerantur in ea, quando consideratur adaequate tanquam Ecclesiae proprietas. Sed sufficit plane ut sumatur quoad substantiam, praecisione facta a supernaturalitate (in theologica acceptione vocabuli), adeoque pure et simpliciter secundum quod constat cultura earum virtutum quae contradistinguuntur a virtutibus (ut dici solet) humanis, id est, ad Deum ultimum nostrum finem et summum bonum creaturae intellectualis non ordinatis. Et hoc modo sanctitas, etiam ex se sola habet unde innotescat exterius, suoque fulgore foras resplendeat. Nihil igitur hic deest ad primam conditionem notae.

De altera autem, quae ad hoc exigitur ut non negativa tantum, sed et positiva nota consurgat, forte adhuc minor esset dubitandi ratio. Scimus namque, nullam esse in praesenti ordine, praeterquam a Christo Redemptore, possibilem sanctitatem. Nullam porro dico, quocumque tandem modo sanctitatem accipiamus, sive quoad solam substantiam ut supra, sive a fortiori quoad modum supernaturalitatis. Evangelica enim et apostolica contestante auctoritate, solus Christus nos liberat a lege mortis ut ultra non serviamus peccato, et iustitiae vivamus in sanctificationem animae (Rom. II-VII, per totum); solus salvat populum suum a peccatis eorum (Matth. I-21); solus sanat profunda illa in Adami praevaricatione contracta vulnera (Luc. X, 30-35), ita ut nemo sit alius a quo religiosa societas efficacia sanctitatis principia habeat aut habere possit. Nunc autem, inter omnes quae in mundo sunt religiones, sola vera Christi Ecclesia ab eodem Christo sua principia derivat. Huic igitur soli exclusive competit sanctitas principiorum, et consequenter quoque sanctitas membrorum quae priorem illam praesupponit, omnia intelligendo iuxta declarationes factas in quaestionis praeambulo.

Notandum denique, quod haec ipsa sanctitatis nota ad demonstrationem verae religionis valet, non tantum ex vi positivae auctoritatis revelationis christianae, verum etiam ex iis quae naturaliter omni homini affulgent, si modo rectae rationis ductum sequi velit. Sane vero ratio naturalis videt, refundendum esse

in speciale adiutorium Dei quidquid superat praesentes nostras vires, tam in ordine cognoscendi verum, quam in ordine operandi bonum. Videt insuper, conditionem humanae naturae prout nunc est, esse moraliter imparem ad sufficientem cognitionem veri sufficientemque operationem boni, etiam intra limites qui ambitu finis naturalis continentur. Videt denique, speciale adiutorium ad vincenda multiplicis generis obstacula requisitum, non posse dispensari a Deo in favorem falsae religionis. Non quod profecto oporteat Deum denegare individuis in religione falsa exsistentibus necessaria ad bene vivendum auxilia, quibus illi deinde adiuti, vel ad religionem veram se transferant, vel in bona fide remanentes salutem demum consequantur. Sed quod certo certius repugnet, divinam Providentiam ita eiusmodi auxilia disponere ac veluti temperare, ut religio falsa videatur unquam germinare sanctitatem quasi ex proprio. Si qua igitur religio sit, quae certis manifestisque indiciis sese prodat tanquam efficaciter conducens homines ad sanctitatem, praesertim vero ad sanctitatem eximiam, consummatam, ac vere heroicam, talis religio eo ipso innotescit ut a Deo descendens, a Deo approbata, eiusque sigillo munita (1).

(1) Hoc credibilitatis signum hominibus paganis proponebat Augustinus, in libro de vera religione: « Illud, inquit, fidentissime dixe-
« rim, christianis temporibus quaenam religio potissimum tenenda sit,
« et quae ad veritatem ac beatitatem via est, non est dubitandum. Si
« enim Plato ipse viveret, et me interrogantem non aspernaretur, vel
« potius si quis eius discipulus eo ipso tempore quo vivebat eum inter-
« rogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis sed pura
« mente veritatem videri, cui quaecumque anima inhaesisset, eam bea-
« tam fieri atque perfectam; ad quam percipiendam nihil magis impe-
« dire quam vitam libidinibus deditam et falsas imaginationes rerum
« sensibilium; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam in-
« commutabilem rerum formam...; cum haec ergo a magistro sibi
« persuaderentur, si ex eo quaereret ille discupulus utrum, si quisquam
« exsisteret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet
« credenda saltem, si percipere non valerent.... eum divinis honoribus
« dignum iudicaret; responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine
« fieri, nisi quem forte ipsa Dei Virtus atque Sapientia ab ipsa rerum
« natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione
« ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate
« roboraret, tanta denique maiestate subveheret, ut omnia contemnendo

Sed iam de nota in abstracto, satis. Superest ut cui communioni inter eas omnes quae christiano nomine utcumque gloriantur, vere conveniat, indagemus. Ad hoc pertinet sequens propositio.

« quae pravi homines cupiunt, et omnia perpetiendo quae horrescunt, « et omnia faciendo quae mirantur, genus humanum ad tam salubrem « fidem summo amore atque auctoritate converteret... Quae si facta « sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terra- « rum in qua sola unus colebatur Deus, per totum orbem missi electi « viri, virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt, « si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reli- « querunt... ; si hodie per gentes populosque praedicatur : *In principio « erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* etc. « Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima sanetur « et tantae luci hauriendae mentis acies convalescat, dicitur avaris: « *Nolite vobis condere thesauros in terra ubi tinea et aerugo extermi- « nant*, etc. ; dicitur luxuriosis : *Qui seminat in carne, de carne metet « corruptionem,* etc. ; dicitur superbis : *Qui se exaltat, humiliabitur,* etc... ; « postremo dicitur omnibus : *Nolite diligere mundum, neque ea quae in « mundo sunt, quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis « est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi.* Si haec per totum « orbem iam populis leguntur, et cum veneratione libentissime audiun- « tur. Si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, « tanto fertilius et uberius usque ad barbaras nationes ecclesiae pullu- « larunt. Si tot iuvenum et virginum millia contemnentium nuptias « casteque viventium iam nemo miratur... Si haec sic accipiuntur, ut « quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruo- « sum sit... Si denique per urbes atque oppida, castella, vicos et agros « etiam, in tantum aperte persuadetur et appetitur a terrenis aversio « et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum « orbem humanum genus (in omnibus suis categoriis) una pene voce « respondeat, *sursum corda se habere ad Dominum,* quid adhuc oscita- « mus crapulam hesternam, et in mortuis pecudibus divina eloquia « perscrutamur? »

THESIS V.

Perspicuis et notoriis factis demonstratur, sedem sanctitatis in mundo nullam omnino esse praeter Ecclesiam Romanae communionis, utpote quae sola ex propriis principiis influat sanctitatem, et sola etiam heroes virtutis velut genuinos a se formatos filios sibi vindicare possit. Hinc rursus, in vi huius notae, tanquam unica vera Ecclesia Christi, ab omnibus est agnoscenda.

§ 1.

Veritas assertionis, antequam ad particularia descendatur, tribus generalibus indiciis potest luculenter manifestari.

Primum indicium est si attendamus eos qui Romanam Ecclesiam impugnant, et in ea subvertenda omnes conatus adhibent, machinasque convertunt. Sane vero, in illo ingenti exercitu hominum rebellium Deo et legi eius, eminent pessimi quique et scelerati viri, quos ad vivum depictos videre est in secunda Petri, necnon et in epistola Iudae: *Qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque spernunt, audaces, sibi placentes... blasphemantes... voluptatem existimantes diei delicias... in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes... libertatem promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis... Carnem maculant, dominationem spernunt, maiestatem blasphemant... quaecumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur;* qui tales demum se produnt non moribus solum et vita, sed et doctrinis manifestis, de quibus tantum abest quin erubescant, ut potius in lumine solis nunc palam glorientur. Hos porro omnes contra unam Catholicam in toto mundo conspirare, res est nimis in aperto posita. Id testantur celeberrima facta tum praeterita tum praesentia. Id monstrat scopus tenebrosae Massonum sectae praefixus; delenda scilicet superstitio, conscientiae libertas vindicanda [1]. Hoc ostendunt editi libri, sparsae ephemerides, quoti-

[1] Quid hisce vocabulis intendere soleant, superfluum sane esset indicare.

dianae impiorum subsannationes. Huius etiam vulgare signum est, quod qua late patet orbis, apud solos catholicos in rebus religionis mundano timori seu humano respectui locus datur. At si de deorsum et non de supernis esset Ecclesia Catholica, si suis principiis efficacique influxu perversitati mundi per omnia non adversaretur, sane *mundus quod suum erat diligeret* ac foveret, aut certe in pace relinqueret. Nunc autem cum perspiciant et pro explorato habeant, Catholicam esse firmissimum inter homines divini iuris propugnaculum, quo semel destructo, nihil amplius foret residuum quod iuris (ut aiunt) humani, effrenataeque libidinis absolutam impediret dominationem, ideo eam solam totis viribus impetunt, ideo dicunt: *exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Verumtamen per hoc ipsum, sanctitatis eius testes exsistunt omni exceptione maiores. Unde hic quoque probatio facilis est compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* quibus verbis luctam seminis serpentis contra civitatem Dei significari certissime constat. Sed quae sint in mundo inferi portae, satis, puto, visibile atque conspicuum est; quae vero ex adverso stet Ecclesia, infernae malitiae impetum sustinens, ipsis etiam caecutientibus potest esse manifestum. Ergo iam digito ostenditur Ecclesia, sanctitatis nota illustris, quam pro vera Iesu Christi domo seu aedificatione necesse est agnoscere (1). Et de primo quidem indicio, hactenus.

(1) « Aucun ennemi de la foi ne s'y est jamais trompé; tous frap-« pent vainement puisqu'ils se battent contre Dieu, *mais tous savent où « il faut frapper*. Ce qu'il y a d'extrêmement remarquable, c'est qu'à « mesure que les siècles s'écoulent, les attaques sur l'édifice catholique « deviennent toujours plus fortes; en sorte qu'en disant toujours, il n'y « a rien au-delà, on se trompe toujours. Après les tragédies épouvan-« tables du XVI^e^ siècle, on eût dit sans doute que la tiare avait subi « sa plus grande épreuve; cependant celle-ci n'avait fait qu'en préparer « une autre. Le XVI^e^ et le XVII^e^ siecle pourraient être nommés les « prémisses du XVIII^e^, qui ne fut en effet que la conclusion des deux « précédents. L'esprit humain n'aurait pu subitement s'élever au degré « d'audace dont nous avons été les témoins. Il fallait pour déclarer la « guerre au ciel, mettre encore Ossa sur Pélion. Le philosophisme ne « pouvait s'élever que sur la vaste base de la Réforme. Toute attaque « sur le catholicisme portant nécessairement sur le christianisme même,

Iam succedit alterum: Si nempe attendamus eos qui ex aliis castris ad nos accedunt, vel vice versa a nobis transeunt ad alienos. Et certo quidem certius plurimi ex sectis sive christianis sive non christianis in gremio Catholicae Ecclesiae in dies recipiuntur: inter quos videre est multos qui evidentissime

---

« ceux que notre siècle a nommés *Philosophes,* ne firent que saisir les « armes que leur avait préparées le Protestantisme, et ils les tournè- « rent contre l'Eglise en se moquant de leur allié qui ne valait pas la « peine d'une attaque ou qui peut-être l'attendait. *Qu'on se rappelle « tous les livres impies écrits pendant le XVIII^e^ siècle. Tous sont dirigés « contre Rome, comme s'il n'y avait pas de véritables chrétiens hors de « l'enceinte romaine. On ne l'aura jamais assez répété, il n'y a rien de « si infaillible que l'instinct de l'impiété.* Voyez ce qu'elle hait, ce qui « la met en colère, et ce qu'elle attaque toujours, partout, et avec « fureur; c'est la vérité. Dans la séance infernale de la Convention où « l'on célébra, s'il est permis de s'exprimer ainsi, l'abnégation du culte, « Robespierre après son *immortel* discours, se fit-il apporter les livres, « les habits, les coupes du culte protestant pour les profaner? Appela- « t-il à la barre, chercha-t-il à séduire ou à effrayer quelque ministre « de ce culte pour en obtenir un serment d'apostasie? Se servit-il au « moins pour cette horrible scène des scélérats de cet ordre, comme « il avait employé ceux de l'ordre catholique? Il n'y pensa seulement « pas. Rien ne le gênait, rien ne l'irritait, rien ne lui faisait ombrage « de ce côté, aucun ennemi de Rome ne pouvant être odieux à un « autre, quelles que soient leurs différences sous d'autres rapports... « Nous avons entendu un fou du dernier siècle s'écrier dans un livre « tout à fait digne de lui: *O Rome, que je te hais!* Il parlait pour tous « les ennemis du christianisme, mais surtout pour tous ceux de son « siècle, car jamais la haine de Rome ne fut plus universelle et plus « marquée... L'arche sainte fut soumise à deux attaques inconnues « jusqu'alors; elle essuya à la fois les coups de la science et ceux du « ridicule... Un homme unique à qui l'enfer avait remis ses pouvoirs, « se présenta dans cette nouvelle arène, et combla les vœux de l'im- « piété. Jamais l'arme de la plaisanterie n'avait été maniée d'une ma- « nière aussi redoutable, et jamais on ne l'employa contre la vérité « avec autant d'effronterie et de succès. Encore aujourd'hui, l'homme « sage qui parcourt les écrits de ce bouffon sacrilège, pleure souvent « d'avoir ri. Une vie d'un siècle lui fut donnée, afin que l'Eglise (Ro- « maine) sortît victorieuse des trois épreuves auxquelles nulle institu- « tion fausse ne résistera jamais: le syllogisme, l'échafaud, et l'épi- « gramme ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, Conclusion.

nullo potuerunt moveri incentivo temporalis emolumenti; quin imo multa relinquere debuerunt, aut fortunas ingentesque opes, aut favorem et gratiam popularium suorum, aut quaecumque in hoc mundo cariora possidebant, sicut hoc ipso saeculo manifeste apparuit in celebrioribus conversionibus ex Iudaismo, Anglicanismo, Lutheranismo, vel Moscovismo (1). At contra, simile quid in defectione nostrorum visum est nunquam. Nunquam quis persuadere potuit se a catholicis ad protestantes vel quaslibet sectas transiisse, ut conscientiae dictamini obediret, fieretque melior, castior, purior, et Deo magis coniunctus; mendacium enim vel ipsa conscientia publica respueret et exploderet. Imo vero, lege quadam universali atque infallibili, in apostasia catholicorum semper conspicua apparet aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae, et maxime quidem concupiscentia carnis (2). Nunc autem, quis explicabit, quaeso, qua de causa communio catholica ita ad se attrahat optimos quosque ex communionibus separatis, ut si qui flores sanctitatis per accidens erumpant in terra deserta et invia et inaquosa, mox ad hortum seu rosarium Catholicae transferantur, dum vice versa a Catholica ad sectas separatas non transeant nisi homines quorum mammona vel venter deus est? Nonne in hoc illustre est indicium de eo quod in praesenti contendimus: Romanam scilicet Ecclesiam splendescere ut genuinam sanctorum patriam, legitimamque matrem?

Accedit tertio observatio ab iis potissimum facta, qui in regionibus heterodoxorum diu sunt versati, videlicet: Quod in communionibus separatis, illi praecise diffidentiam experiuntur et inquietudinem animi circa suae religionis veritatem, qui puriores sunt corde; apud nos vero, confidentia et securitas sem-

(1) De his confer omnino Migne, in opere cui titulus: *Les conversions célèbres de notre siècle.*

(2) Huc etiam facit usus loquendi apud omnes receptus. Cum enim *conversionis* nomen in bonam partem soleat accipi, nescio an aliqua terrarum pars exsistat in qua eiusmodi vocabulum pro transitu catholici ad partes protestantium vel aliorum heterodoxorum, communi consuetoque more adhiberi queat. Et contra, quis unquam homini e protestantismo venienti ad nos, infamem apostasiae notam ausus est inurere?

per est in proportione directa cum bonitate vitae (1). Equidem factum experientiae istud est, quod nulla tergiversatione potest eludi. Non est auditum a saeculo, quod homo pius in Catholica educatus inceperit conscientiae dubitationibus angi de vera salutis aeternae via, ita nimirum ut anceps atque haesitans coram Deo exsisteret, utrum sibi remanendum esset in gremio Catholicae, potius quam eundum ad partes protestantium vel cuiuscumque ecclesiae a Catholica separatae. At vice versa, in separatis communionibus, eiusmodi phaenomenon quotidianum est. Quo magis tenetur quis desiderio placendi Deo et salvandi propriam animam, eo magis irrequietus est, dubitans an rectum teneat salutis iter (2): de iis utique loquendo, qui satis exculti, nonnullam Catholicae Ecclesiae cognitionem habent, et aliunde capaces exsistunt revocandi ad examen titulos et credibilitatem propriae religionis. Nunc autem, quaeso, securitas ista quam bonae animae in Catholica habent, in sectis non habent, nonne ad eamdem semper ducit conclusionem, quae superius declarata, praesentis indaginis scopus ac finis est?

§ 2.

Iam post generalia indicia veniendum est ad specialia, seu etiam directa argumenta, quibus manifestum fiat, nullam esse in mundo ecclesiam sanctam, nisi Catholicam.

Quod extra Ecclesiam Romanae communionis non est sanctitas principiorum.

In primis magna consideratione dignum est, sectas omnes a Catholica praecisas, esse maxime foedas in originibus suis, id est, in suis patribus, fundatoribus, seu initiatoribus, tantamque esse originalem hanc maculam ut pro inexpiabili nota iure habeatur.

(1) « Le doute n'habite point la cité de Dieu, et l'on peut faire « sur ce point une observation de la plus haute importance: c'est que « dans les communions séparées, ce sont précisément les cœurs les « plus droits qui éprouvent le doute et l'inquiétude, tandis que parmi « nous la foi est toujours en proportion directe de la moralité ». J. de Maistre, Lettres et opuscules inédits, Tom. 2. A une Dame Russe, sur la nature et les effets du schisme.

(2) Cf. ad exemplum vitam P. Faber, qui ex ministro anglicano presbyter catholicus factus, non multis abhinc annis sanctissime obiit.

Orientales pro duce et antesignano Photium agnoscunt, mortalium scelestissimum, cui veridica historia confirmavit infamiae titulos sub quibus in Concilio VIII (Constantinopolitano IV) anathematizatus est: « Photium scissionibus mundum « replentem, duas vero fides impie habentem, animas autem « duas mortalium dicentem, et Imperium multipliciter incidentem, et Patriarcham primarium deponentem, alienumque thronum invadentem, moechiam rursus omnibus exprimentem, ignobilemque populum advocantem, subscribere invitos minitantem, Compatriarcham mimi existentem, pauperum clericorum « et orphanorum res consumentem, et insontes punientem... et « scandalum omnibus excitantem, inimicum Dei dixerimus impie « agentem » ([1]). Michaelem quoque Caerularium odio, fraude, calumniis, omnisque generis mendaciis operam Photii tandem complevisse, satis compertum est. Qui cum tantum nefas ausus esset, ut dirumpendo Ecclesiae unitatem, titulum sibi oecumenici Patriarchae insolenter usurparet, sequentes suae a Sede Petri separationis rationes asseruit, missis litteris ad Patriarcham Antiochenum: « Certo scito quod non unica tantum sagitta, azymorum videlicet errore confossi sunt Romani, (quod omnibus « aperte patet), sed multis et aliis diversis. Quapropter illos « omnino aversari necesse est. Et quae quidem Iudaeorum more « peragunt, talia sunt, ut error qui illis tribuitur de azymo, et « quod suffocatum comedunt, et barbam radunt et sabbata cu« stodiunt, et comedunt immunda, monachi carnibus vescuntur, « nidore videlicet suis et larido omni. Et quod etiam attinet ad « primam hebdomadam Quadragesimae, qua nos ovis tantum et « lacte vescimur, et propterea Casei hebdomadam illam appel« lamus. Sed praeter haec, in sacro Symbolo hanc etiam adhi« bent additionem: *Qui ex Patre Filioque procedit.* In sacra etiam « missa illud: *Unus Sanctus, unus Dominus Iesus Christus in « gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum,* alta voce dicunt. « Praeter haec, nuptias sacerdotum prohibent, sed innuptos ma« nere volunt eos qui sacerdotes esse cupiunt. Duo etiam fratres « duas ducunt sorores. Et in sacra missa, tempore communionis « alter ministrorum comedens azyma, alios amplexatur et pacem « illis largitur. Episcopi etiam annulos gestant in manibus, quasi

([1]) Apud Baronium, ad annum, 869, n. 46.

« uxores ecclesias accipientes. Ad bellum etiam exeuntes, manus « suas sanguine coinquinant, et in conspectu suo animas occi- « dunt, et occiduntur, quemadmodum etiam a nonnullis qui hoc « affirmant accepimus. Sacrum baptisma ita peragunt, ut eos qui « baptizantur unica mersione baptizent. Sale praeterea eorum « ora implent. Male etiam apostolicum illud accipientes, quod « ait: *modicum fermentum totam massam fermentare,* ipsi ita « scriptum habent: *modicum fermentum totam massam corrumpit,* « contendentes hac modica huius verbi occasione tollere fermen- « tatum quod panem sublevat et attollit. Quin imo sanctorum « reliquias illorum nonnulli non venerantur, nec sanctas etiam « imagines. Sanctos etiam illos et magnos Patres nostros Basi- « lium et Chrysostomum cum reliquis sanctis non connumerant, « nec illorum doctrinam omnino recipiunt. Alia etiam faciunt « multa, quae singula enumerare esset molestum ». His igitur rationibus unice innixus, Latinos perpetuo exsecrandos Caerularius concludit! Qua in re incertum est quid mireris magis, aut levitatem, aut imperitiam, aut temeritatem, aut duplicitatem, aut superbiam. Et tales quidem signiferos schisma Orientale habuit (1).

Sed quid nunc dices de Reformationis originibus? Si Photianum aedificium initium sumit a mendacio, levitate, calumnia, odio, et superbia, numquid dissimiles pronuntiabis protestantismi natales, nisi quod longe illustriores sese produnt furore, confusione, et truculenta illa ferocia quae a saeculo XVI ac deinceps., Europam implevit caedibus et sanguine? Reformationis initiator in Germania fuit Lutherus, qui aperte gloriatur se diabolum habuisse magistrum, et in suis scriptis posteritati reliquit monumentum aere perennius, spiritus quo erat possessus (2). Refor-

(1) Documenta vide apud Baronium, ad annum 1054.

(2) « Que dirai-je des bouffoneries aussi plates que scandaleuses « dont il (Luther) remplissait ses écrits? Je voudrais qu'un de ses secta- « teurs des plus prévenus prît la peine de lire seulement un discours « qu'il composa du temps de Paul III contre la papauté: je suis cer- « tain qu'il rougirait pour Luther, tant il y trouverait partout, je ne « dirai pas de fureur et d'emportement, mais de froides équivoques, « de basses plaisanteries et de saletés; je dis même des plus grossières, « et de celles qu'on n'entend sortir que de la bouche des plus vils ar- « tisans. *Le Pape,* dit-il, *est si plein de diables, qu'il en crache, qu'il en*

mationis initiator in Gallia fuit Calvinus, qui indole quidem et ingenio plurimum dispar, saevitia furiarum quibus agitabatur,

---

« *mouche:* n'achevons pas ce que Luther n'a pas eu honte de répéter « trente fois. Est-ce là le discours d'un Réformateur?... Mais oserai-je « rapporter la suite de cette invective insensée? Il le faut, malgré mes « horreurs, afin qu'on voie une fois quelles furies possédaient ce chef « de la nouvelle Réforme. Forçons-nous donc pour transcrire ces mots « qu'il adresse au Pape: *Mon petit Paul, mon petit pape, mon petit ânon, « allez doucement; il fait glacé, vous vous rompriez une jambe, vous vous « gâteriez, et on dirait: Que diable est ceci? Comme le petit papelin s'est « gâté.* Pardonnez-moi, lecteurs catholiques, si je répète ces irrévéren- « ces. Pardonnez-moi aussi, ô Luthériens, et profitez du moins de votre « honte. Mais après ces sales idées, il est temps de voir les beaux en- « droits. Ils consistent dans ces jeux de mots: *Caelestissimus, scelestis- « simus: sanctissimus, satanissimus,* et c'est ce qu'on trouve à chaque « ligne. Mais que dira-t-on de cette belle figure? *Un âne sait qu'il est « âne, une pierre sait qu'elle est pierre, et ces ânes de papelins ne savent « pas qu'ils sont des ânes.* De peur qu'on ne s'avisât d'en dire autant « de lui, il va au devant de l'objection. *Et,* dit-il, *le Pape ne me peut « pas tenir pour un âne; il sait bien que par la bonté de Dieu et par sa « grâce particulière, je suis plus savant dans les Ecritures que lui et que « tous ses ânes.* Poursuivons: voici le style qui va s'élever. *Si j'étais le « maître de l'Empire, je ferais un même paquet du Pape et des cardinaux, « pour les jeter tous ensemble dans ce petit fossé de la mer de Toscane. « Ce bain les guérirait; j'y engage ma parole, et je donne Jésus-Christ « pour caution.* Le saint nom de Jésus-Christ n'est-il-pas ici employé « bien à propos? Taisons-nous. C'en est assez, et tremblons sous les « terribles jugements de Dieu qui pour punir notre orgueil, a permis « que de si grossiers emportements eussent une telle efficace de séduc- « tion et d'erreur ». **Bossuet**, Histoire des variations des Eglises Protestantes, l. I, n. 33.

« Pendant que ce chef des Réformateurs tirait à sa fin, il devenait « tous les jours plus furieux. Ses thèses contre les docteurs de Louvain « en sont une preuve... Tantôt il fait le bouffon, mais de la manière du « monde la plus plate: il remplit toutes ses thèses de ces misérables « équivoques, *vaccultas* au lieu de *facultas; cacolyca Ecclesia* au lieu de « *catholica,* parce qu'il trouve dans ces deux mots, *vaccultas* et *cacolyca,* « une froide allusion avec les vaches, les méchants et les loups. Pour « se moquer de la coutume d'appeler les docteurs *nos maîtres*, il ap- « pelle toujours ceux de Louvain, *nostrolli magistrolli, bruta magistrolia,* « croyant les rendre fort odieux ou fort méprisables par ces ridicules

Lutherum ipsum superare visus est [1]. Reformationis initiatores in Anglia fuerunt Henricus VIII, Cranmer, Thomas Cromwel,

---

« diminutifs qu'il invente. Quand il veut parler plus sérieusement, il « appelle ces docteurs *de vraies bêtes, des pourceaux, des Epicuriens, « des Païens, et des Athées, qui ne connaissent d'autre pénitence que celle « de Judas et de Saül, qui prennent non de l'Ecriture, mais de la doctrine « des hommes, tout ce qu'ils vomissent;* et il ajoute, ce que je n'ose tra- « duire, **quidquid ructant, vomunt, et cacant**. C'est ainsi qu'il oubliait « toute pudeur, et ne se souciait pas de s'immoler lui-même à la risée « publique, pourvu qu'il poussât tout à l'extrême contre ses adversai- « res ». **Bossuet**, Variations, l. 6, n. 39.

[1] « Ceux qui ont rougi des injures que l'arrogance de Luther lui « a fait écrire, ne seront pas moins étonnés des excès de Calvin. Ses « adversaires ne sont jamais que des fripons, des fous, des méchants, « des ivrognes, des furieux, des enragés, des bêtes, des taureaux, des « ânes, des chiens, des pourceaux, et le beau style de Calvin est « souillé de toutes ces ordures à chaque page. Catholiques et Luthé- « riens, rien n'est épargné. L'école de Westphalie, selon lui, est *une « puante étable à pourceaux*. La Cène des Luthériens est presque tou- « jours appelée une Cène *de Cyclopes, où on voit une barbarie digne des « Scythes*... Au milieu de ces injures il vante encore sa douceur, et « après avoir rempli son livre de ce qu'on peut imaginer non seule- « ment de plus aigre, mais encore de plus atroce, il croit en être quitte « en disant *qu'il avait été tellement sans fiel lorsqu'il écrivait ces injures, « que lui-même en relisant son ouvrage était demeuré tout étonné que tant « de paroles dures lui fussent échappées sans amertume. C'est*, dit il, *l'in- « dignité de la chose qui lui a fourni toute seule les injures qu'il a dites, « et il en a supprimé beaucoup d'autres qui lui venaient à la bouche. Après « tout, il n'est pas fâché que ces stupides aient enfin senti les piqûres*, et « il espère qu'elles serviront à les guérir. Il veut bien pourtant avouer « qu'il en a dit plus qu'il ne voulait, et que le remède qu'il a appliqué « au mal *était un peu trop violent*. Mais après ce modeste aveu il s'em- « porte plus que jamais, et tout en disant: *M'entends-tu, chien? M'en- « tends-tu bien, frénétique? M'entends-tu bien, grosse bête?* il ajoute *qu'il « est bien aise que les injures dont on l'accable demeurent sans réponse*... « Chacun sait combien de fois Calvin a passé par dessus les décisions « des saints Pères, quel plaisir il a pris à les traiter d'écoliers, à leur « faire leur leçon, et la manière outrageuse dont il a cru pouvoir éluder « leur témoignage unanime, en disant par exemple, *que ces bonnes gens « ont suivi sans discrétion une coutume qui dominait sans raison, et qui « avait gagné la vogue en peu de temps* ». **Bossuet**, Variations, l. 9, n. 83.

Somerset, Elisabeth: totidem nomina posteris exsecranda, synonyma luxuriae, periurii, perfidiae, hypocrisis, et nefandae barbariae (1). — Et putas religiones talibus plantatoribus et aedificatoribus initiatas, cum qualibet verosimilitudinis specie, nota sanctitatis gloriari posse?

Sed origines nunc praetermitto, ut ad praesentia me convertam, quamvis non ideo valedicendum sit historiae quae aperte attestatur sectas illas omnes comparari ad Catholicam ut ramos a trunco praecisos; ex quo sequitur secernendum esse id quod in sua separatione de bonis antiquae unitatis retinuerunt, et id quod eis vere competit in proprium. Porro unum est omnibus et singulis, commune quidem si comparentur inter se, proprium vero si accipiantur ut à Catholica contradistinctae, videlicet: Quod suprematiam Status recipiunt et agnoscunt, res religionis

(1) Reformationis Anglicanae historiam incepturus, praemittit Bossuet, ubi supra, l. 7, n. 2: « Que si l'Angleterre y trouve des marques « sensibles de l'aveuglement que Dieu répand quelquefois sur les rois « et sur les peuples, qu'elle ne s'en prenne pas à moi, puisque je ne « fais que suivre une histoire que son Parlement en corps a honorée « d'une approbation si authentique; mais qu'elle adore les jugements « cachés de Dieu qui n'a laissé aller les erreurs de cette savante et « illustre nation jusqu'à un excès si visible, qu'afin de lui donner de « plus faciles moyens de se reconnaître ». Generatim vero de Reformatione loquendo, iure meritoque concludit Ioannes Milner (apud Migne, Démonstrations évangéliques, tom. 17, pag. 740, seq.): « J'ai fait « voir que le patriarche Luther était le jouet de ses passions effrénées, « de l'orgueil, du ressentiment, et de la débauche; qu'il était turbulent, insolent, et sacrilège au plus haut degré; qu'il fut la trompette « de la sédition, de la guerre civile, de la rébellion et de la dissolu- « tion; et qu'enfin, il fut d'après son propre témoignage, le disciple « de Satan dans l'article le plus important de sa prétendue réforme. « J'ai fait peser, en les appuyant de preuves irrécusables, des charges « presque aussi accablantes sur ses principaux disciples, Carlostadt, « Zwingle, Calvin, Bèze et Cranmer. Quant à ce dernier, qui sous « Edouard VI et son fratricide oncle le duc de Somerset, fut le prin- « cipal artisan de l'Eglise Anglicane, j'ai montré que depuis sa jeunesse « au collège jusqu'à sa mort sur le bûcher, sa vie n'avait été qu'une « scène continuelle de libertinage, de parjure, d'hypocrisie, de barbarie, « de débauche, d'ingratitude et de révolte, telle peut-être que l'histoire « n'en offre point de semblable, etc. etc. ».

submittendo regimini potestatis, cuius proprius finis est cura temporalium. Recole dicta in quaestione praecedenti, et nota eiusmodi principium vim formalis constitutionis obtinere tum in Ecclesia Russiaca (1), tum in Ecclesia Anglicana (2); aequivalentis saltem, in caeteris Ecclesiis Protestantibus (3), necnon et in cunctis communionibus Orientis, ne iis quidem exceptis qui in Turcarum partibus consistunt (4). Nunc autem, suprematiam Status in rebus religionis agnoscere, nihil aliud est quam subordinare ea quae Dei sunt iis quae sunt Caesaris, spiritualia temporalibus, coelum mundo, salutem animarum politicis convenientiis, et ultimum finem fini terrestris felicitatis. Quo nihil magis sanctitati repugnans excogitari potest. Ergo, vel uno hoc argumento unaquaeque communio separata convincitur excidisse a sanctitate principiorum, et non esse indefectibilem illam Christi Ecclesiam, quae sola possidet *in proprium* omnia sui Sponsi bona.

Quid ergo mirum si apud Graecos religio tota languescat, et ad materialem quemdam imaginum cultum tota videatur reducta; si clerus servilibus notis compunctus in summo omnium contemptu vilescat; si nullum vivi atque ardentis zeli signum usquequaque conspiciatur; si sanctis illis antiquis quos superstitiosius forsitan videntur venerari, ne unum quidem a tempore separationis superaddere potuerint, suo ipsorum testimonio comprobantes praesentem sterilitatem ac maledictionem ecclesiae, olim tanta christianorum heroum corona illustris?

At multo adhuc facilius Reformationem convinces non solum carentiae sanctitatis, verum etiam positivae impietatis. Sufficiet enim in medium afferre fundamentale principium Protestantismi, quod de se idoneum est ad omnem morum corruptelam conse-

(1) Vide supra, thes. 3, § 2.

(2) « Par une loi publiée en 1559. *on attacha de nouveau la primauté « ecclésiastique à la couronne. On déclara que le droit de faire les visites « ecclésiastiques, et de corriger ou de réformer les abus de l'Eglise était « annexé pour toujours à la royauté, et qu'on ne pourrait exercer aucune « charge publique, soit civile, ou militaire ou ecclésiastique, sans jurer de « de reconnaître la Reine pour souveraine gouvernante dans tout son royaume, « en toutes sortes de causes séculières et ecclésiastiques* ». Apud Bossuet, Variations l. 10, n. 11.

(3) Cf. Card. Franzelin, de Ecclesia, Sect. IV, Praenotio historica.

(4) Vide supra, l. c.

crandam. Dum enim unusquisque suae fidei iudex constituitur, eo ipso dominus est efficiendi sibi regulam morum, et non erit enormitas quae in vi religionis eiusmodi nequeat colorari. Quod etiam tanquam in exemplo archetypo luculenter apparet in modo quo primi omnium, Reformationis Patres suum principium intellexerunt atque applicaverunt. Nam si pro suo privato iudicio vidit Lutherus in Scriptura, quod *humana voluntas in medio posita est ceu iumentum: si insederit Deus, vult et vadit quo vult Deus; si insederit Satan, vult et vadit quo vult Satan, nec est in eius arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quaerere, sed ipsi sessores certant ad ipsam obtinendam et possidendam;* item si vidit Lutherus quod homo christianus etiam volens non potest salutem amittere, quantiscumque se peccatis coinquinet, dummodo *peccando fortiter credat fortius,* quidni idem videbit alius quispiam, et iuxta hanc regulam mores et vitam ordinabit? Proinde nihil adversarios iuvabit respondere quod foedae illae et absurdae negationes, sive liberi arbitrii, sive necessitatis ac meriti bonorum operum, a se non retinentur. Plane enim sufficit ad demonstrationem nostram, ut monstra huiusmodi in vi principii protestantici et possibilia sint, et reipsa in lucem prodierint, non ut speculativa tantum placita, sed tanquam ius et norma vivendi. Qua in re, domesticis etiam convincuntur testimoniis, quale illud est Smidelini apud Bellarminum [1], de suis Lutheranis ita loquentis: « Ut totus mundus agnoscat eos non « esse Papistas, *nec bonis operibus quidquam fidere,* illorum etiam « operum nullum exercent penitus. Ieiunii loco, comessationibus « et perpotationibus nocte dieque vacant; ubi pauperibus benigne « facere oportebat, eos deglubunt et excoriant; precationes ver- « tunt in iuramenta, blasphemias, et divini nominis exsecrationes, « idque tam perdite, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie « tantopere blasphemetur. Pro humilitate regnat passim superbia, « fastus, elatio, *atque hoc universum vitae genus ab illis Evange-* « *licum dicitur institutum* ». Denique nimis apertum est, moralem illam quam independentem vocant, quaeque nihil aliud quam nudam impietatem sonat, legitimam esse prolem principii protestantici. Et multa adhuc alia addi possent; sed quid opus est rimari singulas partes aedificii, cuius primum fundamentum vi-

(1) Bellarminus, de notis Ecclesiae, c. 13.

tiosum esse constat? Et absit quidem ut nullos in sinu protestantismi bonos de facto esse contendamus. Id unum sequitur, nullum ibi posse inveniri iustum qui talis sit in vi propriorum principiorum religionis suae. Nunc ex adverso considera Catholicam.

Quod in Ecclesia Romanae communionis, tum principiorum tum membrorum eximia sanctitas elucet.

Praeobserva doctrinam huius Ecclesiae his fere capitibus comprehendi. Circa Deum quaedam docet quae naturali lumine cognosci possunt, et maxime vera inveniuntur, ut Deum esse unum, omnipotentem, aeternum, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum. Qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus. Quaedam vero alia docet rationi impervia, quae quidem nequeunt demonstrari. Sed ipsa naturalis ratio dictat Deum esse humano ingenio incomprehensibilem, et ideo altius atque excellentius de eo esse sentiendum, quam nos assequi valeamus. Insuper mysteria illa nec ostenduntur nec ostendi possunt rationi contraria, et tantum abest quin divinae Maiestatis excellentiam deprimant, ut e contra, ad illam commendandam conferant quam plurimum.

Circa rerum originem et ultimum finem docet haec doctrina, universa per creationem a Deo processisse, Deumque ipsum fecisse omnia propter semetipsum, non quidem ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam. Quatenus scilicet est in Deo infinitus amor suae bonitatis, et quemadmodum contingere solet ut quod quis summe amat, eius praestantiam et pulchritudinem velit manifestare, ita in Deo amoris ardor ex infinito pulchro et bono infinite cognito prodiens, et in ipsum infinitum pulchrum et bonum sese immediate reflectens, rursus propter idem pulchrum et bonum extrinsece glorificandum, liberrime aliquando se extendit ad creationem universi. Quare, gloriam divinae bonitatis esse finem cunctis entibus propositum, maxime vero intellectualibus creaturis quae solae possunt Deum cognoscere et amare, solae etiam coniungi cum eo intima et immediata unione in futura beatitudine. Hinc, Deum universa quae condidit, providentia sua tueri ac gu-

bernare et ad praedictum finem dirigere, omniumque mutationum quae in mundo fiunt vel fieri permittuntur, hanc esse rationem ut creaturae rationales secundum modum sibi proprium, hoc est libere et meritorie, adducantur ad requiem in visione Dei: ut quemadmodum ab uno, ita et ad unum sint omnia, quod est bonum divinum in quo solo et ipse Deus requiescit, et creatae mentes requiescent, eo fruentes.

Circa viam finis ultimi consequendi, praeter omnia quae ad incarnationem Verbi et sacramenta eius spectant, docet catholica doctrina miro moderamine omnia quae rectitudinem vitae concernunt in virtutibus theologicis et moralibus, nihil approbans quod turpe sit, nihil imponens quod necessarium non sit, sanctitatem matrimonii per omnia inculcans, adiiciens consilia quae ad perfectiorem cum Deo coniunctionem conferunt, sicut omnimodam et angelicam castitatem, voluntariam paupertatem, necnon et obedientiam. Gravitatem divinae offensae, necnon et possibilitatem ac necessitatem poenitentiae dum currit tempus viae, mira efficacia tam speculative quam practice proponit. Sanctionem divinae legis asserit in aeternis malorum poenis, et mercede iustorum magna nimis. Necessitatem gratiae ad ineundam salutis viam et ad perseverandum in ea quam maxime inculcat, volens nos orationi intentos semper respicere ad Deum adiutorem nostrum. Et cum valde rationabiliter doceat non esse nisi unam religionem veram, extra quam nemo salvari potest, valde etiam consequenter tenet quod votum in bona fide implicitum, coniunctumque cum iis quae ex natura rei ad iustificationem requiruntur, habetur pro facto. Denique ad socialem ordinem quod attinet, nedum religionem faciat appendicem Status, asserit potius subordinari temporalem potestatem spirituali, eo quod oporteat eamdem esse habitudinem potestatum inter se, quae est et finium, necesseque sit ut omnes fines inferiores subiiciantur fini ultimo coniunctionis cum Deo in vita aeterna.

His fere capitibus continetur Ecclesiae catholicae doctrina, quam nemo ratione utens non dicet splendescere ingenti splendore sanctitatis. Quapropter, si actuosa, et instanti praedicatione haec doctrina praedicetur; si leges, si instituta, si ordinationes eidem doctrinae consentanea inveniantur atque ad amussim respondeant, sequitur Catholicam esse eximie sanctam sanctitate principiorum.

Atqui in primis, proprium Romanae Ecclesiae est, et gloria eius exclusiva, quod sanctissimam hanc fidei et morum regulam apostolica libertate per totum mundum invariabiliter praedicaverit, non ut quae humanis placitis, humanis modificationibus, humanis demum interpretationibus relicta sit, sed ut talem a qua nec apex nec iota praeteribit, et in quam nec ipsa ius ullum habeat, praeter ius proponendi et custodiendi cum assistentia divina. Hinc in ea, summa a saeculari potestate independentia et libertas, pro qua, occasionibus datis inde ab incunabulis suis, usque ad mortem frequenter decertavit, indomabilis vigoris supernam ostendens originem. Hinc etiam de ea continuo verificatur illud Davidicum: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Et iterum: *Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion, civitas Regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. Quoniam ecce reges terrae convenerunt in unum; ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, tremor apprehendit eos.*

Singulare item est in Catholica, quod sanctissimae et intemeratae doctrinae per omnem modum disciplina respondeat; quod continua reactione animadvertatur adversus abusus humanitus irruentes. Quod si quid vitii passi sunt, non dico eius initiatores et plantatores, sed nonnulli e longa serie Pontificum eius, (ultro enim concedimus), nusquam tamen suae vitiositatis vel levissimum vestigium reliquerunt in ecclesiasticis institutionibus seu ordinationibus, nequidem per aliquantulam imminutionem regulae perfectionis aut mediorum ad eam conducentium. Quid nunc dicendum de iis quae omnibus fidelibus vel iniunguntur vel suppeditantur ad sanctitatem suo statui congruentem assequendam? Cogita quam salubris et sancta, vel sola institutio Quadragesimae, in qua singulis annis unusquisque districte tenetur sese reconciliare Deo, eamque animi comparare puritatem, quae ad Deum ipsum recipiendum necessaria conditio sit. Quod aut quale maioris energiae medium excogitari potest ad vitii extirpationem et continuam sui reformationem, quam frequens usus sacrae confessionis ac communionis, ad mentem Ecclesiae Catholicae adhibitus? Quid de perenni festorum institutione, quae tanta celebritate peraguntur, humanisque mentibus in Christi mysteriis, suavissimum et plus quam dici potest mirabile sanctitatis exemplar iugiter offerunt imitandum? Quid de modo quo ad

orandum et meditandum instituuntur nostri, de spiritualibus exercitiis, de praeceptis consiliisve carnis castigationem spectantibus?

Rursus singulare est in Catholica, quod exsistant in ea institutiones omni ope commendatae circa perfectam castitatem, maximamque carnalis hominis mortificationem. Perfectam porro castitatem ac mortificationem dico, ad hoc determinate assumptam ut homo liberius vacet Deo et proximo, firmiusque ultimo fini inhaereat. Ex qua nota, ut caetera praetermittam, radicaliter distinguuntur institutiones catholicae ab iis quae specie tenus in quibuslibet sectis similes viderentur [1]. Quidquid enim de monachis Graecorum vel bonziis Bouddhistarum clamitent adversarii, nunquam obscurabunt propriam vitae religiosae ideam, quae in solis Romanae communionis institutis et viguit semper, et usque nunc eadem vitalitate viget. Inter quae, alia orationi et acri corporis castigationi indulgent, tum ad propriorum alienorumque expiationem peccatorum, tum ad perfectionem unionis cum Deo; alia versantur in operibus vitae activae, et in mise ricordiis pauperum, infirmorum, moribundorum, potissimum insistunt; alia demum medio modo se habentia, contemplationem cum spirituali ministerio et apostolico labore coniungunt.

Haec igitur et alia quae commemorare non vacat, sed ad praedicta reducuntur, luculenter commonstrant veritatem assertionis: **Catholicam esse eximie sanctam sanctitate principiorum,** hoc est, sanctitate influxus per doctrinam, instituta, leges, et reliqua ad regimen animarum pertinentia. Et confirmatur ex singulari strepitu qui fit in mundo, ad scandalum exortum in Catholica. Inde enim sibi videntur triumphare inimici, quia possunt causari oppositionem inter rationem agendi et principia. Ergo sanctitatem principiorum ipsimet agnoscunt. De factis vero non habent quod exsultent, nam ut Augustinus dicit, de moribus Ecclesiae l. 1, c. 34: « Nunc vos illud admoneo, ut ali- « quando Ecclesiae catholicae maledicere desinatis vituperando

[1] Hic observa, « quod temperantia munditiam quidem operatur, « non tamen ita quod habeat rationem sanctitatis, nisi referatur ad « Deum. Unde de ipsa virginitate dicit Augustinus quod non quia vir- « ginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur ». S. Thomas 2-2, Quaest. 81, a. 8 ad 2^{um}.

« mores hominum quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tan-
« quam malos filios corrigere studet ».

Demum, efficacitas principiorum et divinae benedictionis abundantia **maxime in Catholica elucescit ex ingenti numero Sanctorum quos ut fecunda mater, Deo et coelo parturivit.**

Constat in primis argumento a signo. Cum enim vel ipsa recta ratio doceat non esse alium religionis finem, nisi adducere homines ad sanctitatem, nulla tamen invenitur secta, qua late patet orbis, quae audeat proponere sanctos a se informatos, et in lumine veritatis historicae eosdem producere. At Catholica hoc audet, hoc praestat, et saltem decentissime. Venerationi mundi suos proponit heroes, quos in maxima publicitatis luce canonizat et collocat in candelabro, nil timens ne hominum malignitas unquam adinveniat, unde iure infirmetur iudicium quod ipsa tulit de heroicitate virtutum. Habet usque nunc, exemplo undequaque singulari, publicas ordinariasque institutiones, id est publicam legislationem, ordinaria tribunalia, ordinariumque iudicem supremum in causis Sanctorum discutiendis. Repugnat autem et plane implicat ut quod perenniter tanta celebritate solemnizatur in facie mundi, sit vacua sine obiecto institutio, quasi machina ad mendacium et imposturam; cito enim, vel per desuetudinem, vel potius per ridiculum et publicum contemptum concideret.

Constat secundo ex documentis directis, quorum magna exstat pars in Actis Sanctorum collectionis Bollandianae, ubi habes monumentum aere perennius, semper vigentis semperque florentis sanctitatis Ecclesiae Catholicae. Et nostris quidem temporibus, omnia quae in genere heroicitatis in praeteritis saeculis tanto testium pondere facta commemorantur, in oculis incredulae generationis palam manifestata sunt. Nam si heroicitatem martyrum desideres, habes martyres plurimos magnae perturbationis in Gallia; habes martyres Poloniae et Siberiae, quos maxime sub Gregorio XVI, ferro, igne, inedia, frigore, horrendaque barbarie consumpsit schisma Moscovitanum; habes martyres recentius in Cocincina et Corea necatos, aliosque qui ante viginti circiter annos apud Sinas sanguine suo fidem illustrarunt [1]. Si sanctorum de-

[1] Cf. Migne, Démonstrations évangeliques, Tom. 15, p. 893 et seq.

sideres heroicitatem confessorum, praeter eos quorum memoria recens diversis in locis in benedictione est, quosque vox populi optima virtutis interpres canonizavit, habes illustrissimum divinae sanctitatis exemplum in vita admirabili Beati Ioannis Baptistae Vianney (1), quae coaevis nostris refert quidquid in legendis Patrum et veterum Sanctorum maxime mirandum est. Hinc fit ut ea quae vidit generatio nostra, securam eam faciat non secus ac si vidisset, de aliis eiusdem generis quae antiqua tradit historia, sicut qui ad ripas fluminis accedens flumen videre dicendus est, quantumvis sub oculis eius immediate non cadant partes quae iam defluxerunt, aut quae nondum advenerunt.

« O vere beata mater Ecclesia, quam sic honor divinae di-
« gnationis illuminat, quam vincentium gloriosus martyrum san-
« guis exornat, quam inviolatae confessionis candida induit vir-
« ginitas. Floribus eius nec rosae nec lilia desunt! » (2).

(1) Vulgo, le curé d'Ars.
(2) Beda, Serm. 1 in festo OO. SS.

QUAESTIO V.

DE NOTA CATHOLICITATIS.

Dicit Augustinus in epistola ad Catholicos contra Donatistas: « Quaestio inter nos versatur, ubi sit Ecclesia: utrum « apud nos, an apud illos. Quae utique una est, quam maiores « nostri *Catholicam* nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent « quia per totum est. Secundum totum enim, καθ' ὅλον graece « dicitur ». Ergo ex vi nominis catholicitas est quaedam universalitas, et sumitur in praesenti pro universali diffusione Ecclesiae per omnia terrarum loca, omnesque hominum cognationes.

Haec catholicitas, utpote in facto visibili natura sua consistens, et tum Veteris tum Novi Testamenti auctoritate in signum maxime distinctivum regni messianici ubique proposita, semper habita est a Patribus pro tessera verae Ecclesiae Christi, visibilique nota qua ipsa facile discernitur ab adulterinis haereticorum vel schismaticorum congregationibus. Unde iam evidenter apparet quod in mente Patrum, catholicitas praerequirit unitatem in subiecto de quo praedicatur, et quidem unitatem non qualemcumque, sed illam determinate, quae supra fuit diserte declarata cum de unitate communionis ageretur (1). Nam si, ut Puseytis placet, regnum Christi constaret communionibus a se invicem divisis, et solum convenientibus in professione quorumdam quasi generalium principiorum christianismi, (qui modus unitatis per omnia retro saecula inauditus, pro necessitate causae iam desperatae novissime noscitur excogitatus): profecto catholicitatis nota nunquam fuisset alicuius emolumenti ad terminandas controversias exortas inter aemulas communiones, quia nedum discerneret unam ab alia, omnes potius indiscriminatim velut totidem christianismi fractiones in sua amplitudine complecteretur. Toto itaque coelo aberrasset Augustinus, cum concludebat veram Ecclesiam non esse apud Donatistas, hoc solo nomine quia communio eorum extra unum Africae angulum non diffun-

(1) Supra, Quaest. 3.

debatur (1). Toto coelo Epiphanius, cum haereticos qui se Apostolicos vocabant, hinc convincebat, quia habitabant in exigua regione Phrygiae, Ciliciae, et Pamphyliae (2). Toto coelo Cyrillus Hierosolymitanus, cum fideles instruens de modo quo se gerere debebant quando in alias civitates peregrinabantur, instanter admonebat eos ne se cuiquam communioni immiscerent praeterquam illi uni quae apud omnes nomine catholico insignitur (3). Et sic de aliis. Quamobrem, praesuppositum huius praesentis quaestionis sumere oportet ex dictis in Quaest. III, ubi satis evidenter ostensum est, veram Christi Ecclesiam nequaquam dividi in plures fractiones a se invicem independentes. Ex quo

(1) « Si enim Sanctae Scripturae in Africa sola designaverunt Ec- « clesiam..., quidquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ec- « clesiam nisi Donatistae. Si in paucis Mauris provinciae Caesareensis « eam Sancta Scriptura determinat, ad Rogatistas transeundum est. Si « in paucis Tripolitanis, Maximianistae ad eam pervenerunt. Si in solis « Orientalibus, inter Arianos et Eunomianos et Macedonianos requirenda « est... Si autem Christi Ecclesia Scripturarum certissimis testimoniis in « omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint et undecumque « recitaverint qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic,* audiamus potius vocem Pastoris nostri dicentis: *Nolite credere* ». Augustinus, de unitate Ecclesiae, n. 6.

(2) « Verum, ut quae de illis tractare coepimus persequamur, habitant illi in exigua quadam regione Phrygiae, Ciliciae, ac Pamphyliae. Quid igitur? Ergone Ecclesia, quae ad utramque terrarum extremitatem porrigitur, penitus exscinditur, nec amplius *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum?* Nec illud valet quod a Servatore dictum est: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terrae?* » Epiphanius, Haeres, 61, n. 2.

(3) « Idcirco nunc cautissime tibi tradidit fides ita tenendum: *Et unam sanctam catholicam Ecclesiam,* ut eorum abominanda collegia fugiens, adhaereas semper sanctae catholicae Ecclesiae, in qua et renatus es. Et si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit Dominicum, (nam et caeterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas Dominicorum nomine honestare nituntur), neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit *catholica Ecclesia.* Hoc enim proprium nomen est huius sanctae, et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. I. C. unigeniti Filii Dei, et figuram prae se fert atque imitationem *superioris Ierusalem quae libera est...* Quae cum prius sterilis fuerit, nunc est numerosae prolis parens ». Cyrillus Hieros., Catech. 18, n. 26.

statim consequitur quod catholicitas quae nunc in considerationem venit, non potest esse aliud quam *universalis diffusio unius eiusdemque communionis,* indivisae quidem in se, divisae vero ab aliis quibuslibet.

Porro haec catholicitas alia est iuris, alia vero facti. Catholicitas iuris quae est destinatio et potestas ad diffusionem universalem, intelligitur pertinere ad ipsam Ecclesiae essentiam, et statim ab initio in ea fuit, etiam quando angustissimis coenaculi limitibus adhuc continebatur. Sed catholicitas facti quae est actualis diffusio per loca et nationes, dependet ab humanis mediis propagationis sub Dei assistentia, et ideo successivum quoddam importat incrementum inde ab origine usque in saeculi finem. Cui incremento congruit evangelica similitudo grani sinapis, quod primo est minimum omnibus oleribus, deinde fit arbor, et paulatim extendit undique propagines suas, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius. Congruit etiam similitudo fermenti quod acceptum absconditur in farinae satis tribus, (quibus tres principales figurantur hominum progenies, Semitica, Chamitica, et Iaphetica), donec progressu temporis fermentetur totum. Apparet itaque aliam atque aliam esse conditionem catholicitatis facti, quando consideratur in successione saeculorum, et quando consideratur ut simultanea pro singulis temporum differentiis. Et hoc qualiter debeat ex Scripturarum oraculis intelligi, sequens propositio declarabit.

THESIS VI.

Ecclesia Christi est essentialiter catholica catholicitate iuris seu destinationis et missionis acceptae a suo Fundatore. Hanc deinde ut necessaria proprietas consequitur catholicitas facti consistens in duobus: primo quidem in permanente ac simultanea per orbem diffusione, qua fit ut ipsa vera Ecclesia ingentem fidelium numerum de multitudine Gentium sinu suo semper comprehendat; tum secundo in incremento successivo quo usque in mundi finem sese magis ac magis propagare debet per omnia omnino terrarum loca, omnesque hominum cognationes.

Catholicitas iuris primo loco recensita vix ac ne vix quidem materiam disputationis suppeditat, tum quia nimis aperte conti-

netur in Evangelio, speciatim vero Matth. XXVIII-19, tum quia nulli quaestioni dubiae locum dare potest, et nullos unquam speciales habuit adversarios. Proinde ad catholicitatem facti tota reducitur inquisitio, in qua hanc normam tenere placet: ut scilicet primo in medium afferantur praecipua Scripturae testimonia tam Veteris quam Novi Testamenti; ac deinde ex iisdem in compendium redactis eruatur conclusio quantum ad duas catholicitatis conditiones in thesi propositas. Utrumque porro facili negotio perficitur.

§ 1.

Affert Augustinus in supra memorata contra Donatistas epistola (1), ex Lege, Prophetis, Psalmis, Evangeliis, et scriptis apostolicis, plerasque auctoritates ad praesentem veritatem pertinentes, et tanta quidem connexione atque evidentia, ut omnibus numeris absoluta prodeat demonstratio. Nihil ergo aptius, nihil expeditius quam ut ipsi Augustino cedamus locum, principalia saltem puncta disputationis eius hic transcribendo.

Initium sumitur a Lege Moysis: « O Donatistae, inquit, Genesim legite: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, et velut arenam quae est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* (Genes. XXII, 16-18). Quid ad haec dicitis? An Iudaeorum nobiscum perversitate contenditis, ut dicatis in solo populo nato ex carne Abrahae intelligendum semen Abrahae? Sed Iudaei Paulum apostolum non legunt in synagogis suis, quem vos legitis in conventiculis vestris. Quid ergo dicat Apostolus, audiamus. Quaerimus enim iam, quemadmodum intelligendum sit semen Abrahae. *Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo quod est Christus* (Galat. III, 15-16). Ecce in quo semine benedicuntur omnes Gentes. Ecce testamentum Dei, aperite aures. Hominis, inquit, confirma-

(1) Vulgo, de unitate Ecclesiae liber unus, Tom. 9 operum Augustini.

tum testamentum nemo irritum facit aut superordinat. Quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum, et periisse iam de gentibus in quibus erat semen Abrahae? Quare superordinatis dicendo in nullis terris haeredem permanere Christum, nisi ubi potuit cohaeredem habere Donatum? Non invidemus alicui. Legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio, de apostolicis litteris: legite et credimus, sicut nos vobis legimus et de Genesi et de Apostolo, quia in semine Abrahae quod est Christus, benedicuntur omnes Gentes ».

Iam sequuntur Prophetae: « Quid in Prophetis, quam multa et quam manifesta sunt testimonia Ecclesiae per omnes Gentes toto terrarum orbe diffusae?... Dicat Isaias ubi Ecclesiam sanctam Deo revelante praeviderit, ut in verbis futura dicentis iam nunc praesentia videamus. *Repleta est,* inquit, *terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes. In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur* (Isai, XI, 9-10). Radicem Iesse, Christum esse ex semine David secundum carnem natum, nullus quoquo modo christianus ignorat; et si contentiosus est, cum Apostolo contendat, qui hoc testimonio in litteris suis utitur, Rom. XV-12. — Item dicit Isaias: *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Certe ista verba cum commemorasset apostolus Paulus (Act. XIII-47), nonnisi in Christianis ostendit impleri. Audiamus ergo quid Isaias adiungat: *Dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, et possideres haereditates dissipatas.* Et paucis interpositis, deinde connectit et dicit: *Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi...* Deinde quia omnes gentes adiungerentur Ecclesiae, sequitur et dicit: *Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi* (Sion). *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua et solitudines tuae et terra ruinae tuae nunc angusta erunt prae habitatoribus. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuae: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut inhabitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos, ego sterilis, et non pariens; et istos quis enutrivit? ego destituta et sola, et isti*

ubi erant? Haec dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginae nutrices tuae; vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum (Isai. XLIX, 5, 23).... Deinde in consequentibus adiungit Isaias et dicit: *Gaudete et laudate simul deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum, in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri* (Isai. LII, 9-10). Quis tam surdus, quis tam demens, quis tam mente caecus, ut his tam evidentibus testimoniis obloquatur? — Sed ad manifestiora veniamus. Certe sacratissimas nuptias in Scripturis novimus, sponsum et sponsam, Christum et Ecclesiam. Utrumque describit Isaias, ne forte in eorum aliquo erremus, quod cui acciderit utrumque amittit. Quia de hoc coniugio in sacramento dictum est, sicut testatur Apostolus: *Erunt duo in carne una.* Sic ergo prior ipse describitur: Post multa quae de illo ita dicit Isaias, ut et ipsi obmutescant Iudaei, ne longum sit omnia memorare, hoc paululum advertite: *Et iniquitates,* inquit, *eorum ipse portabit, ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* (Isai. LIII, 11-12). Haec de Domino nostro Iesu Christo tanto ante praedicta et prophetata fatemini. Hic ergo sponsus utquid traditus est ad mortem, utquid inter iniquos deputatus est tanta humilitate celsitudinis suae? Quid egit, quid acquisivit?... Quid est, haeretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea Dominus Iesus Christus traditus est ad mortem, ut haereditate multos possideret? Et qui sunt hi multi, vel quam late occupant terram, quae sequuntur audiamus. — Praenuntiato sponso et expresso, procedat et sponsa in verbis Isaiae; legamus eam in veritate paginarum sanctarum, et agnoscamus in orbe terrarum: *Lauda, sterilis quae non paris, decanta laudem et hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet virum* (Isai. LIV-1). Hoc testimonium de sancta Ecclesia praedictum, etiam Paulus apostolus posuit, Galat. IV-27.... Ubi est, inquam, quod de paucitate gloriamini? Nonne isti sunt multi, de quibus paulo

ante dictum est: *Ideo dispertiam ei plurimos?* Nam quae est haereditas eius, nisi Ecclesia eius? *Multi,* inquit, *filii desertae, magis quam eius quae habet virum,* Synagogam scilicet Iudaeorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat legem. Hinc iam potest diiudicari quod dicimus,... in Ecclesia catholica toto orbe diffusa istam prophetiam esse completam. Sed cui habenti virum haec deserta praelata fuerit in multitudine filiorum, sit obscurum, sit in aenigmate; hanc tamen esse Ecclesiam Christi, de qua dictum est, *multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum,* quisquis contradicit, non mihi, sed Apostolo contradicit. — Unde autem multos filios esset habitura, consequenter adiungit, et ait: *Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit, et civitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confunderis neque erubesces; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiae tuae oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te. Dominus exercituum nomen eius, et Redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terrae vocabitur* (Isai. LIV, 2-5). Ecce quousque iussa est extendere funiculos, donec Deus eius Deus universae terrae vocetur.... Quid dici manifestius adhuc exigendum est? Ecce ex uno propheta quam multa, quam clara!... Iamvero si de omnibus prophetis Ecclesiae praesignatae testimonia colligere in hanc epistolam velim, vereor ne ipse videar iudicare pauca esse quae tam multa sunt, ut ex isto solo Isaia si omnia congregare vellem, modum debiti sermonis excederem ».

Tertio sequuntur auctoritates ex Psalmis: « Iam ergo pauca de Psalmis audiamus, tanto ante cantata. Et prius illud ipsum quod Petilianus in epistola sua quo ore posuerit nescio, audiant et iudicent. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (Psalm. II, 7-8). Quis enim christianus unquam dubitavit hoc de Christo esse praedictum, aut hanc haereditatem aliud quam Ecclesiam intellexit? — Quis tam devius est a divinis eloquiis, qui non ipsum Evangelium recognoscat, cum cantatur ille Psalmus ubi scriptum est: *Foderunt manus meas et pedes meos dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta*

mea et super vestem meam miserunt sortem (Psalm. XXI, 1719)? Quando etiam cum hoc factum Evangelista narraret (Matth. XXVII-30, et Ioan. XIX-24), huius testimonii memor fuit. Quid autem huius crucis pretio, quid tantae celsitudinis tanta humilitate, quid illo innocentissimo et divino sanguine comparatum est, nisi quod illic in consequentibus dicitur: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium?* — Nonne Apostolus de praedicatoribus N. T. dictum exposuit quod scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (Psalm. XVIII-5, Rom. X-28)? De quo alio nisi de Christo intelligitur: *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum; ex Sion species decoris eius* (Psalm. XLIX, 1-2)? Cuius nisi Christi vox est: *Dormivi conturbatus?* Et unde conturbatus, sequitur et dicit: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus:* quorum, nisi eorum qui clamaverunt, crucifige, crucifige? Utquid hoc totum? Cui bono, cui lucro? Audi quid sequatur: *Exaltare super coelos, Deus, et in omnem terram gloria tua* (Psalm. LVI, 5-6). Ecce habes Christum in passione dormivisse, et resurrectione super coelos ascendisse. Et unde gloria eius super omnem terram, nisi quia Ecclesia eius per omnem terram? — Psalmus septuagesimus primus *in Salomonem* titulatur; sed quia ita dicta sunt quae in illum regem temporalem et postea graviter peccantem convenire non possunt, etiam contra ipsos Iudaeos de Christo esse praedicta invictissime defenduntur. Nullus autem hoc christianus negat; talia enim dicta sunt, de quibus dubitari non possit quod ad Christum pertineant. Ibi etiam dicuntur haec, ubi agnoscatur Ecclesia toto orbe diffusa: *Et dominabitur,* inquit, *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* A flumine utique, ubi eum Spiritus Sanctus in columbae specie, et vox de coelo manifestavit. Deinde sequitur: *Coram illo procident Aethiopes, et inimici eius terram lingent. Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.* Et paulo post: *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, et reple-*

bitur maiestate eius omnis terra. Fiat, fiat. Ite nunc, Donatistae, et clamate: Non fiat, non fiat. Vicit vos Dei verbum dicens: *Fiat, fiat.* Ecce manifestata est in Psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit gloria regis eius. Unde et ipsa regina est sponsa eius, de qua ei dicitur in quadragesimo quarto Psalmo: *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et ad eam ipsam exhortandam continuo divinus sermo dirigitur: *Audi, filia, et vide.... Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* — Quid ad haec dicturi sunt, quae commemoravi ex Lege, et Prophetis, et Psalmis, de Christi Ecclesia quae toto orbe diffunditur? ».

Quarto venit ipsius Christi in Evangelio testificatio. « Verumtamen audiamus ipsius Verbi vocem ore propriae carnis expressam. Certe cum post resurrectionem praeberet se etiam contrectandum atque palpandum manibus dubitantium discipulorum, et cum accepisset coram illis et manducasset quod ei porrexerant, dixit eis: *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma* (Luc. XXIV, 44-47). Quid hac voce manifestius?... Dicant ea testimonia quae posui de Lege, et Prophetis, et Psalmis, obscura esse, et figurate dicta etiam aliter posse intelligi, quanquam et in eis egerim quantum potui, ut nec hoc audeant dicere: sed ecce dicant. Numquid et hoc obscure dictum, aut aenigmatis velamento inumbratum est, quod ipse Christus dixit: *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma?* Si obscurum est, *dormivi conturbatus,* numquid obscurum est, *quia oportebat Christum pati?* Si obscurum est, *exaltare super coelos, Deus,* numquid obscurum est, *et resurgere tertia die?* Si obscurum est, *super omnem terram gloria tua,* numquid obscurum est, *et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes?* Si obscurum est, *ex Sion species decoris eius,*

numquid obscurum est, *incipientibus ab Ierosolyma?* Ipsa est enim Sion quae Ierusalem.... Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde coeptura et quousque perventura esset: coeptura scilicet ab Ierusalem, et perventura in omnes gentes ».

Sed in Actibus Apostolorum, « eadem manifestatione verborum dominicorum futura per orbem terrarum praenuntiatur Ecclesia; ubi nullus omnino dubitare permittatur, illam esse Ierusalem visibilem civitatem, unde coepit Ecclesia post Domini Iesu Christi resurrectionem et ascensionem, nec aliud eum voluisse ostendere, nisi huius terrae loca unde illi daret initium, et quomodo eam per cuncta inde diffunderet. Sic enim scriptum est in Actibus Apostolorum: *Et convescens praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum..... Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Ecce et hic manifestatum est unde coeptura, et quousque perventura esset Ecclesia. Nos hanc Ecclesiam tenemus, contra istas divinas voces nullas humanas criminationes admittimus. Movet enim nos plurimum, quod Dominus noster novissimis suis verbis quae habuit in terra, haec primitivae Ecclesiae documenta salubria et novissima dereliquit. His enim dictis mox ascendit in coelum; praemunire voluit aures nostras adversus eos quos procedentibus temporibus exsurrecturos esse praedixerat, et dicturos: *Ecce hic est Christus, ecce illic.* Quibus ne crederemus admonuit. Nec ulla nobis excusatio est, si crediderimus contra vocem Pastoris tam claram, tam apertam, tam manifestam, ut nemo, vel obtusus et tardus corde possit dicere: non intellexi ».

Ultimo tandem loco sit historia Actuum, respondens ei quod per ordinem Dominus dixerat: *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Ibi enim narratur quomodo coepta sit Ecclesia ab Ierusalem (Act. II), inde itura per omnes linguas, prout in eis praesignatum est, qui ibidem constituti, accepto Spiritu Sancto linguis omnibus sunt locuti. Tum (Act. VIII) ostenditur quemadmodum et per Iudaeae et Samariae civitates praedicatum sit Evangelium. « Restabat ergo ut praedicaretur ex ordine etiam per

omnes gentes..... Quod antequam fieret, Petrus vidit in assumptione mentis, cum oraret, coelum apertum, et quatuor initiis ligatum vas quoddam tanquam linteum limpidum, in quo erat omne genus quadrupedum ac ferarum et volucrum coeli. Et facta est vox: *Surge, Petre, occide et manduca.* Ait autem Petrus: *Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum.* Et vox rursus ad eum: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Quod autem per hoc visum gentes creditурae significatae sint, non opus est ut coniiciamus: ipse quippe apostolus hoc exponit in illo vase sibi demonstratum. Cum enim ingressus esset domum ubi erat Cornelius, et multi convenissent, dixit ad eos: *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem.* Ita exposuit illam vocem quam de animalibus in illo linteo demonstrari audierat: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Iam cui non appareat illo vase significatum orbem terrarum cum omnibus gentibus? Unde etiam quatuor initiis erat obligatum, propter notissimas quatuor partes, Orientem et Occidentem, Austrum et Aquilonem, quas saepissime Scriptura commendat. Iamvero Paulus missus ad gentes, quae loca circumierit disseminans verbum Dei, et natas confirmans ecclesias, longum est commemorare. Cui Iudaei cum restitissent Antiochiae, ipse et Barnabas dixerunt ad eos: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae...* Ecce et hic commemoratum est testimonium ex Propheta Isaia quod et nos posuimus, ut sit salus usque in extremum terrae ».

Sic igitur in Scripturis Ecclesia manifeste cognoscitur, incipiens ab Ierusalem, et per alias gentes crescens, donec omnes occupet, usque in finem saeculi, iuxta illud Matth. XXIV-14: *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.*

§ 2.

Haec nunc per summa capita in compendium redigenda. Et primo quidem ex citatis auctoritatibus id certissime constat: omnes gentes fuisse promissas Ecclesiae (1), necnon et diffusionem per omnia loca usque ad ultimum orbis (2).

At secundo, statim occurrit quaestio, quomodo intelligenda promissio: an forte hoc modo, ut ab ipsis initiis, puta ante mortem apostolorum, omnino impleta cerneretur. Non enim defuerunt apud antiquos qui ita sentirent, innixi testimonio Pauli, Rom. X-18: *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Sed hos ex ipsis factis, non obstante imperfectissimo statu scientiae geographicae, suo iam tempore facile refutabat Augustinus, asserens esse in remotissimis Africae partibus gentes innumeras quibus nondum fuerat praedicatum Evangelium (3). Aliunde vero, abstrahendo a quibuslibet argumentis facti, sufficiebat vel sola asseveratio Christi qui expresse praedixerat, tunc venturam esse saeculi consummationem, cum primum perfectum fuisset in toto orbe evangelizationis opus. Necessario igitur agnoscendum

(1) Nota bene, omnes gentes promissas, non omnes homines omnium gentium. « In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, « oportet ut sit, non ut omnes qui ibi fuerint credant; omnes enim « gentes promissae sunt, non omnes homines omnium gentium... Quo« modo enim et illud implebitur: *Eritis odio omnibus gentibus propter « nomen meum,* nisi in omnibus gentibus sint et qui oderint, et quos « oderint? » Augustinus, epist. 199, n. 48.

(2) Promissio omnium gentium connectitur cum promissione diffusionis per omnia loca. « Quomodo implebitur aliter illa prophetia: « *Omnes gentes quotcumque fecisti venient et adorabunt coram te, Do*« *mine?* Non enim de locis suis migrando venient, sed in locis suis « credendo ». Augustinus, ubi supra, n. 47.

(3) « Quod putat Venerabilitas tua, iam hoc per ipsos apostolos « factum, non ita esse certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, « hoc est, in Africa, barbarae innumerabiles gentes, in quibus non« dum esse praedicatum Evangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi, « et Romanorum servitiis iam miscentur, quotidie nobis addiscere in « promptu est ». Augustinus, l. c. n. 46.

erat successivum quoddam incrementum per decursum saeculorum, quo fieret iuxta Isaiae oraculum, ut locus tentorii Ecclesiae semper magis magisque dilataretur, et Ecclesia ipsa gentes haereditaret, sensim sine sensu penetrando ad laevam et ad dexteram, donec per universam terram refulsisset gloria Sancti Israel Redemptoris eius (1).

Attamen tertio. nemini dubium erit quin et ad ipsos personaliter apostolos aliquo sensu dictum sit: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terrae.* Nam alias, quomodo diceret Paulus Coloss. I-6: *Propter spem quam audistis in verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit?* Quomodo exhortaretur eos ad permanendum in fide ipsiusmet evangelii, *quod praedicatum est in universa creatura quae sub caelo est, cuius factus sum ego Paulus minister?* (Coloss. I-23). Quomodo testaretur Romanorum fidem annuntiari *in universo mundo?* (Rom. I-8). Utquid etiam recepissent apostoli donum linguarum, si Ecclesia per ipsosmet in multitudine gentium non fuisset plantanda atque propaganda? Relinquitur ergo ut *universus mundus, totus orbis, ultimum terrae,* et si quae aliae sunt locutiones eiusmodi, duplici sensu accipiantur: sensu nimirum absoluto, et sensu relativo. Sensu absoluto signant totam omnino latitudinem orbis. Sensu vero relativo, eas solum comprehendunt regiones atque provincias quae secundum media communicationis pro tempore exsistentia, sunt in relatione cum illo centro ac veluti umbilico terrae, ubi incepit et unde propagata est evangelii praedicatio. Quamobrem sensu quidem absoluto, nonnisi in consummatione saeculi cum veritate dicetur Ecclesia pervenisse ad omnes gentes, et occupasse omnem terram. Sed sensu relativo, ab ipso iam aevo apostolico debuit ubique diffundi, et de omnibus gentibus colligi.

(1) « Non itaque sic dictum est apostolis: *Eritis mihi testes in Ie-*
« *rusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae,*
« tanquam ipsi soli quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint im-
« pleturi. Sed sicut eis solis videtur dixisse quod dixit: *Ecce ego vo-*
« *biscum sum usque in consummationem saeculi*; quod tamen eum uni-
« versae Ecclesiae promisisse, quae aliis morientibus, aliis nascentibus,
« hic usque in saeculi consummationem futura est, quis non intelligat? ».
Augustinus, l. c. n. 49.

Hinc quarto, elapso semel brevi illo temporis intervallo in quo oportuit ex praecepto Christi ut intra Iudaeae et Samariae fines contineretur disseminatio verbi, inseparabile character verae Ecclesiae Christi fuit catholicitas facti, consistens in simultanea et constanti eius diffusione per totum orbem cognitum, populosque in eo habitantes: quatenus scilicet ex tunc ac deinceps, ecclesia adunationis gentium iam diceretur et esset, quae supra omnem particularitatis contractionem maxime eminens, filios haberet *ab aquilone et mari et terra australi* congregatos, numerosissimaeque sobolis gloria semper illustris exsisteret, prae antiqua illa Synagoga ad unam solam gentem determinata, quantumvis carnali fecunditate praepollentem (1). Insuper, cum hac constanti diffusione (quae in certis quibusdam partibus multum imminui aliquando poterit propter haereses et schismata tam expresse in sacris litteris praenuntiata), coniungere necesse est continuum motum incrementi usque ad occupationem omnium omnino partium terrae, donec veniat temporum consummatio.

Ex his igitur demonstratae manent duae conditiones catholicitatis in thesi propositae, et solum superest quaedam circa utramque facienda observatio.

(1) Hic abstrahendum censeo a singulari opinione Bellarmini dicentis l. 4 de Eccles. c. 7, non requiri diffusionem simultaneam, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse oporteat aliquos fideles, sed satis esse si fiat successive. *Ex quo id sequitur,* inquit, *quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam et eamdem cum illa quae fuit aliquo tempore, vel diversis, in toto mundo: quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis quae faciunt unam Ecclesiam catholicam.* Ab his, inquam, abstrahendum censeo, quia si eiusmodi opinionis qualecumque fundamentum foret, nihil aliud sane nisi id quod legitur de fine mundi et de persecutione antichristi (Luc. XVIII, 8; Matth. XXIV, 21-29; 2 Thess. II, etc.). Porro, transmissa etiam interpretatione quam Bellarminus secutus esse videtur, adhuc integra remaneret conclusio, quia adhuc verum esset simultaneam catholicitatem esse ex voluntate et promissione Dei dotem necessariam Ecclesiae, saltem de lege ordinaria, cui nihil officeret exceptio praenuntiata pro certo quodam tempore determinato. In moralibus enim unumquodque denominatur simpliciter ex iis quae ordinarie ipsum afficiunt vel debent afficere.

Circa primam ergo notabis, non sufficere ingentem numerum fidelium nude consideratum, quia si ingens ille numerus coarctaretur ad unam mundi partem, et ad unam hominum progeniem, ne inchoata quidem haberetur catholicitas. Ne inchoatam quidem dico, sive spectetur ratio universalitatis quam importat ipsum catholicitatis nomen, sive etiam spectetur ratio miraculi quae in hac nota continetur. Numquid enim numerus materialiter sumptus divinum quid prae se fert? Certe Ecclesia Catholica videtur superare quantum ad numerum suorum fidelium omnem aliam religionem in mundo existentem; sed simpliciter considerando numerum, neque ex numeri praeponderantia ostenditur divina, neque ex numeri inferioritate ostenderetur non divina. Praeterea, si de solo numero ageretur, cum Bouddhismus de propinquo accedat quantum ad multitudinem, accederet etiam quantum ad credibilitatem, quod absit. Quamobrem signanter dictum est, catholicitatem simultaneam reponi *in ingenti numero de multitudine gentium*. Quippe, dum ingens numerus colligitur ex hominibus eiusdem stirpis seu indolis naturalis, debeturque potissimum carnali fecunditati gentis, nihil profecto mirum, nihil divinum in eo invenire est. At contra, si sit numerus hominum ad diversissimas cognationes terrae pertinentium, quas constat non posse ex ulla causa mundana in unius ovilis communione contineri, tunc emicat splendidum illud signum quod figurate expresserat Isaias, cum de regno Messianico vaticinans aiebat: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos* [1]. Et circa primam catholicitatis conditionem haec notanda erant.

Nunc autem quoad illam aliam quae consistit in motu dilatationis per universas terras usque in saeculi finem, observandum est qualiter descripta inveniatur apud eumdem Isaiam, loco superius citato. *Lauda, sterilis quae non paris..., quoniam multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum. Dilata locum tentorii tui... Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit..., et Redemptor tuus Sanctus Israel Deus omnis terrae vocabitur*. Ubi primo significatur propagatio qua Ecclesia novos semper acquirat filios, non quidem via naturalis generationis pro qua institutum noscitur matrimonii sacramen-

[1] Isai. XI, 6.

tum, sed via acquisitionis eorum qui foris erant, id est, conversionis infidelium. Significatur deinde propagatio continua ex quadam vitali vi expansionis, et ex fecunditate minime obnoxia infirmitati senectutis, minimeque dependente ab accidentalibus temporum seu locorum circumstantiis. Significatur demum propagatio ad quam nulla media humana sufficiant, et quae nonnisi ubertate divinae benedictionis explicari possit, ita ut fecunditas ipsa proportionaliter se habeat in ordine morali sicut in ordine physico fecunditas virginalis, collata scilicet *non habenti virum*. Proinde nihil haec commune habet cum propagatione protestantismi inter catholicos, ad quam sufficiebant omnino causae naturales. Protestantismus enim totus est in laxatione principiorum quibus apud nos licentia refrenatur, et huiusmodi ablatio negationem importat potius quam effectum positivum. Hinc etiam obiter notare est quod si ex propagatione protestantismi sumere vellet adversarius qualecumque argumentum, oporteret eum ostendere infideles quos protestantismus christianos fecit, non catholicos quos ad suas partes traduxit.

Hactenus de nota catholicitatis quasi in abstracto. Cuinam autem communioni haec nota conveniat, et quotuplici modo sit positivum verae Ecclesiae signum, nunc addendum est.

THESIS VII.

Ecclesia Romanae communionis habet sola omnes catholicitatis conditiones, et splendore huius notae, independenter etiam a positiva auctoritate Scripturarum, in summo orbis theatro tanquam a Deo fundata palam innotescit.

§ 1.

In primis, si sermo sit de simultanea et constante per orbem diffusione (sensu supra declarato), statim apparet eam fuisse propriam Romanae communioni a primis initiis, cum inde haec communio traxerit ipsum *catholicae* nomen quo tanquam nomine distinctivo semper fuit ornata, et usque nunc ab omnibus communiter appellatur, aut certe cum appellatur, sine ambiguitate agnoscitur. Quis enim *catholicam Ecclesiam* vel legens vel audiens, illico non intelligat Ecclesiam nostram? aut quis se ubi-

libet catholicum declarans, ampliori indigeret explicatione, quasi adhuc aequivoca esset professio religionis? Quippe, usque in hodiernum diem verissimum invenitur id quod de Romana communione scribebat Augustinus: « In catholica Ecclesia... multa « sunt quae me iustissime teneant... Tenet ab ipsa sede Petri « Apostoli, usque ad praesentem episcopatum successio sacer- « dotum. Tenet ipsum *catholicae* nomen, quod non sine causa « inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut « cum haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen pere- « grino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haeretico- « rum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere » (1). Et rursus: « Velint nolint, ipsi quoque haeretici et schismatum « alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, « Catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim pos- « sunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo « orbe nuncupatur » (2). Atqui factum eiusmodi ex sese iam plane sufficeret ad demonstrationem nostram, quia nequaquam falsa esse possunt nomina illa quae in toto mundo pacifica possessione retinentur. Nihil equidem facilius quam ut quispiam propria auctoritate ementitum sibi nomen attribuat, sed nihil difficilius, imo nihil magis impossibile, quam ut pro rapina sua consecrationem communis usus obtineat. Sane vero, Ecclesia Russiae seipsam *Orthodoxam* appellat, sed a se sola sic nominatur (3). Alii

(1) Augustinus, contra epistolam fundamenti, c. 4.

(2) Id. de Vera Religione, c. 12.

(3) « On sait que ces Eglises se nomment elles-mêmes *orthodoxes*, « et c'est par la Russie que cette épithète ambitieuse se fera lire en « français dans l'Occident; car jusqu'à nos jours on s'est peu occupé « parmi nous de ces Eglises *orthodoxes*, toute notre polémique reli- « gieuse ne s'étant dirigée que contre les Protestants... Alors pour la « première fois nous entendrons parler dans nos langues de *l'Eglise « orthodoxe?* On demandera de tout côté : *Qu'est-ce que l'Eglise ortho- « doxe?* Et chaque chrétien de l'Occident, en disant : *C'est la mienne « apparemment*, se permettra de tourner en ridicule l'erreur qui s'adresse « à elle-même un compliment qu'elle prend pour un nom. Chacun « étant libre de se donner le nom qui lui convient..., le grand point « est de forcer les autres à nous donner tel ou tel nom; ce qui n'est « pas tout-à-fait aussi aisé que de nous en parer de notre propre au- « torité; et cependant il n'y a de vrai nom que le nom reconnu ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, c. 5.

sese dixerunt *Evangelicos, Reformatos, Apostolicos*, et si quid aliud eiusmodi, sed totus mundus eos nihil aliud quam *Protestantes* vocat (1). Ecclesia autem nostra et seipsam dicit *Catholicam*, et ab universo orbe eodem nomine quasi proprio semper fuit nuncupata. Ergo hoc nomen non est usurpationis, sed veritatis; ergo Romana communio, eaque sola, habet et habuit ab initio conspicuum catholicitatis characterem et notam (2).

Sed, ut ad specialia veniamus, nemini certe dubium erit quin de communione Romana, id est de communione illa in qua *ad Romanam sedem propter potentiorem principalitatem necesse est*

(1) « Règle générale. Toutes les sectes ont deux noms : l'un qu'elles se donnent, et l'autre qu'on leur donne. Ainsi les Eglises phothiennes qui s'appellent elles-mêmes *orthodoxes*, sont nommées hors de chez elles, *schismatiques*, *grecques*, ou *orientales*, mots synonymes sans qu'on s'en doute. Les premiers Réformateurs s'intitulèrent non moins courageusemeut *évangéliques*, et les seconds *réformés;* mais tout ce qui n'est pas eux les nomme *Luthériens* et *Calvinistes*. Les anglicans essaient de s'appeler *apostoliques;* mais toute l'Europe en rira, et même une partie de l'Angleterre. Le rascolnic russe se donne le nom de *vieux croyant*, mais pour tout homme qui n'est pas rascolnic, il est *rascolnic*. **Le catholique seul est appelé comme il s'appelle, et n'a qu'un nom pour les hommes.** Celui qui n'accorderait aucune valeur à cette observation, aurait peu médité le premier chapitre de la métraphysique première, celui des noms ». J. de Maistre, ubi supra.

(2) « C'est une chose bien remarquable que tout chrétien étant obligé de confesser dans le symbole *qu'il croit à l'Eglise catholique*, néanmoins aucune Eglise dissidente n'a jamais osé se parer de ce titre, et se nommer *catholique*, quoiqu'il n'y eût rien de si aisé que de dire : *C'est nous qui sommes catholiques*, et que la vérité d'ailleurs tienne évidemment à cette qualité de *catholique*. Mais dans cette occasion comme dans mille autres, tous les calculs de l'ambition et de la politique cédaient à l'invincible conscience. Aucun novateur n'osa jamais usurper le nom de l'Eglise, soit qu'aucun d'eux n'ait réfléchi qu'il se condamnait en changeant de nom, soit que tous aient senti, quoique d'une manière obscure, l'absolue impossibilité d'une telle usurpation. Semblable à ce livre unique dont elle est la seule dépositaire et la seule interprète légitime, l'Eglise catholique est revêtue d'un caractère si grand, si frappant, si parfaitement inimitable, que personne ne songera jamais à lui disputer son nom, contre la conscience de l'univers ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, c. 5.

convenire eos qui sunt undique fideles (1), loqueretur Irenaeus, cum saeculo secundo exeunte testabatur *Ecclesiam per universum orbem usque ad fines terrae seminatam* (2). Quod idem postea de suo tempore referebat Cyprianus, l. de unit. Eccles. Idem postea Athanasius, l. de humanitate Verbi. Idem postea Chrysostomus et Hieronymus in cap. 24 Matth. Idem Augustinus, epist. 199 ad Hesychium; idem Leo Magnus in Serm. 1 de SS. Petro et Paulo, ac S. Prosper qui in l. de ingratis ita cecinit: *Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet.* Et haec fortasse ultro fatebuntur adversarii. At nos, prosequitur Bellarminus (3), idem ostendemus de posterioribus saeculis. Tempore S. Gregorii Ecclesiam nostram fuisse in toto orbe terrarum, id est in omnibus provinciis tunc cognitis, planum est ex epistolis ipsius Gregorii ad episcopos Orientis, Africae, Hispaniae, Galliae, Angliae, Siciliae, etc. Item ex Beda in c. 6 Canticorum. Quin et dum maxime invalescebat protestantismi propagatio, Ecclesia Romana praeter Italiam et Hispaniam et Galliam fere totam, praeter Germaniam, Angliam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Graeciam, Syriam, Aethiopiam, Aegyptum, in quibus plurimi inveniebantur catholici, in ipso novo orbe habebat ecclesias sine admixtione haereticorum in omnibus quatuor partibus mundi: ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Iaponia, ad Meridiem in Brasilia et exteriore parte Africae. Nostris vero diebus, ante annos circiter quadraginta praegrande signum catholicitatis Romanae communionis monstratum est in Concilio Vaticano, in quo sederunt simul plus quam mille episcopi ex omnibus omnino mundi plagis coadunati. Caeterum operam plane perderet qui pluribus declarare vellet id quod luce meridiana clarius est, et factis constat summae notorietatis: qualiter scilicet haec ipsa Romana communio hodiedum comprehendat linguarum universalitatem; qualiter in se compacta atque individua manens, suos habeat fideles in omnibus hominum cognationibus et terrae regionibus; qualiter demum numerositate sua superet quamlibet aliam sectam in mundo existentem, imo vero, omnes alias fractio-

(1) Irenaeus, l. 3 c. haeres., c. 3.
(2) Id. l. 1, c. 10.
(3) Bellarminus, de notis Ecclesiae, c. 1.

nes christiano nomine gloriantes, etiam coniunctim seu collective sumptas. De catholicitate igitur simultanea non est ullus dubitandi locus.

Nunc autem de perenni fecunditate et successivis incrementis inde ab initio, quid dicam? Mitto ipsa Ecclesiae exordia usque ad invasionem Barbarorum, quia de his nulla esset cum adversariis specialis controversia. Sed incipiendo a saeculo VI, tres periodi distingui possunt, quarum prima extenditur usque ad tempora Reformationis, altera usque ad finem saeculi proxime elapsi, tertia est quae nunc currit.

Porro, quod ad primam attinet, ostendit Bellarminus vel ex solis Centuriatorum Magdeburgensium confessionibus, omnes omnino gentium infidelium conversiones tunc factas, Romanae communioni esse exclusive adscribendas. « A tempore S. Gre« gorii usque ad nostra tempora conversos multos a nostris, « probari potest testimonio adversariorum. Nam quod sexto « saeculo iussu B. Gregorii Anglos paganos, non haeretici qui « tunc etiam non deerant, sed monachi Pontificii ad fidem Christi « converterint, testantur Centuriatores, Cent. 6, cap. 2. Deinde « tempore Cononis Papae, S. Kilianus a Papa missus convertit « Francones, ut dicunt ipsimet Centuriatores, Cent. 7, cap. 2. « Deinde tempore Gregorii II et Gregorii III ac Zachariae Pon« tificum, conversa est magna pars Germaniae ad fidem, non per « haereticos iconomachos quibus tunc mundus abundabat, sed « per S. Bonifacium episcopum et martyrem quem Papa Gre« gorius II miserat, ut fatentur Centuriatores, Cent. 8, cap. 2... « Deinde, Cent. 9, cap. 2, fatentur monachos Corbeienses con« vertisse Wandalos ; et infra fatentur Bulgaros, Slavos, Polonos, « Danos, Moravos eo saeculo conversos, subiectos fuisse Ro« manis Pontificibus, ex quo apparet a Papistis fuisse conversos. « Item, Cent. 10, cap. 2, plures reges et populos ad fidem con« versos docent opera Henrici I Imperatoris, et Adalberti Bohe« morum ac Methodii Moravorum archipraesulum, quos omnes « Papistas fuisse negare non possunt, cum constet eos Pontifi« cibus Romanis subiectos fuisse. Denique, Cent. 11, cap. 2, « docent Hungaros magna ex parte hoc saeculo conversos, et « episcopos illi genti datos, a Romano Pontifice confirmatos « fuisse, petente hanc eorum confirmationem S. Stephano Hun« garorum rege nuper converso. Post illa tempora non defuerunt

« etiam in Ecclesia catholica similes conversiones, siquidem « Adrianus IV ante suum pontificatum ab Eugenio Papa missus, « Norvegiam ad fidem convertit, ut Platina aliique testantur, et « ni fallor, ipsi etiam Centuriatores in centuria 12, quam una « cum 13 editam audio, sed nondum vidi. Ab uno S. Vincentio « Ordinis Praedicatorum constat esse conversos ad fidem viginti « quinque millia, partim Iudaeorum, partim Saracenorum, ut « scribit S. Antoninus qui floruit eadem aetate » (1). Hucusque Bellarminus, sed non satis. Qualiter enim a saeculo XVI, post inventum novum orbem, Ecclesia Romana maxime dilataverit locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum suorum late extenderit, videndum est in vitis celebriorum missionariorum, S. Francisci Xaverii, Iosephi Anchieta, Roberti De Nobilis, Antonii Ricci, Isaaci Jogue, Ioannis de Brébeuf, etc. Confer etiam historiam heroicae Ecclesiae Iaponensis, auctore Charlevoix. Adde testimonia infensissimorum religionis catholicae inimicorum, qui vel inviti missiones nostrorum in Paraquaria, Brasilia, et Nova Francia, summis laudibus extulerunt. De coaevis demum incrementis conferri potest egregia demonstratio Cardinalis Wiseman (2), in qua ex relationibus potissimum ipsorummet missionariorum protestantium, perspicue ostenditur missiones catholicas in Indiis, in Sinis, in Oceania, in America Septentrionali, esse in continuo progressu, seseque in dies expandere; conversiones etiam istorum gentilium non esse fictas, sed solidas, quamvis catholici missionarii mediis humanis vix ac ne vix quidem instruantur, imo lege quadam ordinaria, cum suis neophytis sint persecutionibus omnis generis obnoxii. — Et de communione quidem Romana, hactenus.

Ex adverso communiones separatas considera. Puto non esse immorandum circa communiones Orientis quae ita evidenter carent diffusione per multitudinem gentium, ut nihil vel apparenter occurrat, quo pallietur particularitas seu limitatio ad unam tantum mundi partem. Omnes etiam et singulae a tempore separationis suae; ita steriles inveniuntur in opere con-

(1) Bellarminus, de notis Ecclesiae, c. 12.

(2) Apud Migne, Démonstrations évangéliques, Tom. 15, Conf. VII: *Sur les succès obtenus par la règle de foi catholique dans la conversion des païens.*

versionis infidelium, ut omnimodam exhibeant similitudinem cum sarmentis praecisis quae ubi cadunt, cum praeciduntur, ibi manent, dum interim Ecclesia vera tanquam vitis viva, suos palmites ubique extendit (1).

Quocirca, si qua forte verosimilitudine extra Romanam communionem inveniretur catholicitas, de solo Protestantismo posset institui quaestio. Atqui a Protestantismo catholicitas evidentissime abest.

Primo quia catholicitas non solum universalitatem locorum respicit, sed etiam universalitatem temporum inde ab ascensione Christi et descensu Spiritus Sancti, et statim mentem subit importuna interrogatio: ubinam terrarum Protestantismus fuerit per quatuordecim saecula usque ad Lutherum. — Secundo quia praesuppositum catholicitatis est communionis unitas, ut dictum est ab initio. Protestantismus autem non dicit communionem unam, sed sectarum multitudinem quae inter se solis negationibus colligantur, et non conveniunt nisi in protestatione contra Ecclesiam a qua tempore Reformationis sese separaverunt (2). — Tertio quia etiamsi Protestantismus sumatur in complexu secundum negativam illam unitatem quae ei propria est, adhuc caruit omni specie diffusionis extra Septentrionales Europae partes, usque ad medium saeculi XVIII. « Haereses Luthera-« norum, aiebat Bellarminus, nunquam transierunt mare, nec « Asiam aut Africam, Aegyptum aut Graeciam viderunt ». Et hoc idem post Bellarminum per longam annorum seriem, ad

(1) « Le premier symptôme de la nullité qui frappe ces Eglises, « c'est celui de perdre subitement et à la fois le pouvoir et le vouloir « de convertir les hommes et d'avancer l'œuvre divine. Elles ne font « plus de conquêtes, et même elles affectent de les dédaigner. Elles « sont stériles, et rien n'est plus juste: elles ont rejeté l'*époux* ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, c. 5.

(2) Haec negativa Protestantismi essentia ipso nomine significatur. « Si le protestantisme porte toujours le même nom, quoique sa foi ait « immensément varié, c'est que son nom étant purement négatif et ne « signifiant qu'une renonciation au catholicisme, moins il croira et plus « il protestera, plus il sera lui-même. Son nom devenant donc tous les « jours plus vrai, il doit subsister jusqu'au moment où il périra, comme « l'ulcère périt avec le dernier atôme de chair vivante qu'il a dévoré ». J. de Maistre, du Pape, l. 4, c. 5.

litteram verum mansit. — Quarto quia ab eo tempore quo Protestantes, praesertim Anglicani, perculsi gloriosis catholicorum successibus, coeperunt de missionibus apud infideles cogitare (1), nihil positivi ab eis obtentum esse, iam nunc pro comperto haberi debet. Extat hac de re demonstratio praelaudati Cardinalis Wiseman in collatione cui titulus : *De successibus regulae fidei protestanticae in conversione paganorum* (2), ubi perpendit clarissimus auctor media ad opus adhibita, ingentem numerum ministrorum ingentesque expensas, subsidia externa quibus missiones abundant, conditionem regionum in quibus ut plurimum commorantur missionarii, quaeque Britannico subsunt imperio, aut certe protectoratui ; tum apparatum ephemeridum, scholarum gratuitarum, praemiorum oblatorum, etc. (3). E regione vero

(1) « Ce fut en 1701 que se forma en Angleterre la première so-« ciété des missions, autorisée par une charte royale ; c'est la *Société « pour la diffusion de la science chrétienne*. Vers le même temps la *So-« ciété pour la propagation de l'Evangile dans les pays étrangers* fut aussi « complètement organisée et mise en activité. Depuis cette époque « jusque vers la fin du siècle dernier, il n'a été rien fait qui mérite « d'être remarqué en institutions de ce genre. Ce fut en 1792 que la « *Société des missions anabaptistes*, devenue depuis si célèbre par le « grand nombre de versions de l'Ecriture en langues orientales pu-« bliées par elle à Sérampore son quartier général, fut primitivement « instituée et consolidée ; et en 1795 que se forma aussi la *Société des « missions de Londres*, qui appartient à la congrégation des indépen-« dants, suivie l'année d'après par la *Société écossaise des missions*. « En 1800, la *Société des missions de l'Eglise* se mit à l'œuvre ». Wiseman, Conférences sur les doctrines et les pratiques principales de l'Eglise catholique, 6ème Conf.

(2) Apud Migne, Démonstrations évangéliques, Tom. 15.

(3) « Je vais encore vous citer par voie de confirmation les remar-« ques du docteur Buchanan relativement à l'Inde, l'un des théâtres les « plus importants des travaux des missionnaires (anglicans) de nos jours. « *Aucune nation chrétienne*, selon lui, *ne posséda jamais un champ aussi « vaste pour la propagation de la foi, que celui qui nous est offert par « notre influence sur les cent millions d'indigènes qui peuplent l'Indoustan. « Jamais aucune autre nation n'a joui d'aussi grandes ressources..., que « celles que nous fournit l'autorité que nous exerçons sur un peuple passif « qui courbe la tête avec soumission sous le joug si léger de notre puis-« sance, révère nos principes, et regarde notre domination comme une bé-

ponit fructus secundum documenta authentica ad societates biblicas missa, et ex iismet ad hanc devenit conclusionem: In Indiis orientalibus vix paucos numerari qui vel a propriis contribulibus expulsi, vel commodioris vitae spe allecti, religionem protestanticam amplexi sunt; ipsos ministros animum despondere ob invictas et insuperabiles difficultates (1); relationes missionariorum fere semper reticere conversiones factas, et sese extendere in exaggeranda spe futuri, ita ut sterilitas ecclesiae (quae tamen habet virum, id est, omnibus mediis humanis abunde instruitur), non in una vel altera orbis parte, sed ubique terrarum lege quadam inexorabili in dies magis magisque elucescat. Citatur inter alia, exemplum insulariorum qui sponte sua, propter perspectam superioritatem christianorum petierant missionarios, a quibus instituti in peius prolapsi sunt, et ad excutiendum intolerabile iugum sese comparaverunt (2). Quin imo, si iis rumoribus credas qui undique percrebrescunt, et ipsa sua constantia atque universalitate omnimodam credibilitatem habere videntur, apparet protestantes missionarios nequaquam discriminari ab iis quos suo iam tempore notabat Tertullianus in libro de praescriptionibus adversus haereticos, c. 42: « De verbi autem admi« nistratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non ethnicos « convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, « si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur, « quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio « venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt ut sua « aedificent ». Quem haeresis characterem observabat quoque Au-

« *nédiction*. Ainsi les missionnaires ne vont pas, comme les apôtres, « porter la foi dans des contrées barbares et indomptées; ils ne se « jettent pas tout à coup au milieu de peuplades sauvages et féroces « comme des agneaux au milieu des loups, sans autre défense que leur « innocence et la confiance en Dieu, et prêchant un évangile entière« ment opposé à toutes les idées, les intérêts, et les coutumes de ceux « auxquels ils l'annoncent. Mais le plus ordinairement ils s'avancent « environnés de tous les genres possibles de protection, et de toutes « les ressources qui peuvent leur faciliter l'œuvre qu'ils ont entreprise ». Wiseman, ubi supra.

(1) Cf. Wiseman, l. c. pag. 840 et seq.

(2) Relation de neuf mois de résidence dans la Nouvelle-Zélande, par Aug. Toole, apud Wiseman, l. c.

gustinus, l. 13 c. Faustum, c. 12, comparando sectarum praedicatores perdicibus congregantibus pullos quos non pepererunt. Atque ita etiam ab initio se gessit Protestantismus, qui cum in variis Statibus maritimo potiretur imperio, hocque subsidio uti potuisset ad Christi fidem inter paganos disseminandam, eo uti maluit ad catholicas missiones evertendas (1). Sed nunc pro mutatione circumstantiarum, sparsis libris et temporalibus commodis propositis, nostra suffodit *ut sua aedificet,* aut verius, propriae sterilitati qualecumque tandem palliativum inveniat.

Omnibus ergo modis evidens est, catholicitatis notam propriam esse illius solius Ecclesiae quae ipsum catholicae nomen ut distinctivum semper retinuit, quaeque in omni veritate ostendit in se adimpleta verba antiquae prophetiae: « Leva in cir- « cuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, vene- « runt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut « ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa, quia « deserta tua et solitudines tuae nunc angusta erunt prae habi- « tatoribus. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuae: « angustus mihi locus, fac spatium ut inhabitem. Et dices in « corde tuo: Quis genuit mihi istos.... et isti ubi erant? Haec « dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et « ad populos signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et « filias tuas super humeros portabunt.... Et scies quia ego do- « minus, super quo non confundentur qui expectant eum ». — Sed nunc superest ut quotuplici titulo ipsa hactenus declarata catholicitas divinitatem Ecclesiae Romanae demonstret, videamus.

§ 2.

Prae primis, catholicitas proponitur in Scripturis ut nota. Ecclesiae omnino positiva, quae scilicet soli verae Ecclesiae competeret, et nulli falsae sectae foret unquam communis. Datur enim in omnibus vaticiniis V. T. auctoritate evangelii confirmatis, velut signum maxime distinctivum regni Messianici quod est Ecclesia Christi. Atqui signum distinctivum non est nisi nota propria, minimeque promiscua. Ergo inhaerendo si-

(1) Quod nimis felici successu praestiterunt Batavi, praesertim in Iaponia et Indiis orientalibus.

gnis a Deo praemonstratis, certo invenitur Ecclesia, ubi invenitur catholicitas.

Verum haec eadem catholicitas divinitatem Ecclesiae monstrat, vel ex sola etiam natura rei. Nam primo, religio positiva omnibus varietatibus humanae speciei attemperata, non hominem auctorem habuisse dicenda est, sed illum solum qui super omnia eminens, sapientissima dispositione legem dare potuit, quae universis gentibus et generationibus terrae conveniret. Et certe, quidquid humanum est, modum servat specialium conditionum medii in quo inventor homo suam exercuit activitatem; quidquid vero a tali contractione liberum est, hoc ipso divinum ostenditur (1).

(1) Argumentum eloquenter exponitur a Cardinali Wiseman, in fine collationis 7ae supra laudatae: « Tous les autres systèmes religieux « (praeter christianismum) ne pouvaient convenir qu'à un climat ou à « un peuple particulier. Ni l'art ni les talents n'auraient pu réussir à « faire embrasser au Huron sauvage la religion amphibie et abstème « du Gange, à lui faire employer la moitié de ses jours à de longues « et fréquentes ablutions dans ses lacs glacés, et placer dans ces pra- « tiques l'espérance de son salut... Les habitants mous et voluptueux « du Thibet n'auraient jamais transplanté dans leurs bocages parfumés « les sombres enchantements et les divinités sanguinaires des forêts de « la Scandinavie, ou pris plaisir à écouter les histoires de sang et de « gloire qui enflammaient le courage du roi de la mer au sein des tem- « pêtes du nord. Et celui-ci n'eût jamais consenti à s'instruire des re- « ligions de l'Orient, avec leurs brillantes pagodes, leurs fastueuses « peintures, leurs parfums variés, et leurs mœurs efféminées... Le culte « religieux de l'Egypte était né du sol même, et devait périr dès qu'il « viendrait à être transplanté au delà des limites atteintes par les inon- « dations du Nil. La religion de la Grèce, avec sa mythologie poéti- « que, ses Muses, ses Dryades et tout son Olympe, ne pouvait être le « culte que du peuple qui avait été capable de produire Anacréon, « Homère, Phidias, et Apelles. Que dis-je? La législation juive elle- « même porte des caractères évidents qui annoncent que son divin au- « teur n'avait pas eu l'intention de l'établir comme un culte permanent « et universel. Le christianisme seul est la religion de tous les lieux et « de tous les peuples. D'un pôle à l'autre pôle, de la Chine au Pérou, « nous le voyons pratiqué et aimé par d'innombrables variétés de la « grande famille humaine, sans distinction de leurs diverses constitu- « tions, de leurs capacités intellectuelles, de leurs usages civils, de

Praeterea, in catholicitate non solum consideratur aptitudinalis convenientia religionis ad omnes et singulas humani generis differentias (in quo divinae originis signum luculenter iam elucet), sed attenditur quam maxime actualis coadunatio in huiusmet religionis professione (et quidem sub unius capitis regimine) ingentis hominum multitudinis, quos et naturalis indoles, et civilizationis modus, et distantia locorum, et originum diversitas, et politicae divisiones penitus separant ab invicem. Huic

---

« leurs institutions politiques, et même de leur couleur et de leur phy-
« sionomie.

« Mais rendons-nous justice à nous-mêmes. A la religion catholique
« seule appartient le glorieux privilège d'assortir ensemble tous les ca-
« ractères nationaux et individuels, en se faisant tout à tous, d'unir par
« un lien commun les éléments les plus discordants, et de façonner sur
« le même modèle de vertu les dispositions les plus diverses, sans ef-
« facer un seul trait des différences nationales. Le Luthéranisme est
« imposé par force pendant de longues années aux dociles habitants
« de Ceylan, et il y a engendré la plus horrible des monstruosités re-
« ligieuses, le culte du Christ uni au service des démons! Les Indépen-
« dants ont travaillé longtemps avec zèle à la conversion des peuples
« des îles Sandwich et de la Société, si purs dans leurs mœurs et si
« aptes à recevoir l'instruction, et ils ont complètement réussi à ruiner
« leurs habitudes industrieuses, à exposer le pays aux invasions du de-
« hors et aux dissensions du dedans, et à dégoûter tous ceux qui dans
« le principe les avaient supportés.

« La religion catholique au contraire, semble avoir en elle-même
« une grâce et une efficacité toute particulière, qui lui permet de pren-
« dre racine dans toutes les diverses situations et conditions. Elle
« semble agir comme la vertu secrète de certaines sources d'eau, qui
« écartent peu à peu les parcelles de fleurs ou de branches fanées et
« flétries qui viennent se mêler à leurs ondes, et les convertissent en
« une substance solide et durable sans aucune altération des lignes et
« des veines qui leur conservent leur individualité... Son action est in-
« dépendante de la civilisation. Tantôt elle la précède et en est l'a-
« vant-coureur, tantôt elle la suit et en devient comme le correctif.
« Vous l'avez vue élever le sauvage dans ses déserts à l'admiration et
« à la croyance des mystères les plus sublimes; vous l'avez vue dans
« l'Inde affermir ses membres contre l'influence démoralisatrice du cli-
« mat ». Apud Migne, Demonstrations évangéliques, Tom. 15, pag. 909, seq.

porro coadunationi tot et talia obstant impedimenta, ut sine specialissimo Dei interventu manifeste impossibilis appareat. Sane vero, unaquaeque gens, sicut proprium habet ingenium propriamque vitam, ita naturaliter appetit independentiam a quolibet principio extraneo, tam in ordine politico quam in ordine religioso. Quod si politica unitas inter gentes, lingua, indole et stirpe diversas aliquando inducitur, id quidem vi et armis refertur acceptum, et neque sic longo tempore durat, nisi forte autonomia in propriis usibus sarta tecta remaneat. At unitas religiosa, praeterquam quod longe intimior esse noscitur, importat ex sese spontaneam et minime coactam accessionem, cuius nullum principium in solis naturae viribus invenire est. Cogita ergo quale prodigium fuerit, quando in arca Noe fuerunt cuncta animantia terrae, sicut scriptum est: *In articulo diei illius ingressus est Noe et filii eius, ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque iumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves, omnesque volucres ingressae sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne in quo erat spiritus vitae;* et vide ibi quamdam adumbrationem permanentis prodigii quod a decem et octo saeculis in Ecclesia catholica cernitur, sed et in dies extenditur etiam magis, cum continuae propagationi catholicae unitatis eadem naturaliter obstent, quae obstabant primae eius constitutioni.

Ultima demum consideratio sit, quod ante Catholicam nequidem excogitata est et tentata propagatio unius religionis per orbem universum. Post Catholicam et extra illam, per septemdecim saecula perdurat absentia cuiusvis tentaminis in hoc genere. Ineunte autem saeculo proxime elapso, cedunt protestantes pruritui imitandi catholicos, et propriarum virium experimentum faciendi. Et absentia quidem tentaminis per tanta temporum intervalla, etsi non defuerint occasiones et motiva tentandi, argumento est quod semper senserunt homines successus impossibilitatem. Rectam autem fuisse huiusmodi existimationem, demonstrat nunc frustraneus conatus protestantium, quibus tamen praesto sunt omnia media humana excogitabilia, sive numerus missionariorum spectetur, sive opes, sive politicae potestatis auctoritas. Accedit etiam quod viam a nostris demonstratam invenerant. Accedit potissimum, quod fidem Christi cum indepen-

dentia rationis et facillima ratione vitae, paucissimisque religionis officiis coniungunt.

Vere ergo ibi demonstrat nobis Deus in adversariis nostris, et novo documento certiores nos reddit, ad hoc permitti quidquid in communionibus separatis fieri permittitur, ut ipsa Catholica comparatione contraria emineat. Ecce ab antiquo faciebat Deus *habitare sterilem in domo, matrem filiorum laetantem,* miram ei fecunditatem tribuens in expansione ad universas hominum progenies. Sed cum annales historiae nullum alibi tentamen offerrent, non ita clare forsitan apparebat, digitum Dei esse hic. Nunc vero ex comparatione contraria res ipsa in splendidiori luce omnino reponitur.

QUAESTIO VI.

DE NOTA APOSTOLICITATIS

In apostolatu duo possunt distingui. Unum quod apostolis a Christo electis ita personaliter collatum est, ut nullo modo ad alios transire debuerit, et hoc est missio ad initiandam et plantandam Ecclesiam in mundo. Alterum quod ab eis ad alios derivari necesse fuit, et hoc est missio et potestas ad regendam Ecclesiam semel initiatam, eamque moderandam usque ad consummationem saeculi.

Duplici ergo ratione vera Christi Ecclesia dicitur et est apostolica. Primo, quatenus cum ecclesia quam apostoli primitus fundaverunt semper continuatur, eodem fere pacto quo cum radice arboris continuantur truncus et rami. Secundo, quatenus semper regitur per antistites qui ab apostolis suum derivant ministerium ac gubernandi auctoritatem. Et quamvis haec duo sint intime connexa, et nequidem distinguantur adaequate sola etiam distinctione rationis, adhuc tamen aliqualiter differunt inter se, pro quanto per prius attenditur continuatio *totius societatis* ab apostolis principiatae, postea vero *de solo regimine* specialis consideratio est. Hinc distinctis argumentis fundamentum datur, quae disctinctis quoque propositionibus ad maiorem claritatem erunt exponenda.

THESIS VIII.

Vera Christi Ecclesia est essentialiter apostolica, quatenus in finem usque habere debet visibilem continuationem cum primitiva ea ecclesia quam plantaverunt apostoli. Et quia eiusmodi continuatio ita ei propria est, ut nulli falsae sectae possit esse communis, notae quoque positivae vim ac rationem obtinet, imo vero notae princi-

palis qua potissimum utuntur Patres. Porro, tanto evidentius in communione Romana character iste resplendet, quanto manifestius ab aliis omnibus abesse ostenditur.

§ 1.

« Movent nos plurimum, aiebat supra laudatus Augusti-« nus (1), quod Dominus noster cui non credere sacrilegum et « impium est, novissimis verbis suis quae habuit in terra, pri-« mitivae Ecclesiae documenta salubria et novissima dereliquit. « His enim dictis, mox ascendit in coelum; praemunire vo-« luit aures nostras adversus eos quos procedentibus tempori-« bus, exsurrecturos esse praedixerat, et dicturos: *Ecce hic est « Christus, ecce illic.* Quibus ne crederemus admonuit... Cum « verba novissima hominis morientis audiuntur, ituri ad inferos, « nemo eum dicit esse mentitum, et impius iudicatur haeres qui « forte illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, « si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba no-« vissima et unici Filii Dei et nostri Domini ac Salvatoris, et « ituri in coelum, et inde prospecturi quis ea negligat, quis « observet, et inde venturi ut de omnibus iudicet? Habeo « manifestissimam vocem pastoris mei commendantis mihi et « sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam; mihi imputabo « si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum « seduci atque aberrare voluero ». Haec quidem Augustinus, de catholicitatis nota pertractans, et alludens ad dicta Christi ante ascensionem, Luc. XXIV-47, et Act. I-8, quae tamen etiam in praesenti cum eadem veritate et eodem rigore possunt applicari. Ad novissima enim Salvatoris verba pertinet omnia quae ab eo prolata referuntur per illos quadraginta dies quibus *praebuit seipsum vivum post passionem suam, apparens eis et loquens de regno Dei.* Pertinent vel maxime ea quae commemorat Matthaeus in ultima sui evangelii conclusione, ubi ad undecim ait Iesus redivivus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos..., ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et in his quoque sine ullis ambagibus veram ac genuinam expressit

(1) Vide supra, Thes. 6, § 1.

Ecclesiam, eam manifeste indigitando ut quae in finem usque visibiliter continuaretur absque omni ruptura seu interpolatione, cum ecclesia a suis apostolis mox initianda.

Et re quidem vera, Ecclesiam quam post se in terris relinquebat, nonnisi a collegio apostolico plantandam aperte declarabat, dum apostolis solis conferebat missionem sine qua, cum de supernaturali instituto agitur, omne tentamen frustraneum, omnis demum opera cassa atque irrita est. Sed non ad solum tempus vitae apostolorum mensura dierum huius ecclesiae restringebatur. Quippe ecclesia cum qua futurum se promittebat, quaeque hac de causa verae Christi Ecclesiae nomine insignitur, nullum in mundo nisi cum mundo ipso erat habitura finem (1). Et nihilominus, quantumlibet tempus ab apostolorum morte cogitetur effluxisse, semper oportebit verificari illud: *ecce ego vobiscum sum,* donec veniat consummatio. Capite plectetur Iacobus, crucifigetur Petrus, diversis matyriorum generibus afficientur alii, ultimus omnium propria morte vitam finiet Ioannes, et adhuc *ego vobiscum sum.* Veniet tempus in quo occumbent quoque omnes immediati apostolorum discipuli, Clemens, Ignatius, Polycarpus, etc., et adhuc et semper *ego vobiscum sum,* quia nascentur filii loco patrum, sicut scriptum est: *Pro patribus tuis,* o Ecclesia, *nati sunt tibi filii* (2). Quid est igitur *vobiscum sum?* Id est: cum ecclesia sum a vobis initiata, quae scilicet a vobis originem ducens, ipsa continuitate erit semper vestra, hoc est,

(1) Augustinus super illa verba Psal. CI: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi,* sic loquentem ad Deum inducit Ecclesiam: « Quid est quod « nescio qui recedentes a me, murmurant contra me? Quid est quod « perditi me periisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui et « non sum. *Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum.* Non a te quaero « illos dies aeternos; illi sine fine sunt, ubi ero; non ipsos quaero, tem- « porales quaero, temporales dies mihi annuntia. Exiguitatem dierum « meorum, non aeternitatem dierum meorum, annuntia mihi. Quamdiu « ero in isto saeculo, annuntia mihi propter illos qui dicunt: fuit et « iam non est; propter illos qui dicunt: impletae sunt Scripturae, cre- « diderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus « gentibus... Et annuntiavit, nec vacua fuit ista vox. Quis annuntiavit « mihi nisi ipsa via? Quomodo annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque « in consummationem saeculi* ». Enarrat. in Psalm. CI, Serm. 2, n. 8.

(2) Psalm. XLIV, 17.

apostolica ecclesia. Haec autem dicendo, perpetuum Ecclesiae characterem evidenter expressit in continuatione cum illa primitiva, per operam apostolorum in mundo plantata.

Porro eiusmodi continuatio stricte est accipienda, secundum quod excludit quamcumque rupturam aut interpolationis possibilitatem. Dicendo enim: *vobiscum sum omnibus diebus,* omnem omnino quantumvis minimam, etiam unius diei, etiam unius instantis, removit interruptionem, et nullum novatoribus spatium reliquit ubi legitimum suae sectae invenirent initium. — Item, continuatio est visibilis, tum quia incipit a visibilibus et in individuo designatis hominibus; tum quia inter homines et pro hominibus instituitur, qui de continuitate societatum haud aliter iudicare possunt quam de continuitate fluminis, cuius successivae partes visibilem inter se connexionem servant; tum demum quia consentanea sit oportet naturae ipsius Ecclesiae, quae iuxta superius demonstrata, ex instituto Christi visibilis est tam materialiter quam formaliter (1). — Denique haec ipsa visibilis continuatio secum trahit omnes verae Ecclesiae proprietates, eo quod coniunctam habet assistentiam Christi. Assistentia autem Christi omnimodam ponit indefectibilitatem (2), nullique falsae ecclesiae potest convenire, ut in terminis evidens est. Ergo a primo ad ultimum, apostolicitas hactenus declarata notam constituit maxime positivam.

Et confirmatur, quia e converso universalissimus omnium falsarum ecclesiarum character reponitur in hoc, quod e linea successionis exeuntes, segregaverunt semetipsas, et a seipsis inceperunt. *Vos autem, charissimi, memores estote verborum quae praedicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dice-*

(1) Quaest. 1, Thes. 2.

(2) Quotiescumque in Scripturis Deus cum aliquo esse dicitur, certa atque invincibilis protectio signatur. Sic, Iudic. VI-12: *Apparuit ei* (Gedeoni) *angelus Domini et ait: Dominus tecum, virorum fortissime. Dixit ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos haec omnia?... Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum.* Sic Psalm, XXII-4: *Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic. Isai. XLIII-2: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris et flamma non ardebit in te.* Sic etiam Matth. XXVIII: *Ecce ego vobiscum sum.*

bant vobis quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos. Ita Iudas apostolus, testes adducens omnes simul collegas suos et socios ministerii, tanquam communi consensu definientes notam, in qua invariabiliter et necessario convenirent omnes ad unum impostores, sub nomine christiano animas hominum decepturi usque in finem saeculorum. *Hi sunt*, inquit *qui segregant semetipsos.* Et a quo, quaeso, sese segregabunt nisi a corpore iam constituto, cuius inviolabilis unitas est? Ergo sua desertione in aeternum manifesti erunt, et iam ex nunc hoc uno signo omnes in globo semel pro semper denuntiantur ab apostolis Domini nostri Iesu Christi. Quia enim apostoli simul audiverant Christum promittentem et dicentem: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* pariter quoque iudicaverunt segregationem a continua successionis catena nihil aliud fore quam segregationem ab ipsomet Christo cuius promissio non fallit, imo fore communem tesseram sub qua agnoscerentur cunctae in mundo sectae adulterinae. Et in eodem quoque sensu accipiendum est quod de haeretico homine pronuntiat Paulus, Tit. III-11, ubi eum dicit *proprio iudicio condemnatum.* In eo enim quod sese monstrat ut sui conventus initiatorem, quin praedecessorem nominare possit quando primum incipit exsurgere, seipsum revera condemnat, hancque suam condemnationem scriptam in fronte gerit.

Porro, inter alias positivas Ecclesiae notas, principatum quemdam semper obtinuit in communi usu Patrum ista ab apostolis continuatio, quia nulla est magis obvia, nulla etiam est cuius vel praesentia vel absentia factis magis materialibus magisque tangibilibus (si dicere fas est), sese prodat. — Et primo quidem luculenter se prodit vel ex solo nomine quo unaquaeque communio in mundo nominatur: quatenus illa ecclesia recto tramite ab apostolis ostenditur descendere, quae proprium retinet nomen per apostolos ab initio inditum. Si qua autem secta nomen habet novitatis, ipso facto per rupturam et discessum ab illa antiqua convincitur incepisse. Et potest declarari exemplo rerum humanarum, ubi nomen uniuscuiusque inclytae familiae non aliter ad posteros transit, nisi ex vi originis et successionis. Tunc enim palam fit, quempiam esse genuinam nobilis cuiusque stirpis sobolem, cum nomen eius pacifice possidet et sine contestatione conservat. Ita ergo et multo maiori certitudine accidit

in praesenti. Multo, inquam, maiori certitudine, quia in rebus humanis origo unius ab altero et legitima generationum series non est factum adeo publicum et evidens. At contra, successio Ecclesiae est per conservationem eiusdem numero corporis socialis quod semper permanet, ita ut in transmissione nominis nulla fraus timeri possit. Praeterea nomina supponunt pro rebus. Ergo novis exsistentibus rebus, necesse est imponi nomina nova quibus ipsae res novae significentur et discernantur ab aliis. Ergo sicut conservatio antiqui nominis Ecclesiae signum est continuitatis cum trunco apostolico, ita e converso nomina posterioris facturae signum sunt segregationis de qua supra dictum est: *Hi sunt qui segregant semetipsos.*

Ideo vetustissimi Patres ex ipso nomine antiquam et apostolicam distinguebant Ecclesiam ab omnibus sectis noviter post apostolos introductis. Et Clemens quidem Alexandrinus respondens obiectioni infidelium dicentium *non oportere credere, propter dissensionem haeresum, distrahit enim nos ac defatigat etiam ipsa veritas, dum alii alia constituunt dogmata* (1), multa prius proponit quibus vera Ecclesia ab haeresibus discerni queat, tum deinde concludit: « Et essentia ergo et opinione et principio et « excellentia, solam esse dicimus antiquam et Catholicam Eccle« siam. Ex haeresibus autem aliae quidem appellantur ex no« mine, ut quae appellatae sunt a Valentino et Marcione et Ba« silide. Aliae autem ex loco, ut Peratici; aliae autem ex gente, « ut Phrygum haeresis; aliae autem ex operatione, ut Encrati« tarum; aliae autem ex propriis dogmatibus, ut Docetarum et « Haematitarum, aliae autem ex positionibus et iis quae ipsae « honorarunt, ut qui appellantur Cainistae et Ophiani: aliae vero « ex iis quae nefarie ausae sunt et perpetrarunt, ut qui ex Si« monianis vocantur Entychitae » (2). Consonat et Iustinus in dialogo cum Tryphone, n. 35: « Sunt igitur et fuerunt permulti « qui impia et nefanda dicere ac facere docerent, in nomine Iesu « prodeuntes... Atque illi quidem, non secus ac qui in gentibus « nomen Dei operibus manufactis inscribunt, ita christianos se « esse dicunt, et nefandorum ac impiorum sacrificiorum parti« cipes fiunt. Nonnulli vocantur Marcionitae, alii Valentiniani,

(1) Stromat. l. 7, c. 15.
(2) Ibid. c. 17.

« alii Basilidiani, alii Satorniliani, alii aliud vocabulum habent « ex suae quisque sectae principe, quemadmodum ut initio dixi, « unusquisque eorum qui philosophari sibi videntur, acceptum « a parente disciplinae nomen illius philosophiae quam sequitur, « sibi ferendum existimat ». Haud aliter Chrysostomus, Homil. 33 in Acta, ubi Gentilem inducit sic dicentem : *Volo fieri christianus, sed nescio cui adhaeream ; multae apud vos sunt pugnae, seditiones et tumultus. Quod dogma eligam? quod praeferam? Singuli dicunt : ego veritatem dico. Cui credam, qui nihil Scripturarum sciam?* Ideo frustra ad ipsarum Scripturarum sensum provocatio fieret. Responderet enim ille : *Et quomodo possim, cum nesciam diiudicare vestra? Discipulus esse volo, tu vero me iam doctorem facis.* Sed ecce tibi signum obvium atque perspicuum verae et apostolicae Ecclesiae : « Ut vero clarius loquar, illi (haeretici) « quosdam habent a quibus appellantur, haeresiarchae certe no- « men ; sic singulae haereses. Nobis vir nullus nomen indidit, « sed ipsa fides... Num haeresiarchas habemus? num ab homi- « nibus nomen accipimus? num dux quispiam nobis est, ut illis « Marcion, illis Manichaeus, illis Arius, illis alius haeresis prin- « ceps? Quod si nos cuiuspiam nomen feramus, at non habemus « sectae auctores, sed praefectos et gubernatores Ecclesiae... Illi « quoque, inquies, haec obtendunt. *Verum habent nomen quod « illos accusat, illorumque ora obstruit* ».

Nec dissimili argumento pelagianam sectam refutare solebat Augustinus, et cum ei opponeret Iulianus, catholicos quoque vocatos fuisse Athanasianos vel Homousianos, respondebat Pelagianos nihil aliud quam Pelagianos universaliter vocari ab omnibus, sicut Ariani nihil aliud quam Ariani ubique terrarum dicebantur ; at nomen Athanasianorum a solis Arianis fuisse aliquando catholicis impositum, sicut a solis Pelagianis nomen Traducianorum. Quippe, « non mirum est quod novi haeretici catho- « licis a quibus exeunt, novum nomen imponunt ; hoc et alii fe- « cerunt quando similiter exierunt » (1). Sed nunquam efficere potuerunt ut in communem usum nomen eiusmodi transiret, quia visibile erat mutationem nominis minime respondere mutationi rei : « Athanasianos vel Homousianos Ariani Catholicos vocant, « non et alii haeretici. Vos autem non solum a Catholicis, sed

(1) Augustinus, Op. imperf. c. Iulianum, l. I, n. 6.

« etiam ab haereticis vobis similibus et a vobis dissentientibus, « Pelagiani vocamini, quemadmodum non tantum a Catholica, « sed ab haeresibus etiam vocantur Ariani. Vos vero soli nos « appellatis Traducianos, sicut illi Homousianos, sicut Donatistae « Macarianos, sïcut Manichaei Pharisaeos, et caeteri haeretici di- « versis nominibus » (1). Ergo illa vera et apostolica Ecclesia est, quae semper in toto orbe antiqui nominis possessionem retinet, frustra conantibus singulis sectis (pro suo quaeque studio) novis eam notare nominibus, quae non tam nominum quam contume- liosarum et inurbanarum appellationum vim ac rationem in om- nium existimatione obtinere valent: « Quid est quod tam saepe « novo nomine *(Traduciani)* quasi contumelioso agere te putas, « ut fugiatur veritas antiquissimi catholici dogmatis, dum novitas « expavescitur nominis? *Quid non potest isto modo derideri? sed « vanitate, non urbanitate.* Apostolus enim dicit: *Per unum homi- « nem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita « in omnes homines pertransiit.* Haec verba utrique suscipimus. « Si ergo nos Traduciani sumus propter peccatum quod gene- « ratione traductum est, ut in omnes homines pertransiret, vos « Traduciani estis propter peccatum quod imitatione traductum « esse fingitis, ut in omnes homines pertransiret, et prior Apo- « stolus Traducianus apparuit, qui sive hoc quod eum sensisse cla- « rum est, sive illud quod errando dicitis senserit, peccatum ta- « men in mundum per unum hominem intrasse et in omnes ho- « mines pertransisse dicendo, huius occasionem nominis praebuit. « Si autem traducis nomen his verbis non convenit..., nec nobis « hoc nomen, nec vobis, nec Apostolo convenit, sed plane hoc « dicere, hoc obiicere, hoc assidue odioseque repetere, ineptiae « vestrae satis convenit » (2). Hinc tandem historia manifeste te- statur, omnia similia nomina, rationem et causam sui in natura

(1) August. ubi supra, n. 75.

(2) Augustinus, ibid, l. 3, n. 91. — Huc facit observatio Comitis de Maistre, du Pape, l. 4, c. 5: « Comme il est impossible de se donner « un nom faux, il l'est également de le donner aux autres. Le parti « protestant n'a-t-il pas fait les plus grands efforts pour nous donner « celui de *papistes?* Jamais cependant il n'a pu y réussir... Le nom de « *papiste* est encore ce qu'il fut toujours, une pure insulte, et une in- « sulte de mauvais ton, qui chez les protestants même, ne sort plus « d'une bouche distinguée ».

rerum non habentia, mox in omnimodam desuetudinem abiisse, et nullibi terrarum consecrationem temporis accepisse. Aliter vero est de nominibus quibus singula quaeque notantur haereticorum genera.

At non tantum ex nomine facile dignoscetur omnis adulterina secta cui continuatio deest cum Ecclesia apostolorum, sed semper etiam notabitur ex auctore a quo originem ducit, ex tempore quo incepit, et loco ubi incepit. Quotiescumque enim novum systema religionis inductum est, ista tria possunt ostendi: a quo, quando, et ubi inceperit. Ratio a priori satis constat, quia omnis mutatio religionis est factum publicum quod natum est excitare attentionem, suique vestigia in monumentis historiae et memoria hominum non potest non relinquere. Et multo magis cogit haec ratio, ubi de mutatione agitur in religione christiana quae principii traditionis adeo tenacem ab initio se ostendit, ut plane impossibilis appareat introductio substantialis innovationis, contra quam non esset reclamatum. Et adhuc crescit argumentum quia ex Christi voluntate, instituto, et speciali providentia, semper visibilem ac conspicuam esse oportet Ecclesiae continuationem inde ab apostolis. Ergo rursus, facilis probatio est compendio veritatis, nam apostolica Ecclesia ea dicenda est, cuius nec auctor, nec initii tempus, nec originis locus post apostolos assignatur, dum ex adverso omnis haereticorum vel schismaticorum secta his efficitur manifesta: « Ad quos merito dicendum « est: *qui estis, quando, et unde venistis?* Quid in meo agitis non « mei? Qui denique, Marcion, iure sylvam meam caedis? Qua « licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, « Apelles, limites meos commoves? Quid hic caeteri ad volun- « tatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim « possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis aucto- « ribus quorum fuit res. Ego sum haeres apostolorum. Sicut ca- « verunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiura- « verunt, ita teneo. Vos certe exhaeredaverunt semper et abdi- « caverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et « inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam « unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit « aut recepit? » Ita Tertullianus, de Praescriptionibus, c. 37. Quibus similia habet paulo supra, c. 30: « Ubi tunc Marcion, ubi « tunc Valentinus? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, *An-*

« *Ionini fere principatu*, et in Catholicae primo doctrinam credidisse « apud Ecclesiam Romanensem, donec *sub episcopatu Eleutherii*, « ob inquietam semper eorum curiositatem semel et iterum eiecti ».

Itaque, ad quamlibet sectam convincendam de separatione a trunco apostolico, satis erit attendere eius originem, quia infallibiliter et cum certitudine omnimoda invenietur determinatum rupturae punctum quod semper cruentum manet, ita ut nusquam novitatis seu aseitatis character directe apostolicitati oppositus, aut tegi possit aut deleri. Quantumcumque invalescat Arianismus, semper reducetur ad tempus Arii presbyteri, in quo numerabantur ex nomine paucissimi sectatores eius, id est, octo vel novem diaconi, tres aut quatuor episcopi, in summa tredecim vel quatuordecim personae quibus Alexandrinus patriarcha et cum eo centum Libyae episcopi dicebant anathema, mox confirmatum a caeteris totius orbis episcopis ([1]). Faciat sibi nomen Nestorius in Oriente, ubi usque nunc habuit sequaces, semper etiam ostendetur praecisum divisionis initium, quando solus erat suae sententiae simul cum alio quodam cui praedicationis officium commiserat in Ecclesia Constantinopolitana, in qua nemo eum ferre et audire poterat. Nec ulli sane dubium erit, quis a quo recesserit, an scilicet Catholica Ecclesia a Nestoriana factione, an potius Nestoriana factio ab Ecclesia Catholica; neminique in mentem

([1]) « Ac mihi certo in animo erat de illo facinore penitus reticuisse... « Verum quoniam Eusebius qui nunc Nicomediae episcopus est, quique « totum Ecclesiae statum in sua manu positum arbitratur, istorum etiam « qui ab Ecclesia defecerunt patrocinium suscipit,... necesse habeo si- « lentium rumpere, remque vobis omnibus indicare... *Qui autem defe- « cerunt ab Ecclesia sunt Arius, Achillas, Thales, Carpones, Arius alter, « Sarmates, Euzoius, Lucius, Iulius, Menas, Helladius, Caius, Secundus « item et Theonas qui olim dicti sunt episcopi*... Caeterum Eusebius eos « ad se admittit, operamque sedulo dat ut mendacium cum veritate, et « cum pietate impietatem admisceat. Verum ad hoc praestandum non « satis habet virium, nam vincit veritas, nec ulla est societas luci cum « tenebris, nulla consensio Christi cum Belial. Quis enim unquam talia « audivit? aut quis si iam audiret, non ea tanquam insolita et peregrina « obstupesceret, auresque obturaret ne eiusmodi verborum sordes in « audiendi sensum illaberentur? ». Epistola Alexandri Patriarchae Alexandrini ad omnes episcopos, in Actis Concilii Nicaeni, apud Harduin, Tom. I, pag. 367.

obveniet, incertum et indiscernibile esse, quinam fuerit truncus a quo ramus praecidebatur, quisve ramus qui iam praecisus, truncum in sua integritate relinquebat (1). Et universaliter loquendo, ne una quidem nominabitur ecclesia falsa quae ad suas origines reducta, non inveniat punctum illud fixum et determinate signatum, in quo pars contra totum insurgebat, seseque a matrice religionis separabat, mutando ea quae pacifica atque constanti possessione stabilita invenerat, imo quibus sua antecedenti professione ipsamet consenserat (2). Rursus ergo dicendum est, ecclesiam illam de qua nihil tale ostenditur, ipsam esse veram apostolicam Ecclesiam, cuius est successio et primitiva auctoritas (3).

(1) « Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de « Christo Deo nostro ea praedices quae Romana et Alexandrina et uni- « versalis Ecclesia catholica tenet, sicut et sancta Constantinopolitanae « magnae urbis ecclesia ad te usque optime tenuit, et hanc perfidam « novitatem... intra decimum diem a primo innotescentis tibi huius « conventionis die numerandum, aperta et scripta confessione damna- « veris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione deiectum ». Epistola Caelestini Papae ad Nestorium.

(2) Huic vitio separationis nulla temporis diuturnitas remedium afferre potest, ut etiam apparet ex typo qui praecessit in Veteri Testamento. Ecce per mille fere annos duraverat schisma Samaritanorum, et adhuc recenset eos Ecclesiasticus cum filiis Esau et Chanaan dicens: *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim: Qui sedent in monte Seir, et Philistiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis* (Eccli. L. 27-28). Quam sententiam Christus ipse confirmavit cum ait ad Samaritanam: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus,* seipsum ex parte Iudaeorum aperte ponens, quia apud ipsos erat origo foederis, et successio populi Dei, et matrix religionis. Eapropter, cum decem leprosos mundavit, omnes indiscriminatim remisit ad sacerdotes Aaronicos nulla exceptione facta pro eo qui Samaritanus erat. Super quo commentans Tertullianus, l. 4 c. Marcionem, c. 35 dicit: « Itaque qui et per Amos vae dixerat eis qui confidunt in monte « Samariae, iam et ipsam restituere dignatus, de industria iubet osten- « dere se sacerdotibus, utique qui non erant nisi ubi et templum, su- « biiciens Samaritam Iudaeo, *quoniam ex Iudaeis salus,* licet Israelitae « et Samaritae..., ut scirent Ierosolymis esse et sacerdotes, et templum, « et matricem religionis, et fontem, non puteum salutis ».

(3) De his cf. omnino Bossuet, Instruction pastorale sur les promesses de l'Eglise.

§ 2.

Iam ergo ad applicationem veniendum est, considerando per ordinem diversas communiones quae usque nunc sunt superstites: communiones dico Graecorum, communiones Protestantium, ac demum communionem Romani episcopi.

In primis, continuatio cum Ecclesia apostolorum evidenter deest in omnibus communionibus Orientalium a Romana Sede separatis. Nec immorandum arbitror circa eas quae Nestorium vel Eutycheten habent auctorem, cum res in promptu sit, et ex supradictis satis innotescens. Verum de iis quae a Photio et Caerulario oriuntur, paulo accuratius disserere nos cogit vel ipsa earum numerositas.

Porro avulsio a trunco apostolico manifestatur primo ex nomine, quia non retinent nomen quo cognominatam constat Christi Ecclesiam ab ipsis eius incunabulis. Quippe nomen *Catholicae* inditum fuisse societati christianae quando primitus nata est, multiplici apparet argumento. Apparet ex ipso Symbolo apostolorum quod ab omnibus per orbem confessionibus christianis et nunc recipitur et semper receptum est: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Apparet ex usu vetustissimorum Patrum, Latinorum pariter et Graecorum, incipiendo ab Ignatio martyre qui ad Smyrnenses scribit: *Ubi est Christus Iesus, illic catholica Ecclesia* (1), et Polycarpo Ioannis discipulo, cuius presbyteri et diaconi, dum transmittunt acta martyrii eius ad caeteras ecclesias, encyclicas litteras sic inscribunt: *Ecclesia Dei quae Smyrnae peregrinatur, omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis* (2). Unde supra allatus est Clemens Alexandrinus Origenis magister, ex nomine catholico distinguens Ecclesiam veram ab omnibus haeresibus (3); tum Cyrillus Hierosolymitanus diserte asserens *hoc nomen esse proprium huius sanctae matris omnium nostrum*, ita ut quicumque fidelis in civitatibus peregrinatus fuerit, quaerere debeat, non ubi sit Dominicum, neque ubi sit simpliciter

(1) Ignatius, epist. ad Smyrn., c. 8.

(2) Ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi epistola circularis, apud Migne, Patr. graec. tom. 5.

(3) Clemens Alex., ubi supra Strom. l. 7, c. 12.

Ecclesia, sed ubi sit *catholica Ecclesia* (1). Hinc etiam in documentis historiae Arianismi quae Athanasius affert in epistola ad monachos, Ecclesia illa quam adversarii pro vera et legitima nobiscum unanimiter agnoscunt, eodem hoc nomine constanter appellatur (2). Et facile esset innumera alia congerere documenta; sed ne longior excurrat testium depositio, unus sit pro omnibus Pacianus, quarti saeculi episcopus, qui in epistola ad Sympronianum Novatianum, rem totam compendio exponit his verbis: « Cum post apostolos haereses exstitissent, diversisque nominibus « columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere « niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, « quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam « Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne « appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte « ingressus populosam urbem hodie, cum Marcionitas, cum Apol- « linariacos, Cataphrygas, Novatianos et caeteros eiusmodi com- « perissem qui se christianos vocarent, quo cognomine congre- « gationem meae plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? « Age, quis caeteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot « urbibus, tot nationibus sua quaeque descriptio est? Ipse ille « qui catholicum nomen interrogat, causam sui nominis nesciet, « si requiram unde mihi traditum est. Certe non est ab homine « mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit. Catholicum istud « nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hae- « reticos sumit auctores... Quid? Parva nobis de apostolicis viris, « parva de primis sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano « martyre atque doctore currit auctoritas?... Quid tot annosi « episcopi, tot martyres, tot confessores? Si illi usurpando no- « mini huic auctores idonei non fuerint, nos idonei erimus ne- « gando? Et nostram potius auctoritatem Patres sequentur, et « emendanda sanctorum cedet antiquitas, et iam putrescentia vi-

(1) Cyrill. Hier., ubi supra, Cathec. 18, n. 26.

(2) Athanasius, Historia Arianorum ad monachos. Sub n. 8 affert *exemplar epistolae Constantini Caesaris populo catholicae Ecclesiae urbis Alexandrinae.* Et n. 23, litteras Constantii Maximi Augusti *episcopis et clericis catholicae Ecclesiae.* Et n. 81, obtestationem secundam populi Alexandrini: *Haec palam contestatur per eos qui postea subscribent, populus Alexandrinus catholicae Ecclesiae, quae est sub Athanasio reverendissimo episcopo.*

« tiis tempora canones apostolicae antiquitatis eradent? Nec ta-
« men aestues, frater, Christianus mihi nomen est, Catholicus
« vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor,
« inde significor... Quare ab haeretico nomine noster populus
« hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur » (1).
Quae igitur cum ita sint, causa Orientalium pro iudicata habenda est. Non enim *Catholicorum* nomine ipsi veniunt, nec quisquam in mundo est qui *Ecclesiam Catholicam* vel audiens vel legens, intelligeret significari communiones quae Photium sequuntur ducem et signiferum. Quin imo, ne ipsae quidem nomen istud velut proprium appellativum sibi vindicare ausae sunt, sed cum seipsas *Orthodoxam Ecclesiam* satis praesumptuose denominent, ab aliis appellantur ex determinata orbis parte in qua consistunt, utputa *Ecclesia Russa, Ecclesia Graeca,* addito etiam plerumque cognomine *Schismaticae,* a facto originali maxime conspicuo quod his sectis principium dedit, et de quo nunc paucis agendum est.

Iam igitur oportet ad ipsas origines ascendere, et iuxta superius praemissa, praecisum illud rupturae punctum quod semper cruentum manet, cum omnimoda evidentia signare. Et re quidem vera, patriarchatum Constantinopolitanum usque ad saeculum IX nonnisi partem Ecclesiae universalis fuisse sub primatu Apostolicae Sedis Romanae, apertissime constat. Huius rei fidem faciunt omnia concilia oecumenica in Oriente celebrata (2), legationes a Romanis Pontificibus tam crebro Constantinopolim missae ad terminandas cuiusvis generis controversias, denique facta innumera luce meridiana clariora quibus palam fit, ibi quoque ab immemorabili agnitum fuisse et receptum id quod saeculo II testabatur Irenaeus his verbis; « Ad hanc enim Eccle-
« siam (Romanam) propter potiorem principalitatem necesse est
« omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fi-
« deles » (3). Et quod saeculo VII tam nervose tamque eleganter exprimebat S. Maximus martyr, Orientalium decus atque lumen, in epistola ad Marinum Cypri presbyterum: « Omnes orbis ter-
« rarum fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque

(1) Pacianus, epist. 1, de nomine catholico.

(2) Vide documenta superius allata, Quaest. 2, § 2, praesertim vero ex Concilio Chalcedonensi in epistola Synodica ad S. Leonem Papam.

(3) Irenaeus, c. haeres. l. 3, c. 3.

« fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissi-
« mam Romanam Ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem respi-
« ciunt, ex ipsa effulgurans expectantes iubar.... Ab initio enim
« quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam
« firmam basim ac fundamentum omnes ubique Christianorum
« Ecclesiae eam quae ibi (Romae) est, maximam nacti sunt ha-
« bentque Ecclesiam, ut in quam, iuxta ipsam Salvatoris promis-
« sionem, portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae re-
« ctae fidei ac confessionis claves habeat » (1). Et rursus in epi-
stola ad Petrum illustrem : « Si enim Romana Sedes non solum
« reprobum Pyrrhum (monothelitam), sed et male sentientem et
« male credentem iudicat, perspicuum profecto est quia omnis
« qui eos qui Pyrrhum reprobaverunt anathematizat, Sedem Ro-
« manam, id est, Catholicam Ecclesiam anathematizat.... Non
« enim fas est illum ex quacumque laude cognominari, qui iam
« olim damnatus est et abiectus ab Apostolica Sede Romanae
« urbis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam, imo ad Do-
« minum Deum nostrum per piam confessionem et orthodoxam
« fidem » (2). Hanc porro ordinationem ex Christi instituto pro-
fectam constanti pacificaque possessione in toto orbe christiano
viguisse, Photius ipsemet sua priori agendi ratione monstravit,
quando deposito Ignatio legitimo patriarcha, Sedem Constanti-
nopolitanam invadens, a Nicolao Papa I confirmationem sui epi-
scopatus omni ope obtinere nisus est. Intelligebat enim ac probe
sciebat, *qualiter absque Romanae Sedis, Romanique Pontificis con-
sensu, nullius insurgentis deliberationis daretur terminus* (3). Rem
sic narrat graecus scriptor Nicaetas : « Legationem ergo et ille
« (Photius) Romam veterem destinat, et a Nicolao Papa legatos
« petit, qui in speciem quidem collapsam Ecclesiae disciplinam
« emendent, et damnatae Iconomachorum sectae reliquias peni-

(1) Πάντα γὰρ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης, καί οἱ τὸν Κίριον εἰλικρι-
νῶς καὶ ὀρθοδόξως πανταχοῦ γῆς ὁμολόγοῦντες, ὥσπερ εἰς ἥλιον φωτός
ἀϊδίου εἰς τὴν Ρωμαίων ἁγιωτάτην Ἐκκλησίαν καὶ τὴν αὐτῆς ὁμολογίαν
καὶ πίστιν, ἰθυτενῶς ἀποβλέπουσιν... Ἀπαρχῆς γάρ τῆς πρός ἡμᾶς πατα-
βάσεως τοῦ σαρκωθέντος θεοῦ Λόγου, μόνην κρυπῖδα καὶ θεμέλιον αἱ
πασαι τῶν Χριστιανῶν Ἐκκλησίαι, τὴν αὐτόθι μεγίστην ἐκτήσαντό τέ
καὶ ἔχουσιν etc. Apud Migne, P. G. Tom. 91, pag. 138, seq.

(2) Apud Migne, ubi supra, pag. 144.

(3) In epist. Nicolai I ad Imperatorem Michaelem, in causa Photii.

« tus exstinguant; revera autem, ut Romanae Ecclesiae auctori-
« tate Ignatii exauctorationem firmaret, testatioremque redderet.
« Legat ergo Theophilum Amorii Episcopum et Samuelem..., per
« quos egregius ille non veritus est ad Pontificem Maximum men-
« dacia praescribere: Ignatium senio et morbo confectum, corpo-
« risque invaletudine laborantem se munere abdicasse, suaque
« in insula et coenobio commorari.... Pontifex, legatis exceptis,
« rerum Constantinopoli gestarum ignarus, duos legatos Zacha-
« riam et Rodoaldum episcopos ablegat » (1). Vides igitur quo-
modo primus signifer hodiernae sectae Graecorum, sua ipsius
adhaesione nec non et agendi ratione antecedentem atque imme-
morabilem Ecclesiae statum luculenter ostenderit; quem postea
mutare aggressus est, attentando depositionem Romani Pontifi-
cis, sibique supremam auctoritatem arrogando. Et ideo, cum
propter immania scelera mox depositus iudicatusque est in Con-
cilio Constantinopolitano IV, inauditae innovationis reus fuit de-
claratus. *Definimus... nec alium quemquam conscriptiones contra
Sanctissimum Papam Senioris Romae ac verba complicare et com-
ponere sub occasione quasi diffamatorum quorumdam scelerum, quod
et nuper Photius fecit. Quisquis autem tantae iactantiae et auda-
ciae fuerit, ut secundum Photium... iniurias contra Sedem Petri
apostolorum principis moveat, aequalem et eamdem quam ille con-
demnationem recipiat... Porro si synodus universalis fuerit congre-
gata, et facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quae-
vis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum conve-
nienti reverentia de proposita quaestione sciscitari et solutionem
accipere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Se-
nioris Romae Pontifices* (2). Et cum a legatis Apostolicae Sedis
oblatus esset libellus cui subscribere tenerentur qui ex schisma-
ticis recipi vellent in Ecclesiam, rogata de eo Synodi totius sen-
tentia, omnium Patrum una voce laudatus atque probatus est.
Libellus autem sic habebat: « Prima salus est rectae fidei regu-
« lam custodire.... Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi
« praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc pe-
« tram aedificabo Ecclesiam meam,* haec quae dicta sunt, rerum
« probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata

(1) Apud Migne, Patr. graec., tom. 105, pag. 515.
(2) Enchiridion, n. 277.

« est semper catholica servata religio, et sancta celebrata do-
« ctrina. Ab huius ergo fide atque doctrina separari minime cu-
« pientes, et Patrum ac praecipue sanctorum Sedis Apostolicae
« praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus
« etiam Photium, qui contra sacras regulas et sanctorum Ponti
« ficum Romanorum sacra decreta, repente de curiali administra-
« tione saecularique militia sublatus, superstite Ignatio Patriar-
« cha, in Constantinopolitana est pervasorie institutus Ecclesia,
« donec Sedis Apostolicae sanctioni inobediens perseverans, eius
« sententiam tam de se quam de Patriarcha nostro Ignatio spre-
« verit, et conciliabuli acta quod se actore contra Sedis Aposto-
« licae reverentiam congregatum est, anathematizare distule-
« rit » (1). Hinc tandem clare efficitur quod cum ducentis circiter post annis, Michael Caerularius semina a Photio relicta ad maturitatem et plenum fructum perducens, anno 1054 insolenter usurpavit titulum universalis Patriarchae (2), anathematizavit omnes Latinorum ecclesias, vinculum dependentiae a Romana Sede, id est, a sede principis apostolorum abripuit, et seipsum supremum caput asseruit : sese hoc faciendo separavit a matrice religionis, funditusque mutavit ea quae pacifica et constanti possessione stabilita invenerat. Tunc ergo pars in totum insurrexit, et de repente in totum aliquod independens excrevit. Tunc contra truncum apostolicum truncus novus initiatus est a seipso inci-

(1) Apud Baronium, anno 860, n. XIX.

(2) « Qualis vero et quam detestabilis atque lamentabilis est illa sa-
« crilega usurpatio qua te universalem Patriarcham iactas ubique et scri-
« pto et verbo, cum omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit
« honorari vocabulo? Et quis post Christum convenientius posset insi-
« gniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce : *Tu es Petrus, et*
« *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam?* Verumtamen quia ille
« non invenitur universalis apostolus dictus, quamvis princeps aposto-
« lorum sit constitutus, nullus successorum eius tam prodigioso prae-
« nomine consensit appellari penitus, licet Magno Leoni praedecessori
« nostro et successoribus eius hoc sancta decreverit Chalcedonensis Sy-
« nodus. Nempe animadvertebant, non esse amicum sponsi, qui pro
« sponso vellet amari ; quin potius paranymphum et lenonem Antichri-
« sti qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut
« quod colitur, etc. » Epistola S. Leonis IX ad Michaelem Caerularium, apud Baronium, anno 1054, n. XII.

piens, et ideo de hac ecclesia, necnon et de aliis omnibus quae in posterum ab ea prodierunt, verificatum invenitur id quod praedictum fuerat ab apostolis Domini nostri Iesu Christi: *Hi sunt qui segregant semetipsos.*

Iam de omnibus Protestantium sectis, adhuc facilior magisque obvia occurrit ratio. Nam primo, *habent nomen quod illos accusat, illorumque ora obstruit,* ut supra laudatus aiebat Chrysostomus. Hoc enim nomen non solum est recens et per quatuordecim saecula penitus inauditum, verum etiam expresse importat protestationem seu insurrectionem contra Ecclesiam praecedentium saeculorum, e cuius sinu exierunt Reformatores ut novum a fundamentis systema religionis initiarent. Ergo nomen est rupturae et discontinuationis, quo vel negatur veritas verborum Christi: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus,* vel formaliter affirmatur discessus ab apostolica Ecclesia quae Christi assistentia munitur. Utroque autem modo ponitur ipsa antithesis apostolicitatis. Nec opus est immorari in singulis nominibus quibus singulae protestantismi fractiones inter se discriminantur, cum plane sufficiat consideratio nominis generici sub quo, usu communi, omnes illae sectae solent comprehendi. Caeterum hic quoque ad litteram applicatur id quod saeculo II de haeresibus dicebat Clemens Alexandrinus ubi supra. Ex protestanticis namque sectis, *aliae quidem appellantur ex nomine, ut quae appellatae sunt a Luthero et Calvino et Arminio; aliae autem ex gente, ut Anglicani; aliae autem ex operatione, ut Quakeri et Methodistae; aliae autem ex propriis dogmatibus, ut Sacramentarii et anabaptistae, etc.* Et hoc quidem obiter notatum velim, ut appareat eumdem semper esse, et sibi identicum, haeresis characterem.

Ne tamen existimes inanem nos de solo nomine movere quaestionem, absit. Iam enim ostensum est, quaestionem nominis esse in praesenti controversia intime connexam cum quaestione de ipsa re. Et sane, si de separatione a trunco apostolico sermo sit, quid in historia luculentius ostendi potest quam ruptura protestantium a toto antecedente christianismo? Quid notius quam auctor a quo primum ipse protestantismus originem duxit, tempus quo incepit, locus ubi incepit? Quid demum magis evidenter impossibile, quam ut de ea religione vel apparenter ostendatur qualiscumque continuatio cum quacumque religione temporum praecedentium? Certe, inter caeteras protestantismi

sectas, Anglicana communio est quae a priori Ecclesiae forma minus recedere visa est. Nam specie saltem tenus episcopalem hierarchiam retinet, et pastores habet qui adhuc materialiter occupant antiquorum episcoporum sedes ; quin et officia celebrat quae ex nostra liturgia de integro fere asservata esse constat. Et tamen, etiamsi omnes historiae voces reticerent substantialem ac radicalem mutationem religionis saeculo XVI in Anglia inductam, adhuc clamarent vel ipsi lapides. Quis enim viator Angliam perlustrans, dum vetera illa ac vere magnifica templa ingreditur quae nunc protestantico cultui sunt dedicata, non statim animadvertit aliam omnino fuisse nativam eorum destinationem ? Quis non videt vacua altarium loca ? Quis non cogitat exstinctum iuge sacrificium ? Quis non sensibiliter experitur mutatam aedem Dei viventis in mortuorum sepulcra, ita ut vel invitis in memoriam redeat lamentatio Prophetae : *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, tradidit in manu inimici muros turrium eius, vocem dederunt in domo domini, sicut in die solemni* ? (1).

(1) « Ne connaissons-nous pas tous une Eglise qui a dans ses mains « tous les instruments de la force matérielle, qui possède tant de tem- « ples magnifiques, merveilleusement destinés à être les théâtres d'une « influence sans bornes sur des multitudes innombrables de peuples? « Il en fut ainsi autrefois ; mais aujourd'hui ces temples sont vides et « déserts tout le jour, et semblent être les superbes sépulcres d'un culte « mort, plutôt que les temples d'un culte vivant. Et comment donc ce « triste changement s'est-il opéré ?... Qui peut visiter cette magnifique « église, restaurée il y a très peu de temps, qui s'élève de l'autre côté « du fleuve, et considérer attentivement la superbe architecture qui en « couronne le chevet, avec ses nombreuses niches et ses sculptures si « délicates, et ne pas sentir que le grand objet dont toutes ces merveilles « n'étaient que des accessoires, en a été enlevé..., mais qu'il y eut là « autrefois un autel que les hommes aimaient et révéraient, et qu'ils te- « naient à grand honneur d'honorer? Qui peut assister au service divin « célébré dans une cathédrale protestante, et voir tant de traces encore « qui rappellent les anciennes pratiques, tant d'objets qui ont perdu « toute leur puissance par l'absence des sentiments et des motifs qui « leur ont donné l'existence ?... Assurément, à un tel spectacle, et lors- « que j'entends admirer la liturgie anglicane comme une œuvre sublime « et incomparable, sans réfléchir qu'elle est toute prise de la nôtre que « l'on a abolie, que ce qui en a été conservé par les anglicans et forme « la partie essentielle de leur culte, n'est chez nous qu'une partie se-

Porro, ab uno disce omnes; imo a fortiori disce caeteros apud quos vix ullum remansit vestigium cultus et religionis Patrum. Ergo et ipsi novi sunt, a seipsis inceperunt, matricem religionis reliquerunt; de quibus scriptum est: *Hi sunt qui segregant semetipsos.*

At in communione Romana, tanto evidentius apparet continuatio cum Ecclesia ab apostolis plantata, quanto manifestius monstratur in aliis ruptura et discontinuatio. Haec enim est quae retinet ut proprium, magnum illud *Ecclesiae Catholicae* nomen ([1]). Haec est cuius filii in toto mundo *Catholici* dicuntur simpliciter et sine addito. Haec etiam est, cuius nec auctor, nec initii tempus, nec originis locus post apostolos, cum qualibet verosimilitudinis apparentia assignatur. In ea ergo incunctanter agnosce nobilem truncum arboris quam plantaverunt apostoli; ex quo quidem trunco multi rami labentibus saeculis excisi sunt, dum ipsa arbor quae sua radice nititur, et semper eadem mansit, et usque nunc manet.

« condaire et qui sert de préparation à un rite plus solennel..., quand « je vois cette Eglise recueillir ainsi et préserver de la destruction les « accessoires de notre culte. et estime à un si haut prix le cadre même « qui ne fait que renfermer notre liturgie, je ne peux que la regarder « comme une mère frappée de la main de Dieu, en qui la lumière de « la raison s'est obscurcie, bien que les sentiments du cœur ne soient « pas encore éteints, qui presse contre son sein et caresse le cadre « maintenant vide qui entourait autrefois l'image de tout ce qu'elle « aimait sur la terre, et continue encore à remuer le berceau de son « enfant qui n'est plus ! » Card. Wiseman, Conférence 5^me^, sur la règle de foi catholique, apud Migne, *Démonstrations évangéliques,* tom. 15, pag. 828 et seq.

([1]) Nota quod additum *Romana* usu consecratum, minime obstat evidentiae huius signi. Primo quia non est additum, quo omisso, Ecclesia nostra nondum est sufficienter designata; sufficit enim nominare *Ecclesiam Catholicam*, et statim sine ambiguitate aut aequivocatione possibili per totum mundum indigitatur. Secundo quia nihil aliud adsignificat nisi determinatum centrum universalis illius unitatis a qua sumptum est Catholicae nomen. Tertio quia nullam novitatem prae se fert; nam centrum catholicitatis in Ecclesia Romana a primis initiis indubitanter agnitum fuisse, testimonia hactenus recitata manifestissime demonstrant,

THESIS IX.

Cum apostolicitate originis intime cohaeret apostolicitas ministerii sive regiminis, quae quidem in Ecclesia Catholica ex successione Romanorum episcoporum super Sedem Petri maxime est conspicua, alibi vero tam evidenter deest, ut ex hoc capite omnes quotquot in mundo sunt sectae separatae, obvia et perquam manifesta illegitimitatis nota obsignentur.

§ 1.

Apostolicitatem ministerii intime cohaerere cum apostolicitate originis adeo clarum est, ut declaratione vix ac ne vix quidem indigeat. Continuatio enim cum Ecclesia ab apostolis plantata includit per prius continuationem in formali ac principali parte quae est hierarchia. Sicubi ergo hierarchia non recta ab apostolis descendit, sicubi hodierni praepositi aliunde quam ab apostolis suam derivant potestatem ac regendi auctoritatem, ibi quoque esse non potest Ecclesia origine apostolica, sed solum secta quaepiam, quae decurrentibus saeculis per rupturam et segregationem incepisset a semetipsa.

Ergo quaecumque nunc demonstranda suscepimus, implicite iam in conclusionibus superioris propositionis continebantur. Verumtamen, ut supra dictum est, specialis atque explicita de apostolicitate ministerii proponitur consideratio, tum quia nova suppeditat argumenta ad ostensionem veritatis, tum etiam quia haec eadem ministerii apostolicitas ad essentiam Ecclesiae quam maxime intelligitur pertinere, utpote id a quo societas ecclesiastica ita pendet, et quantum ad esse et quantum ad operationem in consecutionem finis, ut eo sublato, caeterea quoque consequenter perirent atque ipso facto tollerentur. Et re quidem vera, in omni societate regimen est principium essendi necnon et operandi: principium quidem essendi, quia in unitate continet membra quae alias disgregarentur et socialem formam amitterent; principium etiam operandi, quia socialia media applicat et ad exsecutionem ducit. Porro in Ecclesia, regiminis auctoritas nequidem potest concipi, seclusa apostolicitate. Ratio

facile patet, quia Ecclesia est essentialiter regnum Christi, seu societas cuius supremum caput est Christus. Ergo non potest pendere nisi a rectoribus qui a Christo missionem habeant. Ii autem qui a Christo missionem habent, nonnisi illi sunt qui a Christi apostolis traducem servant potestatis. Insuper, Ecclesia est essentialiter societas habens pro fine supernaturalem beatitudinem nobis a Christo promeritam, ad quam non dantur media praeter ea quae sunt a Christo ipso suppeditata. Pereunte ergo ministerio apostolico, cui soli tanquam legitimo dispensatori haec media concredita fuisse constat, periret ex consequenti quidquid importat Ecclesiae ratio in ordine ad finem.

Vide ergo discrimen inter Ecclesiam et alias societates. Nam etsi in societatibus naturalibus aliqua auctoritas procul dubio necessaria sit, nullum tamen regimen determinate signatum dici potest essentiale. Pereunte enim vel amoto uno, manet in natura quidquid necessarium est ut alterum substituatur. Sed et regimen superveniens possidebit de integro media omnia quae praesto erant praecedenti, quoniam ex eodem naturae fonte ista semper derivant. Hic autem non ita, eo quod visibile Ecclesiae regimen est essentialiter ministeriale per respectum ad summum hierarcham Christum. Pereunte autem vel exstincto ministerio instituto ab eo, cuius respectu ministerium dicitur et est, nulla superest possibilitas subrogandi aliud; iam enim ministerium non esset, sed irrita quaedam auctoritatis usurpatio. Quocirca regiminis apostolicitas verissime assignatur tamquam essentiale illud a quo in Ecclesia caetera omnia necessario pendent, et cum quo etiam caetera omnia necessario adsunt, prout evidenter ostendit promissio Christi: *Ecce ego vobiscum sum* (scilicet docentibus, baptizantibus), *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Sed nunc, quomodo innotescat haec ipsa ministerii apostolicitas, iure meritoque sciscitaberis. Nec a longe repetenda responsio: videlicet, per perennem et nusquam interpolatam successionem pastorum inde ab apostolis, iuxta illud Tertulliani, l. de Praescript. cap. 32: « Edant ergo origines ecclesiarum « suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita per suc- « cessiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus ali- « quem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apo- « stolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc

« enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut « Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conse- « cratum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum « edit; proinde utique et caeterae exhibent quos ab apostolis in « episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant ». Ratio autem satis in promptu est, quia cum hierarchia apostolica hominibus morituris constaret, et tamen ex instituto Christi deberet esse perpetua, non remanebat ad perpetuitatem alius possibilis modus praeter successionem, qua novi praesules loco demortuorum antecessorum sufficerentur, *eamdem ac illi iuridicam personam semper sustinentes.* Et hic nota, sermonem esse *de formali successione*, distincta ab ea quae *mere materialis* est, et cum apostolicitatis carentia omnino potest componi. Materialis enim successio consistit in nudo facto occupationis eiusdem sedis per continuam episcoporum seriem. Sed formalis addit permanentem identitatem eiusdem personae publicae, ita scilicet ut non obstante titularium multiplicitate, nulla unquam in exercitio et arrogatione potestatis intercesserit mutatio substantialis. Non tamen requiritur ut eiusmodi successio *in singulis episcopalibus sedibus, inde ab apostolis* existat. Alioquin post apostolorum aetatem nullae potuissent institui particulares ecclesiae cum regimine legitimo, ac per hoc. nullus fuisset relictus locus propagationi ipsiusmet universalis Ecclesiae, quod absit. Aliunde vero evidenter apparet quod apostolicitas non solum habetur per directam ab apostolis vel apostolicis viris haereditatem, verum etiam per derivationem potestatis ab iis qui apostolici seminis traduces sunt constituti, ut supralaudatus aiebat Tertullianus.

Ergo demum, apostolicitas regiminis in integra Ecclesia satis superque ostenditur, ex hoc solo quod directa monstratur apostolorum hereditas in Sede principali, hoc est, in Sede e qua venerandae communionis iura in caeteras omnes dimanant. Unde, huic evidenti principio innixus scribebat Irenaeus, l. 3 cont. haeres., c. 2 et 3: « Ad eam traditionem ab apostolis, quae per « successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus « eos (haereticos)... Traditionem apostolorum in toto mundo ma- « nifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera « velint videre, et habemus annumerare eos qui ab apostolis « instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos.... « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium

« ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae « et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro « et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam « habet ab apostolis fidem, per successiones episcoporum prove- « nientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui « quoquo modo praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim « Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem « convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in « qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae « est ab apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes beati « Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae « tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco « ab apostolis episcopatum sortitur Clemens qui et vidit ipsos « apostolos.... Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Eva- « risto Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus « est Sixtus, et ab hoc Telesphorus qui etiam gloriosissimum « martyrium fecit; ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem « Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duode- « cimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. Hac « ordinatione et successione ea quae est ab apostolis in Ecclesia « traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est « plenissima haec ostensio ». Ubi vides, Irenaeum dicere plenis- simam esse demonstrationem, tametsi in una solum sede suc- cessionem ostendisset, quoniam haec erat sedes principalis, in qua semper, ut Augustinus ait, epist. 43, n. 7, apostolicae ca- thedrae viguit principatus.

§ 2.

His igitur praemissis, iam facile atque evidenter demon- stratur, apostolicitatem regiminis in sola communione Romana de facto inveniri. Integra autem expositio potest ad sequentia puncta reduci.

Primo. Nulla est sedes ab apostolis initiata (si unam Ro- manam excipias), in qua ostendatur successio episcoporum *etiam mere materialis,* usque in praesentem diem. « Videmus, inquit « Bellarminus ([1]), defecisse alias apostolicas sedes, Antiochenam,

([1]) De notis Eccles. c. 8.

« Alexandrinam, et Ierosolymitanam, in quibus posteaquam a « Persis vel Saracenis ea loca Romanis adempta sunt, quod ac- « cidit ante annos 900, aut nulla aut obscurissima fuit successio.... « Fatetur Calvinus, in Asia, in Aegypto, et proinde Antiochiae, « Ierosolymae, et Alexandriae interruptam fuisse successionem. « Sola restat Constantinopolitana Ecclesia ex patriarchalibus, « quae non videtur unquam caruisse proprio patriarcha. At Con- « stantinopolitana Ecclesia non est apostolica, nec ostendit certam « originem ab apostolis. Tametsi enim Nicephorus Patriarcha in « Chronologia conatur deducere ab Andrea apostolo successionem « episcoporum Bizantii, tamen nulli veteres id tradunt, nec un- « quam a Patribus Ecclesia Bizantina sive Constantinopolitana « dicta est apostolica, et Patres Concilii Constantinopolitani I in « epistola ad Damasum Romanum Pontificem, aperte fatentur « Ecclesiam illam novellam esse ».

Secundo. Minime tamen diffitemur quominus Sedes Constantinopolitana a suis initiis habuerit participatam apostolicitatem, non secus ac illae aliae permultae, *quae nullum*, ut Tertullianus ait (1), *ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferunt, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur.* Sed haec ipsa participata apostolicitas omnino cessavit quando saeculo XI formalis successio ablata est. Et sane, cum Caerularius assumens titulum oecumenici patriarchae, sese separavit a toto cuius pars hactenus exstiterat Ecclesia Constantinopolitana, mutatio maxime substantialis procul dubio inducta est, et iam in ea sede incepit esse alia omnino persona iuridica. Quaeritur ergo undenam suprema haec atque independens potestas patriarchis praefatae sedis obvenerit. Certe non iure successionis, quoniam in antecessoribus non erat. Nec etiam iure communicationis seu institutionis alicuius ad hoc ipsum missionem habentis, quia nullus est praeter Christum, a quo suprema potestas quovis modo descendere possit. Multo minus iure politico, quasi scilicet haereditas Petri ad Constantinopolitanam Sedem transire debuerit, ex quo Constantinopolis facta est Roma nova et caput imperii, quia nemo nisi absurdissime contendet legem edictam a fundatore Christo eiusmodi esse, ut ad mutationes civilis ac terreni principatus mutaretur etiam ordo regiminis ecclesiastici.

(1) De Praescript. c. 32.

Superest igitur ut potestas quae saeculo XI incepit in CP. Patriarchis, fuerit usurpata; si autem usurpata, profecto non apostolica. Proinde, etsi perseveraverit successio materialis, formalis tamen tunc penitus exstincta est, et ipso facto periit apostolicitas ministerii non in sola tantum CP. sede, verum etiam in aliis omnibus ecclesiis quae quoquo modo eam sequuntur ducem et magistram.

Et simile ratiocinium adhibebis circa Ecclesiam Anglicanam aliasque congeneres, nisi quod evidentiori adhuc, si fieri potest, convincuntur argumento, quoniam ibi initium totius constitutionis hierarchiae a potestate civili aperte noscitur exstitisse. De caeteris vero communionibus protestanticis in quibus abrogata est vel ipsa forma episcopalis regiminis, et nulla prostat successio etiam pure materialis, nihil opus est dicere, cum ne apparentia quidem aut vestigium conservatae ab apostolis potestatis apud eas invenire sit.

Tertio. Regimen apostolicum, ut patet ex praemissis in Quaest. 3, non est in plures independentes fractiones divisibile. Praeterea, inter omnes apostolos unum esse constat principaliter a Domino Iesu Christo constitutum; unum, inquam, e duodecim, quem Matthaeus diserte *primum* appellat (1), cui ante ascensionem oves et agnos specialiter Dominus commendavit (2), qui etiam post descensum Spiritus Sancti primas in omnibus partes habuisse legitur (3), quem demum ore unanimi integra Traditio *Principem Apostolorum* appellat. Impossibile igitur est ut haereditas huius apostolorum principis in aliqua communione sit, quin eo ipso in ea sola, tota indivisibilis apostolicitas ministerii dici debeat conservata. Hinc, si in communione Romana successio Petri ostenditur, non solum plenissima prostat demonstratio de apostolico regimine in ea hodiedum perseverante, verum etiam novo argumento defecisse convincuntur omnes in globo communiones separatae. Atqui revera in Sede Romana

(1) « Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec: *Primus*, *Si-* « *mon qui dicitur Petrus*, et Andreas frater eius, Iacobus Zebedaei, etc. » Matth. X-2.

(2) Ioan. XXI-15 et seq.

(3) Cf. supra, Quaest. 1, Thes. I, § 2.

quam Petrus initiavit et retinuit usque ad mortem (1), notoria est usque in presentem diem successio episcoporum, absque omni interpolatione aut personae iuridicae mutatione (2). Ergo ex successione Romanorum episcoporum super Petri sedem (quae etiam apud nos est sedes principalis), uno eodemque tempore ostenditur apostolicitas hierarchiae nostrae, et notantur omnes sectae ut quae omni apostolico regimine sint destitutae.

Quocirca, nos usque nunc utimur eodem ipsissimo argumento, quo saeculo II utebatur Irenaeus ubi supra, et saeculo IV Epiphanius, Haeres. 27, n. 6; tum Optatus in l. 2 de schism. Donat. n. 2; tum Augustinus in epist. 53, n. 2, necnon et in Psalmo abecedario contra partem Donati. — Iuvat autem hic referre verba Optati sic demonstrantis veram Ecclesiam contra Parmenianum schismaticum: « Igitur negare non potes scire te « in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collo- « catam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus..., in « qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri « apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus « et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram « collocaret. Ergo cathedram unicam quae est prima de dotibus « sedit prior Petrus; cui successit Linus. Lino successit Cle- « mens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo Ale-

(1) Nota ibi esse factum historicum, quod integra attestatur Traditio, tam apud Latinos quam apud Graecos; de quo plura dicentur infra, ubi de Romano Pontifice. Interim vero observabis ipsum tot et tantis testimoniis firmari, ut vel ipsi doctores protestantium nullam amplius hac de re quaestionem moveant.

(2) Cum dicitur perennis et nusquam interpolata successio, non sic accipias velim, quasi nullum deberet interponi intervallum temporis inter mortem praedecessoris et electionem successoris; neque etiam quasi nullus omnino sit in tota serie, de cuius legitimitate dubitetur. Sed intelligitur talis successio pastorum ita sese excipientium, ut nunquam Sedes etiam vacans aut per dubium titularem occupata cessasse dicenda sit: quatenus regimine antecessorum virtualiter perseverante in iure Sedis semper vigente et semper agnito, semper etiam de certo successore habita est cura. Ita enim fit ut non interpolata sit successio, accipiendo negationem interpolationis secundum quod fert indoles materiae, et humanus modus succedendi in regno electivo, ad cuius normam Christus Ecclesiam suam noscitur instituisse.

« xander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Hy-
« ginus, Hygino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleu-
« therius, Eleutherio Victor, Victori Zephyrinus, Zephyrino Cal-
« listus, Callisto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Ante-
« rus, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius,
« Lucio Stephanus, Stefano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio
« Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus,
« Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Miltiades,
« Miltiadi Sylvester, Sylvestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Li-
« berius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster
« est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formata-
« rum in una communionis societate concordat ». Hucusque Optatus. Nunc autem, a temporibus Optati successionem ostendimus continuatam usque in hodiernum diem hoc modo. Siricio successit Anastasius, Anastasio Innocentius I, Innocentio Zosimus, Zosimo Bonifacius I, Bonifacio Celestinus I, Celestino Sixtus III, Sixto Leo Magnus, Leoni Hilarius, Hilario Simplicius, Simplicio Felix III, Felici Gelasius I, Gelasio Anastasius II, Anastasio Symmachus, Symmacho Hormisdas, Hormisdae Ioannes I, Ioanni Felix IV, Felici Bonifacius II, Bonifacio Ioannes II, Ioanni Agapetus, Agapeto Silverius, Silverio Vigilius, Vigilio Pelagius I, Pelagio Benedictus I, Benedicto Pelagius II, Pelagio Gregorius Magnus, Gregorio Sabinianus, Sabiniano Bonifacius III, Bonifacio III Bonifacius IV, Bonifacio IV Deusdedit, Deusdedit Bonifacius V, Bonifacio Honorius, Honorio Severinus, Severino Ioannes IV, Ioanni Theodorus I, Theodoro Martinus I, Martino Eugenius I, Eugenio Vitalianus, Vitaliano Adeodatus, Adeodato Donus I, Dono Agatho, Agathoni Leo II, Leoni Benedictus II, Benedicto Ioannes V, Ioanni Conon, Cononi Sergius I, Sergio Ioannes VI, Ioanni VI Ioannes VII, Ioanni VII Sisinnius, Sisinnio Constantinus, Constantino Gregorius II, Gregorio II Gregorius III, Gregorio III Zacharias, Zachariae Stephanus II, Stephano II Stephanus III, Stephano III Paulus I, Paulo Stephanus IV, Stephano Adrianus I, Adriano Leo III, Leoni Stephanus V, Stephano Paschalis I, Paschali Eugenius II, Eugenio Valentinus, Valentino Gregorius IV, Gregorio Sergius II, Sergio Leo IV, Leoni Benedictus III, Benedicto Nicolaus I, Nicolao Adrianus II, Adriano Ioannes VIII, Ioanni Marinus, Marino Adrianus III, Adriano Stephanus VI, Stephano Formosus, Formoso

Bonifacius VI, Bonifacio Stephanus VII, Stephano Romanus, Romano Theodorus II, Theodoro Ioannes IX, Ioanni Benedictus IV, Benedicto Leo V, Leoni Christophorus, Christophoro Sergius III, Sergio Anastasius III, Anastasio Lando, Landoni Ioannes X, Ioanni Leo VI, Leoni Stephanus VIII, Stephano Ioannes XI, Ioanni Leo VII, Leoni Stephanus IX, Stephano Martinus II, Martino Agapetus II, Agapeto Ioannes XII, Ioanni Leo VIII, Leoni Benedictus V, Benedicto Ioannes XIII, Ioanni Benedictus VI, Benedicto Donus II, Dono Benedictus VII, Benedicto Ioannes XIV, Ioanni Bonifacius VII, Bonifacio Ioannes XV, Ioanni Gregorius V, Gregorio Sylvester II, Sylvestro Ioannes XVII, Ioanni XVII Ioannes XVIII, Ioanni Sergius IV, Sergio Benedictus VIII, Benedicto Ioannes XIX, Ioanni Benedictus IX, Benedicto Gregorius VI, Gregorio Clemens II, Clementi Damasus II, Damaso Leo IX, Leoni Victor II, Victori Stephanus X, Stephano Nicolaus II, Nicolao Alexander II, Alexandro Gregorius VII, Gregorio Victor III, Victori Urbanus II, Urbano Paschalis II, Paschali Gelasius II, Gelasio Callistus II, Callisto Honorius II, Honorio Innocentius II, Innocentio Celestinus II, Celestino Lucius II, Lucio Eugenius III, Eugenio Anastasius IV, Anastasio Adrianus IV, Adriano Alexander III, Alexandro Lucius III, Lucio Urbanus III, Urbano Gregorius VIII, Gregorio Clemens III, Clementi Celestinus III, Celestino Innocentius III, Innocentio Honorius III, Honorio Gregorius IX, Gregorio Celestinus IV, Celestino Innocentius IV, Innocentio Alexander IV, Alexandro Urbanus IV, Urbano Clemens IV, Clementi Gregorius X, Gregorio Innocentius V, Innocentio Adrianus V, Adriano Ioannes XXI, Ioanni Nicolaus III, Nicolao Martinus IV, Martino Honorius IV, Honorio Nicolaus IV, Nicolao Celestinus V, Celestino Bonifacius VIII, Bonifacio Benedictus XI, Benedicto Clemens V, Clementi Ioannes XXII, Ioanni Benedictus XII, Benedicto Clemens VI, Clementi Innocentius VI, Innocentio Urbanus V, Urbano Gregorius XI, Gregorio Urbanus VI, Urbano Bonifacius IX, Bonifacio Innocentius VII, Innocentio Gregorius XII, Gregorio Martinus V, Martino Eugenius IV, Eugenio Nicolaus V, Nicolao Callistus III, Callisto Pius II, Pio Paulus II, Paulo Sixtus IV, Sixto Innocentius VIII, Innocentio Alexander VI, Alexandro Pius III, Pio Iulius II, Iulio Leo X, Leoni Adrianus VI, Adriano Clemens VII, Clementi Paulus III, Paulo Iu-

lius III, Iulio Marcellus II, Marcello Paulus IV, Paulo Pius IV, Pio IV Pius V, Pio V Gregorius XIII, Gregorio Sixtus V, Sixto Urbanus VII, Urbano Gregorius XIV, Gregorio Innocentius IX, Innocentio Clemens VIII, Clementi Leo XI, Leoni Paulus V, Paulo Gregorius XV, Gregorio Urbanus VIII, Urbano Innocentius X, Innocentio Alexander VII, Alexandro Clemens IX, Clementi IX Clemens X, Clementi X Innocentius XI, Innocentio Alexander VIII, Alexandro Innocentius XII, Innocentio Clemens XI, Clementi Innocentius XIII, Innocentio Benedictus XIII, Benedicto Clemens XII, Clementi Benedictus XIV, Benedicto Clemens XIII, Clementi XIII Clemens XIV, Clementi XIV Pius VI, Pio VI Pius VII, Pio VII Leo XII, Leoni Pius VIII, Pio Gregorius XVI, Gregorio Pius IX, Pio IX Leo XIII, Leoni XIII Pius X, Pio X Benedictus XV, qui nunc Ecclesiae Catholicae praeest, sicut eidem praerat tempore Augustini Anastasius, et tempore Optati Siricius, et tempore Irenaei Eleutherius (1).

§ 3.

Sic ergo demonstratur Ecclesiae Romanae veritas ex nota apostolicitatis, prout haec nota in evangelio et primitiva traditione signata invenitur. At quis non agnoscet in invicta illa stabilitate sedis Principis apostolorum, etiam veri nominis miraculum seu factum ex natura sua extraordinarium Dei interventum manifestans? « Si enim, ut Bellarminus notat (2), veteres « tanti fecerunt ad veram Ecclesiam ostendendam, continuationem « duodecim vel viginti vel quadraginta pontificum, quanti nos « facere debemus continuationem non interruptam pontificum « ducentorum sexaginta et amplius? Praesertim cum videamus « defecisse alias apostolicas sedes..., et in ipsa urbe Roma toties « mutatam esse formam temporalis dominii, nunc imperatoribus, « nunc regibus Gothorum, nunc exarchis Graecorum, nunc etiam « consulibus sive iuste sive iniuste dominantibus, et ipsam ur- « bem aliquoties eversam, et tamen sedem Petri nunquam dese- « cisse neque eversam fuisse, sed immobilem semper perman-

(1) Hic notatur Pontifex qui ultimus est in catalogo Irenaei, Optati, et Augustini, respective.

(2) De notis Ecclesiae. cap. 9.

« sisse ». Immobilem autem dico, quamvis ad eius destructionem per tot saeculorum intervalla atque vicissitudines, non sola valuerit temporis edacitas aut naturalis rerum humanarum inconstantia, verum etiam vehemens ille atque continuus portarum inferi impetus, quem notissima totius historiae monumenta testantur.

Crescit autem argumentum si quis attendat quod mirabilis illa religionis successio a Christo usque ad nos, suas habet radices in ipso mundi initio et primo humani generis exordio. Nec difficile aut longum erit connexionis rationem de integro reperire. Sufficit enim considerare ex una parte institutiones nostras, ex altera illas Iudaeorum. Sume initium a nostris, inspiciendo leges disciplinae nostrae, nostras Scripturas, nostra sacramenta necnon et sacrificium, specialiter vero baptismum in quo consecratur christianus sub expressa invocatione Trinitatis, tum eucharistiam in qua recolitur memoria mortis Iesu Christi et sancitae in eius sanguine remissionis peccatorum. His adiunge regimen ecclesiasticum, universalis Ecclesiae societatem, episcopos, presbyteros, diaconos, et totam hierarchiam ad regendum populum Dei praepositam. Sane vero, res adeo singulares ac determinatae certam atque praecisam habent originem ; sed quam originem nisi Iesum Christum et discipulos eius, quandoquidem ascendendo gradatim a saeculo in saeculum, principium ibi invenitur, et non superius? Ibi cum ipso nomine christiano incipiunt institutiones istae. Si baptismum et eucharistiam habemus, auctor est Iesus Christus; ipse est qui reliquit discipulis suis haec signa professionis christianae, haec suorum operum memoralia, haec suae gratiae instrumenta. Scripturae etiam nostrae, ad unam omnes, tempore apostolorum editae inveniuntur, nec ante nec post. In ipsis denique apostolis origo episcopatus est. Quod si inter episcopos nostros unus principatur, apparet etiam primatus unius inter apostolos, imo qui nunc apud nos primatum gerit, ab ipso christianismi exordio agnitus est ut successor illius qui primus erat sub Christo, id est, Petri. Haec sunt facta luce meridiana clariora, quae nullus nisi plane caecutiens aut negare poterit aut in dubium adducere. Iam ergo institutionum nostrarum origo tenetur.

Nunc autem ascendendo eodem modo ad originem institutionum Iudaicarum (quae totius christianismi vestibulum et prae-

paratio noscuntur exstitisse), necessarium etiam erit consistere ad Moysen, vel ad origines quae apud Moysen inveniuntur assignatae. Iudaei quippe, sicut et nos, habebant suas leges, observantias, sacramenta, Scripturas, ac hierarchiam. Sacerdotium manebat in familia Aaron fratris Moysis; ab Aaron et filiis eius oriebatur omnis distinctio sacerdotalium cognationum, quarum unaquaeque suam stirpem agnoscebat. Nec recentioris institutionis erant festa solemnia. Quaecumque enim in Paschate fiebant, referebant noctem in qua populus a servitute fuerat liberatus in exitu de Aegypto. Pentecostes etiam, legis datae quinquagesimo post die memoriam revocabat. Festum tabernaculorum in quo ab immemorabili cunctus populus singulis annis, unius hebdomadae spatio, sub tentoriis commorabatur, imaginem castrametationis in deserto referebat. Uno demum verbo, nullum apud Iudaeos festum, nullum sacramentum, nulla caeremonia quae a Moyse non fuisset aut instituta aut confirmata, et huius legislatoris nomen characteremque prae se non ferret. Verumtamen, non omnes istae observantiae paris erant antiquitatis. Circumcisio enim, et praeceptum abstinendi a suffocato et sanguine, et ipsa sabbati observantia remotiores habebant origines. Circumcisio ducebat ad Abraham, hoc est, ad ipsa gentis Israeliticae initia, et ad benedicti seminis prout ex hac stirpe oriundi promissionem. Praeceptum abstinendi a suffocato et sanguine ducebat ad Noe et ad tempora diluvii. Sabbati recursus ad creationem universi, et ad septimum diem in quo requievit Deus ab omni opere quod patrarat. Hinc omnes maioris momenti eventus qui ad fidelium instructionem facere poterant, sua apud Iudaeos habebant monumenta; et antiquiores observantiae coniunctae cum iis quas primo Moyses instituerat, integram praeteritorum saeculorum religionem in populo Dei quasi in traduce reponebant.

Ergo, sicut institutionum nostrarum principium est Christus, ita Iudaicarum Moyses. Sed quid invenimus in his duobus punctis fixis, in quibus tota incardinatur religionis historia? Quid nisi facile medium reperiendi successionem religionis nostrae, et originem eius sese cum ipsis mundi primordiis immiscentem ac veluti confundentem? Quanta igitur convictio veritatis filiis Dei, cum vident quod a Benedicto XV nunc feliciter regnante, ascenditur serie non interrupta usque ad Petrum constitutum a Christo

apostolorum principem; unde mediantibus pontificibus qui sub lege mosaica servierunt, venitur ad Moysen et Aaron, et inde ad patriarchas, inde ad mundi exordium! Quae successio, quae traditio, quae mirabilis rerum continuatio! Quam nulla humana mens aut excogitare, aut exsequi potuit, sed ille solus qui omnibus temporibus dominatur, apud quem mille anni sicut dies unus! ([1]).

([1]) Ita fere Bossuet, *Discours sur l'histoire universelle,* 2ème Part., c. 29-31.

PARS SECUNDA

DE INTIMA CONSTITUTIONE ECCLESIAE

PROOEMIUM

Hactenus consideravimus Ecclesiam, quasi adhuc foris, nondum intus exsistentes, quia de sola eius credibilitate agebatur; porro credibilitas ex iis tantum quae naturali rationis lumini apparere nata sunt, suam desumit demonstrationem. Recole dicta in Introductione, § 3-5, et revoca in memoriam quis fuerit praecedentis disputationis scopus; nimirum palam proponere manifestas divinae institutionis notas quibus Ecclesia Catholica ad omnem conscientiam hominum, etiam eorum qui longe sunt, commendatur. Ipsa ergo hucusque innotuit ut prudenti rationabilique fide ab omnibus necessario credenda, quatenus confiteamur cum Propheta: *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Haec enim est civitas magni regis, supra omnes colles in vertice montium elevata; civitas cuius participatio in idipsum, quaeque compacta sua unitate mirandum quid et plane divinum prae se fert; civitas sancta, de coelo a Deo vere descendens; civitas in quadro posita, habens ab Oriente portas tres, et ab Aquilone portas tres, et ab Austro portas tres, et ab Occasu portas tres, iuxta quatuor mundi plagas e quibus omnibus cives colligit suos; civitas clausa muro magno et alto in quo fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni; civitas demum cuius gloriosum nomen *Dominus ibidem* (1), hoc est, Dominus « qui recedat « nunquam ab ea, ut a priori populo antea discessit dicens ad « discipulos: *Surgite, abeamus hinc,* et ad Iudaeos: *Relinquetur « vobis domus vestra deserta,* sed aeternam habeat possessionem, « ut sit ei ipse possessio, iisdem discipulis repromittens: *Ecce « ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* » (2).

Nunc igitur, post demonstratam credibilitatem veritatis Ec-

(1) Ezech. XLVIII-35.
(2) Hieronymus, in h. l.

clesiae Catholicae, ad intimam eius constitutionem exponendam veniendum est. In quo quidem theologiae vestibula iam relinquimus, quia deinceps omnibus fontibus ex quibus sacra doctrina procedit, omnibusque regulis per quas dirigitur, uti licebit. Ad cuius evidentiam considerandum est quod divina institutio Ecclesiae Catholicae cum eius infallibili magisterio tanta cohaeret connexione, ut unum ab altero nequaquam possit in credibilitate separari. Non quod notione et conceptu ista convertantur: esse Ecclesiam a Deo, et infallibili eam instrui auctoritate. Sed eatenus sunt intime connexa, quatenus infallibilem auctoritatem sibi Ecclesia de facto vindicat, eamque omnibus sub anathemate credendam imponit, imo instar basis et fundamenti in oeconomia religionis collocat. Atqui impossibile omnino est ut aliqua religio sit a Deo, et verum non sit ipsummet totius doctrinae quam religio illa praedicat fundamentale principium. Impossibile est ut firma falsi dogmatis fides requiratur ut essentialis conditio ad ingressum arcae extra quam non est salus. Impossibile demum ut civitas Dei ea dicatur, cuius integra compages mendacio vel certe errori superstrueretur. Quapropter eadem evidentia qua credibile est Ecclesiam Catholicam esse veram ecclesiam Christi ab omnibus ineundam sub poena damnationis aeternae, credibile quoque est infallibili eam magisterio ex assistentia divina donari. Sed quid inde sequatur facile est videre. Sequitur plane, accipiendas esse ut genuinas sacras Scripturas necnon et Traditiones quas ut tales suis fidelibus proponit, adeoque omnia iam praesto esse principia verae et proprie dictae theologiae. Si quid igitur circa haec ipsa principia, et specialiter circa Ecclesiae infallibilitatem in posterum disputabitur, non huc praecise tendet disputatio, ut primo et absolute demonstretur veritas, sed solum ut novis innotescat rationibus, et praesertim ut idoneis ad hominem argumentis refellatur error haereticorum qui ex solis Scripturarum documentis omnes fidei controversias volunt terminari.

Caeterum, hic vel maxime recolenda est distinctio superius tradita de *corpore* et *anima* Ecclesiae. Sciendum quippe, nomine corporis intelligi societatem ecclesiasticam in quantum huiusmodi, seu multitudinem hominum visibilibus quibusdam vinculis colligatorum sub regimine hierarchiae a Christo institutae in ordine ad ultimum beatitudinis finem. Et omnis quidem societas inter

homines consuevit dici corpus; nec a longe repetenda est appellationis ratio, quae manifeste desumitur ex similitudine corporis organici naturalis. Nunc autem Ecclesia aliquid amplius habet prae caeteris societatibus, cum finis eius proximus sit vita supernaturalis in suis membris influenda; et ideo, dum hunc finem, sin minus in omnibus, at certe in aliquibus infallibiliter assequitur, aptissime in ea distinguitur anima praeter corpus. Nam sicut corpus humanum habet ex anima ut anima est, elevationem ad gradum vitae quae in corporeitate non clauditur, ita proportione quadam, mysticum Ecclesiae corpus ex interioribus gratiae habitualis donis quibus ornantur eius membra, denominatur vivens vita spirituali seu divina, quae in sociali organismo qua tali, non formaliter, sed principiative dumtaxat continetur. Proinde, uti supra notatum est, distinctio corporis et animae ponitur secundum aliqualem analogiam ad compositum humanum.

Sed memento interim non esse plus quam analogiam, et valde notabiles differentias reperiri. — Prima est, quod in physicis corpus et anima uniuntur ad efformandum unum per se. Hic autem non ita, quia tam corpus quam anima Ecclesiae iis constant elementis quae hominibus in suo primo esse constitutis accidentaliter superveniunt. — Altera est, quod in composito humano anima dat corpori ipsam corporeitatem, utpote forma substantialis existens a qua corpus habet *totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, et esse corporeum, et esse animatum, et sic de aliis* [1]. At corpus mysticum Ecclesiae constituitur in esse corporis independenter ab anima, quia praecisione facta ab interioribus habitibus gratiae et virtutum, iam intelligitur socialis membrorum colligatio sub hierarchia instructa duplici potestate, tum iurisdictionis seu imperii, tum ordinis seu dispensationis sacramentorum. Et ideo corpus ibi est simpliciter natura prius quam anima, imo vero, habet in se id quo ministerialiter sive instrumentaliter esse animae causatur. — Hinc tertio, alia est forma corporis Ecclesiae secundum quod corpus sociale est praecisive, et alia forma eius secundum quod est vivens vita gratiae. Quamquam posterior haec forma ab illa priori suo modo dependet, et cum in eodem subiecto resideat, nequaquam facit alteram ecclesiam, sed uni verae Ecclesiae ultimam addit perfectionem. « Cum

[1] S. Thomas 3 Part. Quaest. 75, a. 6 ad 2^{um}.

« Ecclesia sit corpus Christi vivens, duplicem primo putamus « distingui posse in eo vitam: alteram externam et socialem, « cuiusmodi competere potest cuicumque bene institutae socie- « tati, alteram interiorem quae singula membra immediate afficit « vel afficere potest. Ratione huius alterius vitae duplex distingui « solet elementum in Ecclesia, interius et exterius, anima et « corpus. Corpus iis elementis constituitur quibus forma socialis « Ecclesiae continetur, nempe ministerio pastorum oviumque su- « bordinatione, professione fidei, sacramentorumque participa- « tione. Anima sunt dona interiora fidei et caritatis, gratiae san- « ctificantis, caeterarumque virtutum. Duplex ergo principium « formale distinguendum est in Ecclesia: alterum *principium for- « male societatis,* alterum *principium vitae supernaturalis in mèm- « bris.* Illud essentiale est Ecclesiae ut ea sit societas, mediumque « idoneum hominibus pro consequenda iustitia et salute; hoc ne- « cessarium est membris ut illud assequantur et sint, propter « quod ad Ecclesiam sunt vocati » (1).

Et nunc quidem, circa Ecclesiae corpus primo et principaliter versari debet nostra consideratio, quia de societate ecclesiastica reduplicative in quantum societas est, praesens currit tractatus; ex consequenti autem suis locis dicetur et de anima. Porro in corpore organico naturali tria potissimum solent distingui. **Primo** membra ex quibus integratur. **Secundo** nervi per quos movetur. **Tertio** membrum praecipuum, capitis dignitatem obtinens, in quo praedicti nervi motores originem habent et radicem. Quare, huic analogiae inhaerentes, praesentem disputationem in tres articulos dividimus, dicturi primum **de membris quibus constat corpus Ecclesiae,** secundo **de potestate ei propria,** tertio **de subiecto potestatis,** hoc est de hierarchia.

(1) Palmieri, de Romano Pontifice, Prolegom. § XI.

CAPUT PRIMUM

QUAESTIO VII.

DE ECCLESIAE MEMBRIS

Plurimae de membris Ecclesiae prodierunt sententiarum diversitates, quas per prius recensere oportet, tum ut intelligatur quaestionis status, tum ut de variis Patrum dictis recta aestimatio esse possit.

Sententiae haereticorum. — Ab iis exordiendo quae magis a veritate elongantur, primo loco poni debet opinio asserens *Ecclesiam esse praedestinatorum congregationem,* ita scilicet ut soli et omnes praedestinati sint Ecclesiae membra. Sic olim Waldenses, Ioannes Huss, et Wiclefus damnati in Concilio Constantiensi [1]. At secundum hanc opinionem sequeretur Ecclesiam non solum esse penitus invisibilem, verum etiam nulla omnino realitate constare extra Deum, quandoquidem praedestinatio ut sic nihil ponit in homine, sed est actus in ipso Deo manens. Et certe, praedestinatus esse potest etiam ille qui adhuc secundum praesentem statum paganus est vel mahumetanus, et christianae religioni per omnia extraneus. Unde, ut alia innumera absurda praetermittam, vinculum colligans Ecclesiam et in unum corpus eam coaptans non esset forma actu et realiter membra afficiens, sed pura denominatio extrinseca sub qua nemo ratione utens veri nominis societatem unquam intellexit.

Huic opinioni succedit sententia Calvini, secundum quam *solis quidem praedestinatis constat Ecclesia, non tamen omnibus indiscriminatim, sed iis dumtaxat qui iam consecuti sunt praedestinationis effectum,* id est, veram illam fidem quae semel habita

(1) Sess. XV.

non potest amitti, et per quam homo in iustitia et sanctitate immobiliter est confirmatus. Duo enim docet Calvinus: « Primo, « fidem semel habitam nunquam in aeternum perdi posse, et « proinde omnem qui habet fidem, necessario esse praedestina- « natum. Secundo docet veram Ecclesiam (quam distinguit ab « Ecclesia externa in qua sunt boni et mali), a solo Deo cognosci « posse, eiusque fundamentum esse divinam electionem, quia ni- « mirum constat ex fidelibus qui necessario sunt de numero elec- « torum » (1). Porro si a sententia Calvini demas tantum inamissibilitatem fidei semel habitae, necessariamque eius cum praedestinatione connexionem, remanebit opinio Lutheranorum et aliorum communiter protestantium, docentium *veram Ecclesiam ad quam pertinent privilegia et promissiones, solis iustis constare,* qui etiam sunt omnes veri credentes, quamdiu vere credentes sunt, siquidem nihil aliud praeter fidem ad iustificationem requiratur. Sed haec ipsa protestantium opinio fuse fuit in superioribus declarata (2), et ideo non est cur de ea longior currat expositio.

Protestantibus autem iam aliquo modo praeiverant plures antiquae haereses, quibus commune fuit excludere malos a regno Dei quod est Ecclesia praesens. De quarum numero fuit primo haeresis *Catharorum* sive Novatianorum. « Cathari, inquit Au- « gustinus (3), qui seipsos isto nomine quasi propter munditiam « superbissime atque odiosissime nominant, secundas nuptias non « admittunt, poenitentiam denegant, Novatum sectantes haereti- « cum; unde etiam Novatiani appellantur ». Fuit etiam haeresis *Pelagianorum:* « Hi Dei gratiae in tantum inimici sunt, ut sine « hac posse hominem credant facere omnia mandata divina... « Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, sive pro infide- « libus et doctrinae Dei resistentibus ut convertantur ad Deum, « sive pro fidelibus ut augeatur in eis fides et perseverent in

(1) Bellarminus, l. 3 de Ecclesia, c. 2. — Nota semel pro semper quod vera fides seu fides iustificans apud protestantes, non ea demum est qua credimus vera esse quae a Deo sunt revelata, sed specialis fiducia qua quis firmiter tenet peccata sibi propter merita Christi non imputari.

(2) Supra, Thes. 2.

(3) Augustinus, de haeresibus, Haeres. 38.

« ea... In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam iustorum in « hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Eccle- « siam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine ma- « cula et ruga » (1). Fuit denique haeresis *Donatistarum,* de qua paulo accuratius dicendum, ut bene intelligantur auctoritates Augustini quae nobis in hac quaestione opponentur.

« Donatiani vel Donatistae sunt. qui primum propter ordi- « natum contra suam voluntatem Caecilianum Ecclesiae Cartha- « ginensis episcopum schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non « probata, et maxime quod a traditoribus divinarum Scriptura- « rum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque « finitam falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, « in haeresim schisma verterunt, tanquam Ecclesia Christi pro- « pter crimina Caeciliani... de toto terrarum orbe perierit, ubi « futura promissa est, atque in Africana Donati parte remanserit, « in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis ex- « stincta. Audent etiam rebaptizare catholicos, ubi se amplius « haereticos esse firmarunt, cum Ecclesiae Catholicae universae « placuerit, nec in ipsis haereticis baptisma commune rescin- « dere » (2). Horum igitur haereticorum generale principium fuit, sacramenta extra Christi Ecclesiam nequaquam posse valide ministrari, ipsam vero Ecclesiam veram nullos in se malos continere, sive ii mali dicantur, qui directe aliquo crimine sese contaminaverunt, sive etiam qui cum eis communicando, eiusdem contagionis participes effecti sunt. Propterea namque in sola parte Donati Ecclesiam superstitem asserebant, quia sola Donati pars sese a Caeciliano separaverat. Verum, qua verosimilitudine communionem suam omnis labis expertem vindicassent? « Unde « ergo, aiebat Augustinus, l. 3 c. epist. Parmen. n. 18, tanti « greges Circumcellionum? (3). Unde tantae turbae convivarum « ebriosorum, et innuptarum, sed non incorruptarum, innumera-

(1) Id., ibid., Haeres. 88.

(2) August. Haeres. 69.

(3) « Circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimae au- « daciae, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec « sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxi- « meque praecipitiorum et aquarum et ignium, seipsos necare consue- « verunt, etc. ». August., Haeres. 69.

« bilia stupra feminarum? Unde tanta turba raptorum, avarorum, « feneratorum? Unde tam multi per suas quique regiones notis- « simi, tantumdem volentes, sed non tantumdem valentes, Optati? « Quid ad haec respondebunt? » Porro non una fuit horum haereticorum responsio. Quidam dicere audebant, venialia esse ista et parvi aestimanda, quae idcirco a verae Ecclesiae communione non necessario abesse deberent. « Solent enim isti etiam hoc di- « cere, pensantes ea non in statera aequa divinarum Scriptura- « rum, sed in statera dolosa consuetudinum suarum. Quidquid « enim sceleris et iniquitatis inebriat multitudinem, amittit exa- « minis veritatem. Sed ideo sunt tanquam sincerissimum speculum « proposita hominibus oracula coelestium paginarum, ut ibi quisque « videat quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est « et male viventium caeco more contemnitur. Potuitne gravius « divinis eloquiis accusari avaritia, quam ut idololatriae demon- « straretur aequalis, et eius nomine appellaretur, dicente Apostolo: « *Et avaritia quae est idolorum servitus?* Potuitne maiori poena « digna iudicari quam ut inter illa crimina poneretur, quibus ob- « sessi regnum Dei non possidebunt? Aperiantur oculi cordis « ne frustra pateant oculi corporis, et legant praedicatorem li- « berum veritatis in prima ad Corinthios scribentem: *Nolite er-* « *rare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,* « *neque molles... regnum Dei possidebunt* » (1). Itaque alii aliud quaerebant effugium, impudentissime mentientes « se vel non « habere tales in congregatione sua, vel incognitos sibi esse » (2); veram porro Ecclesiam non omnium malorum communionem respuere, puta occultorum, sed eorum tantum qui notorii essent. In his ergo adversariorum principiis procedebat *ad hominem* argumentatio Augustini, et inde lucem accipiunt plura eius dicta quae alias videri possent difficilia, ut infra apparebit.

Operae autem pretium erit animadvertere quemadmodum omnes errores hactenus recensiti suum habuerint qualecumque fundamentum in humana illa cogitatione, contra quam praemunire nos voluit Christus in parabola zizaniorum: *Simile factum est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius et super-*

(1) Augustinus. l. 3 c. epist. Parmen. n. 9.
(2) Id., ibid. n. 11.

seminavit zizania in medio tritici, et abiit... Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus et colligimus ea? Haec, inquam, humana cogitatio est, scandalum patiens in eo quod a regno Dei malum non omnino excludatur, et nullum in hac parte discrimen admittens inter regnum Dei in Ecclesia militante, et regnum Dei quod futurum speramus in aeterna beatitudine. In quo quidem nonnihil latere videtur deliramenti Manichaeorum, dum non considerant quod malum nihil aliud est quam simplex boni privatio, quae etiam non potest esse totalis et absoluta. Unde mali adhuc capaces existunt vinculi sanctae communionis; imo non possent propter solam malitiam a corporis unitate excidere, quin ipso facto solveretur omnis compages ecclesiasticae societatis, et ex consequenti destrueretur ipsum medium a Deo provisum ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi. Quare in parabola praecitata respondet paterfamilias: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis et triticum.* Sed de his infra. Interim vero facile videbis omnes illos haereticos qui mentiebantur esse apud se Ecclesiam omnino sine macula et sine ruga, non potuisse utcumque stare suis principiis, nisi vel impudentissime negando facta, vel corrumpendo ipsas primas notiones boni et mali, id est, malum vocando bonum, et zizania triticum. Unde Augustinus ad Donatistas: « Vae impudentissimae negationi, si apud « se ista non esse: vae sceleratissimae perversitati, si frumenta « esse responderint » (1). Sed sceleratissimam istam perversitatem ad extremum usque perduxit Lutherus, cum dixit opera iusti omnia esse peccata mortalia, sed tamen non imputari si adsit fides, et proinde eum qui habet fidem, simul esse iustissimum et in omni opere peccare.

Et de haereticorum quidem opinionibus, hactenus. Sequitur nunc brevis expositio sententiarum quae apud theologos reperiuntur.

Sententiae theologorum. — Primo loco, historicae saltem veritatis gratia recenseri debet singularis modus dicendi Suarezii, qui Disp. 9 de fide, Sect. 1, n. 13 et seq., vult solam fi-

(1) L. 3 c. epist. Parmen. n. 18.

dem, eamque internam, esse formam constituentem corpus Ecclesiae, adeoque in huius corporis membris annumerari omnes schismaticos, omnes excommunicatos, omnes etiam non baptizatos dummodo fidem habeant. Itemque omnes haereticos materiales, qui nimirum invincibiliter veritatem Ecclesiae Catholicae ignorantes, ex errore inculpabili adhaerent sectis, earumque doctrinam profitentur. « Sunt, inquit, inter catholicos sententiae « quae praeter fidem requirunt in membris Ecclesiae quamdam « externam coniunctionem et inter se et cum capite. Excludunt « igitur ab Ecclesia schismaticos atque excommunicatos, et ratio « esse potest quia unitas est unius reipublicae et civitatis. Talis « autem unitas intelligi non potest sine coniunctione membro- « rum inter se et cum principe, iuxta illud Rom. XII: *Unum « corpus sumus, alter alterius membra*... At enim modus hic lo- « quendi mihi non satis probatur, primo quia qui veram fidem « retinent sunt membra Christi, nam ab illo recipiunt influxum « et actum spiritualis vitae. Ergo et Ecclesiae, etc. ». Et postquam sententiam suam de schismaticis et excommunicatis late est prosecutus, de non baptizatis tandem subdit: « Est alia « sententia quae praeter fidem requirit ad unitatem Ecclesiae, « characterem baptismalem. Solos itaque baptizatos censet esse « membra Ecclesiae... Mihi tamen magis placet fidelem catechu- « menum inter Ecclesiae membra numerare, quod sentit Castro, « ac probari potest rationibus iis quibus ostendimus fidem esse « formam quae unit Ecclesiae membra ». Hanc opinionem aliqui explicare conantur, et ad merum modum loquendi, quamvis ineptum et minus castigatum reducere ([1]). Revera videtur Suarez habuisse prae oculis duplicem Ecclesiae considerationem.

([1]) « Quoad Suarez... fidem tanquam solam formam essentialem « ab aliis proprietatibus et institutis a Christo in sua Ecclesia deter- « minatis distinguit ita, ut illa forma essentialis sufficiat non solum ad « notionem generaliorem Ecclesiae Dei in terris, sed etiam ad rationem « Ecclesiae Christi, atque idcirco catechumeni, excommunicati, ipsique « schismatici quamdiu fidem retinent, simpliciter sint ac censeri debeant « membra Ecclesiae Iesu Christi, *hic, inquam, sive doctrinae sive locu- « tionis modus admittendus non est, quanquam dissensio inter catholicos « theologos sit potius in modo loquendi quam in re ipsa* ». Franzelin, de Ecclesia, Thes. II in Corollario. Et infra dicit hunc modum loquendi *parum commodum*, qui *nobis probari non potest*, etc.

Unam secundum quam abstrahit a determinata forma positivae institutionis Christi, prout scilicet eadem semper exstitit ab initio mundi usque nunc, semper colens eumdem Deum in fide eiusdem Mediatoris. Alteram secundum quam includit peculiares conditiones quae ei in Novo Testamento supervenerunt. Priori autem considerationi inhaerere Eximium inde mihi persuadeo, quod de catechumenis loquens dicit: « Neque obstant in contrarium ad-« ducta. Solum enim probant catechumenos non esse de Eccle-« sia, quantum ad eas peculiares conditiones et veluti accidentia « quae Christus Ecclesiae superaddidit, non vero non esse quoad « ea quae sunt quasi de substantia Ecclesiae, quae semper eadem « fuit, quae duo sunt in Ecclesia prout nunc est, distinguenda » (1). Unde, quaecumque superius dixerat de schismaticis et excommunicatis, in eodem sensu non immerito forsitan accipies. Verumtamen, quidquid nunc sit de priori isto respectu sub quo Ecclesiam considerat, minime diffitendum est modum eius dicendi multis subesse incommodis, et non posse omnino admitti, ne magna suboriatur confusio. Certe, nomine corporis Ecclesiae venit apud omnes, compages illa visibilis societatis institutae a Christo. Ad quam duobus modis aliquis pertinere potest: vel voto tantum (quod ad salutem satis est si debitae adsint conditiones), vel re etiam et actu (quod plane requiritur ut quis simpliciter membrum Ecclesiae et dicatur et sit). Atqui, loquendo de his qui actu vinculum visibilis societatis participant, nullus catholicus dixerit solam fidem, praesertim interiorem, esse formam qua corporis unitas constituitur. Liceat ergo in posterum a Suarezii opinione, cuius tota singularitas in verbis est, penitus praescindere.

Quare, ad rem quod attinet, theologi omnes facile convenient in sequenti assertione his generalibus terminis enuntiata: videlicet, *ad rationem membri Ecclesiae requiri et sufficere baptismum simul cum vinculo unitatis fidei et communionis catholicae,* quatenus quisquis baptismo initiatus est, iure saltem et exigentia characteris ad Catholicam semper pertineat; praeterea vero, de facto etiam eidem copuletur, nisi vel haereticus vel schismaticus vel excommunicatus exsistat. Hanc certam atque concordem theologorum sententiam sic declarat Catechismus ad

(1) Suarez, de fide, Disp. 9, Sect. 1, n. 18.

parochos, Part. I, de nono Symboli articulo, n. 9: « Tria tan-
« tummodo hominum genera ab ea (Ecclesia) excluduntur, primo
« infideles, deinde haeretici et schismatici, postremo excommu-
« nicati. Ethnici quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt,
« neque eam unquam cognoverunt, nec ullius sacramenti parti-
« cipes in populi christiani societate facti sunt. Haeretici vero
« atque schismatici, quia ab Ecclesia desciverunt; neque enim
« illi magis ad Ecclesiam spectant, quam transfugae ad exerci-
« tum pertineant a quo defecerunt. Non negandum tamen quin
« in Ecclesiae potestate sint, ut qui ab ea in iudicium vocentur,
« puniantur, et anathemate damnentur. Postremo etiam excom-
« municati, quod Ecclesiae iudicio ab ea exclusi, ad illius com-
« munionem non pertineant donec resipiscant. De caeteris autem
« quamvis improbis et sceleratis hominibus, adhuc eos in Ec-
« clesia perseverare dubitandum non est; idque fidelibus tra-
« dendum assidue, ut si forte Ecclesiae antistitum vita flagitiosa
« sit, eos tamen in Ecclesia esse, nec propterea quidquam de
« eorum potestate detrahi certo sibi persuadeant ».

Consulto autem dixi *sententiam unanimem, generalibus terminis expressam,* quia cum ad determinationem singularum conditionum descenditur, incipiunt opinionum diversitates. Et omnes quidem baptismum requirunt, sed quidam volunt satis esse baptismum etiam mere existimatum, sicut si quis ob aliquam causam occultam invalide suscepisset sacramentum, vel ex falsa praesumptione facti reputaretur accepisse. Rursus, concors est omnium sententia, necessariam esse unitatem fidei et communionis catholicae, eamdemque nonnisi per haeresim vel per schisma vel per excommunicationem amitti. Sed nunc quaeritur quaenam illa haeresis sit, a visibili Ecclesiae corpore hominem excludens: an haeresis etiam occulta, etiam mere interna, an illa tantum quae in externam atque notoriam transit professionem? Item, an quaelibet excommunicatio? De qua adhuc maior ratio dubitandi esse potest, quia quoad excommunicatos, non solum est distinctio inter notorios et occultos, verum etiam inter vitandos et toleratos. In his ergo terminis controversia continetur.

Notandum porro, controversiam hanc nequicquam officere omnimodae certitudini dogmatis de Ecclesia visibilitate; quae quidem certitudo propriis argumentis in superioribus firmata,

manet a multiplicitate sententiarum quae in praesenti proferuntur, prorsus independens.

In primis manet inconcussa visibilitas Ecclesiae Catholicae, in quantum vera Dei Ecclesia est. Visibilitas enim eiusmodi est visibilitas credibilitatis ex notis praecedenter declaratis resultans, qua apparet fide credendum esse quod inter omnes societates religiosas in mundo exsistentes, haec sola legitima est et genuina. Porro ista visibilitas afficit coetum in universali, et non singulos distributive sumptos; nam nemo sane dixerit esse fide divina credibile aut credendum, quod hic vel ille designatus homo sit vere, et non specie tenus tantum, ad Ecclesiam pertinens. Nihil igitur obesse poterunt dubia adhuc exsistentia circa conditiones ad minimum requisitas, ut singulus quisque sociale vinculum vere participet. Et non occurrit ibi etiam apparens difficultas, nisi forte quoad supremum caput a quo tota de integro pendet societas. Sed facile respondetur, ipsum certo innotescere ut verum ac praecipuum membrum Ecclesiae, independenter omnino a sententiis inter theologos nunc agitatis, idque vel ex solis conclusionibus hactenus demonstratis. Nam si verae sunt illae, sequitur plane quod ad infallibilem Dei providentiam pertinebit procurare, ut nulli falso capiti integra adhaereat Ecclesia, et ex consequenti, ut nemo recipiatur in pontificem summum, qui non habet omnes membri conditiones, quaecumque tandem illae sint. Non ergo ullo modo periclitatur visibilitas Ecclesiae ut Ecclesiae verae.

Sed manet etiam in tuto visibilitas Ecclesiae consideratae in ratione societatis, cuius membra sese invicem debent individuatim agnoscere, praesertim in iis quae spectant subordinationem ovium ad pastores. Nam haec visibilitas profecto non exigit ut de nullo dubium esse possit, an pertineat necne ad Ecclesiam, sed satis est ut quoad plerosque habeatur certitudo; eam dico certitudinem quae moralis est, et in praxi apud homines sufficiens. Atqui tales sunt limites quibus continetur theologorum inter se dissensio, ut eiusmodi cognoscibilitas membrorum in nulla sententia absolute tollatur. Caeterum, si qua forte occurreret opinio non satis cohaerens cum praefato visibilitatis principio, in quo tanquam in firmissimo dogmate omnes unanimi confessione conveniunt, non ex opinione infirmaretur dogma, sed magis ex dogmate opinio. Quippe, ubi ad auctoris

cuiuspiam auctoritatem appellas, immerito sane ex iis quae minus consequenter sub opinione ponit, deduceres ipsum recedere a principiis quibus certissime et immobiliter se adhaerere palam profitetur. Solum enim sequitur, logicae regulas non satis forsitan fuisse ab eo observatas.

Ergo omnibus modis, multiplicitas opinionum quae de Ecclesiae membris apud theologos inveniuntur, intactam prorsus atque inconcussam relinquit certitudinem eorum omnium quae hactenus fuerunt demonstrata. Quin imo, omnia principia in secunda potissimum thesi exposita, iure meritoque in praesenti accipi potius possent instar criteriorum, ad diiudicandum quinam inter multos diversa opinantes magis ad veritatem accedere videantur. Et haec quidem semel pro semper annotata velim. Nunc autem statim veniendum est ad declarationem doctrinae, quinque propositionibus comprehensam, quarum prior est, ut sequitur.

THESIS X.

Id quod primo et principaliter requiritur ut quis sit Ecclesiae membrum, est character baptismalis, isque non putative tantum, sed in rei veritate susceptus. Porro tanta est vis huius characteris, ut nisi aliquo ipsius baptizati actu haec eius efficacia impediatur, semper aggreget hominem unitati corporis Ecclesiae Catholicae. Ideo illi omnes qui usum rationis nondum adepti, quocumque tandem modo et a quibuscumque sacramentum baptismatis vere acceperunt, ipso facto inter vera corporis eius membra numerantur.

§ 1.

Baptismum esse ianuam Ecclesiae, seu id quo primo homo admittitur in societatem christianam, id est catholicam [1], documenta tum Scripturae tum perpetuae Traditionis luculenter demonstrant.

[1] Adverte synonymiam terminorum: *societatem christianam, id est catholicam*. Nam societas christiana non est nisi vera Ecclesia Christi, vera autem Ecclesia Christi non est nisi Catholica, ut ex praemissis constat.

Sane Christus ipse praestituit normam secundum quam in suam Ecclesiam homines adunarentur, cum dixit Matth. XXVIII, 19: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Hinc, Act. II-14 dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, et appositae sunt* (Ecclesiae tunc nascenti) *in die illa animae circiter tria millia.* Hinc etiam Paulus aperte exhibet baptismum tamquam initiationem ad Christi corpus quod est Ecclesia: *in uno Spiritu,* inquit 1 Cor. XII-13, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles, sive servi sive liberi.* Et demum, Coloss. II-11, comparat baptismum circumcisioni qua olim populo Dei aggregabantur filii Abrahae secundum carnem: *Circumcisi estis circumcisione non manufacta et exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo* (1).

Idem quoque Patres docent. Nam concors omnium sententia est, catechumenos quantumvis in praeparatione proxima existentes, nondum tamen ad ecclesiasticam societatem pertinere. Sunt adhuc *inserendi Ecclesiae* (2). Sunt *in vestibulo,* quibus adhuc *in ipsam aulam ingredi necesse sit* (3). Hanc veritatem testantur etiam omnes liturgiae. « Assemani in codice liturgico collegit « formulas precum super catechumenos iam credentes et mox « baptizandos, ex diversis ecclesiis, latina, graeca, syra, chal- « daica, armena, coptica, quae omnes in unum conspirant sen- « sum: *Ut renoventur fonte baptismatis et inter Ecclesiae tuae « membra numerentur; tibi in Ecclesia tua gratia baptismatis re- « nascantur; novo Testamento prolem novae sobolis adscribe*: ex « sacramentario Gelasii et Gregorii usque ad recentissimam « recognitionem Pauli V. *Qui ad baptismum sunt dispositi, unias « illos sanctae tuae catholicae Ecclesiae; planta eos in sancta tua « catholica et apostolica Ecclesia; ut inserantur in radice olivae « pinguis, quae est sancta Dei catholica Ecclesia*: apud Graecos « et Coptos et Syros. *Ut sint oves veri Pastoris obsignatae si- « gnaculo Spiritus tui Sancti, et honorabilia membra in corpore « sanctae tuae Ecclesiae; suscipe eos in ovili tuo:* apud Syros, « Chaldaeos, Coptos, Maronitas » (4). Unde tandem expresse

(1) Ita fere Palmieri, de Rom. Pontif., Proleg. § 23.
(2) Greg. Nazianz., orat. 40, n. 16 — Cyrill. Hieros. Procatech. n. 1.
(3) Cyrill., ibid. n. 17 — August., de peccat. merit. et remiss. n. 39.
(4) Franzelin, de Eccles., Thes. 22.

dicitur in decreto Eugenii IV ad Armenos: « Primum omnium « sacramentorum locum tenet sanctum baptisma...; per ipsum « enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae ».

Ratio demum theologica patet, quia ad corpus societatis non pertinet quisquis est omnino extra participationem propriorum bonorum eius. Atqui tales sunt omnes non baptizati; non enim habent ius etiam radicale ad sacramenta aut alia communia Ecclesiae bona, sed ut Dionysius l. de hierarch. eccles. c. 7 ait, « expertes sunt participationis et initiationis omnium sacramen- « torum hierarchicorum, quia ex divina nativitate subsistentiam « nondum acceperunt ». Accedit et argumentum adhuc manifestius, nam etsi societas aliqua habere possit in sua iurisdictione eos etiam qui foris sunt ut transfugae et desertores, nusquam tamen fieri potest ut aliquis intus sit, quin societas in eum propriam possit exercere potestatem. Atqui in omnes non baptizatos nulla est Ecclesiae potestas, nulla iurisdictio, iuxta illud Tridentini, Sess. XIV, cap. 2: « Constat certe baptismi mini- « strum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem « iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam « fuerit ingressus ». Denique in omni societate oportet esse originale aliquod factum quo singulus quisque ad eam initietur et in ea admittatur. Eiusmodi autem factum in Ecclesia nihil aliud esse quam susceptionem baptismatis, semper et ubique est creditum. Nam a suscepto baptismate unusquisque denominatur fidelis ([1]), id est ad Ecclesiam pertinens, et ita quidem ut nulla alia opus sit conditione, uti paulo infra videbimus, nisi per modum removentis prohibens: ne scilicet id quod propria vi sua baptismus natus est efficere, ullo contrario obstaculo impediatur. Bene ergo concludes, primam et fundamentalem conditionem requisitam in Ecclesiae membro, esse baptismum.

([1]) « Interroga hominem, christianus es? Respondet tibi, non sum, « si paganus est aut Iudaeus. Si autem dixerit, sum; adhuc quaeris « ab eo: catechumenus an fidelis? Si responderit, catechumenus, inun- « ctus est, nondum lotus... Ecce modo loquor et fidelibus et catechu- « menis ». Augustinus, Tract. 44 in Ioan. n. 2.

§ 2.

Sed nunc ulterius quaeritur an sit necessarius baptismus valide susceptus, an forte sufficiat baptismus solum existimatus, ut si quis non vere habens baptismi sacramentum, habere tamen reputetur. Dictum est enim supra, quod non desunt aliqui ita opinantes. « Ad hoc ut aliquis sit de corpore Ecclesiae, non « requiri characterem, sed externum baptismum; nec externum « baptismum requiri ut quis censeatur et sit de Ecclesia, sed « tantum ut admittatur. Si quis enim petit admitti ad Ecclesiam, « id non fiet sine baptismo. Tamen si quis dicat se baptizatum, « et non constet contrarium, admittetur ad sacramenta caetera, « et per hoc erit de corpore Ecclesiae. Et signum huius est, « quia si postea innotescat illum non fuisse baptizatum, siquidem culpa ipsius id sit factum, expelletur de congregatione, « nec recipietur nisi post poenitentiam baptizetur. At si non « culpa eius, non repelletur, sed perficietur in eo quod deerat, « nec iudicabitur non fuisse in Ecclesia, sed iudicabitur intrasse « aliunde quam per ordinariam portam ». Ita Bellarminus l. 3 de Eccles. c. 10, qui tamen huic doctrinae non multum fidere videtur. Nam cum occasione solvendae cuiusdam difficultatis eam exposuisset, postea addit aliam responsionem quam dicit meliorem: « Posset tamen, inquit, etiam responderi, *et melius,* eos « qui non sunt baptizati, et tamen habentur pro baptizatis, esse « de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, id est, « putative, non vere. Nec tamen inde sequitur ut Ecclesia sit « invisibilis, etc. ». Et re quidem vera, praefata illa opinio quam Bellarminus tribuit Driedoni, et moderni nonnulli adhuc sequuntur (1), nullo modo videtur posse admitti.

Etenim primo, quoties aliquis actus requiritur ut initiatio ad societatem, requiritur actus non existimatus tantum, neque etiam pure materialis, sed determinate validus. Et ratio est clara, quia actus invalidus est nullus, sicut matrimonium invalide contractum est nullum, et emissio voti invalida est nulla, et in civilibus naturalizatio invalida nequaquam sortitur effectum. Et licet contingat invaliditatem hanc ignorari, non tamen propte-

(1) Palmieri, de Rom. Pont., Prolegom. § 11, n. 4.

rea in rei veritate quidquam efficitur. Quare si postea detegatur vitium, etiam in foro externo reputabuntur nulla fuisse quaecumque ex dicto actu consecuta sunt. Idem igitur nunc dicendum est de baptismo. — Praeterea, quisquis est Ecclesiae membrum, habet verum ius in communia Ecclesiae bona. Hoc enim est de ratione membri in quocumque corpore sociali. Atqui homo non valide baptizatus, quantumvis reputetur talis, non vere esse potest particeps bonorum Ecclesiae, puta sacramentorum. Ergo non vere, sed secundum solam apparentiam est de corpore. — Denique locus iuris canonici, l. 3 Decretal. Tit. 43. cap. *Apostolicam,* quem pro sua sententia afferunt adversarii, nihil concludit. « Presbyterum, ait Innocentius III, quem « sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, « quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis con- « fessione perseveraverit, ab originali peccato solutum et coe- « lestis patriae gaudium esse adeptum adserimus incunctanter. « Lege super octavo libro Augustini de civitate Dei, ubi inter « caetera legitur: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non « contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Librum « etiam B. Ambrosii de obitu Valentiniani idem adserentis re- « volve. Sopitis igitur quaestionibus doctorum, Patrum senten- « tias teneas et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo « offerre iubeas pro presbytero memorato ». Haec, inquam, intentum non demonstrant, quia auctoritas ista facit quidem pro exsistentia baptismi flaminis, cum quo hominem salvari nos etiam incunctanter asserimus, sed quaestionem nullatenus attingit. Revera id tantum declarat Pontifex: defectum sacramenti non impedire salutem in eo qui bona fide putat se fuisse baptizatum, ac per hoc, non afferre in casu ullam rationem dubitandi an putativus ille presbyter fuerit necne, de numero eorum qui cum in gratia decesserint, iuvari possunt per suffragia Ecclesiae. Sed nedum insinuet Innocentius hominem istum ad corpus Ecclesiae re pertinuisse, ipsum potius diserte assimilat catechumenis, sicut apparet ex allatis citationibus Patrum, praesertim vero Ambrosii in oratione funebri Valentiniani Imperatoris qui sine dubio simplex catechumenus obierat.

Obiiciunt tamen: *Nemo scit certo qui sint vere baptizati, tum quia, sacramentum nunquam est validum sine interna intentione ministri, tum quia cum exterior baptismus exhibetur, pauci adsunt*

qui videant. Ergo si ad rationem membri Ecclesiae non satis esset baptismus etiam mere existimatus, iam non sufficienti certitudine constare posset quinam de eius corpore exsistant, et ex consequenti tolleretur visibilitas.

Sed responsio ad hoc argumentum iam fuit in superioribus praeformata. Nempe duplex in praesenti distinguenda est certitudo, sicut et duplex ratio visibilitatis. Est visibilitas quam habere debet Ecclesia ut Ecclesia vera, et est visibilitas quam habere debet in suis membris ut societas simpliciter. Prior equidem eas requirit conditiones quae stricte dictam generent certitudinem, sed in obiectione non tangitur, quia afficit coetum in communi, et habetur per notas seu signa credibilitatis. His namque innixi, certo iudicamus esse prudenter fide divina credendum quod Ecclesia Romana est legitima Ecclesia Christi, et quod ex consequenti constat hominibus vere baptizatis, siquidem instituit Christus ut per verum baptismum copularetur sibi sanctae Ecclesiae corpus. Sed praedicta credibilitatis evidentia aut fidei certitudo nequaquam respicit singula in particulari individua, quia adhuc verum erit Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam veram, hominibusque constare vere baptizatis, etiamsi inter eos qui ad eam censentur pertinere, nunnulli admisceantur qui charactere baptismali putative tantum insigniti, *nonnisi apparenter etiam* in unitate corporis exsistant.

Hinc, vel argumentum adversariorum extra quaestionem est, vel non tangit nisi visibilitatem illam quae in Ecclesia esse debet sicut in omni alia humana societate, quatenus scilicet requiritur ut socii sint sibi invicem *in individuo* cognoscibiles, et certo quidem cognoscibiles. At vero, certitudo hic necessaria non amplius est certitudo stricte sumpta, non certitudo fidei, non certitudo etiam simplicis credibilitatis, sumendo credibilitatem in sensu theologico vocabuli. Sed satis est certitudo in humano commercio sufficiens, id est, excludens omne dubium quod in ordine ad praxim ut prudens habeatur (1). Hoc autem modo accipiendo certitudinem, omnino negandum est quod certo sciri

(1) De supremo capite quod in sua individualitate essentiale est Ecclesiae, nunc non agitur. Ipse enim pertinet ad priorem considerationem visibilitatis, ut notatum est supra, in huius Quaestionis prolegomeno. Vide ibi dicta.

non possit qui sint vere baptizati. Nec obstat necessitas internae intentionis in ministro, prout satis superque declaratum est in proprio loco, ubi de sacramentis in communi (1). Et universim loquendo, omnis ratio quam nunc in contrarium afferres, facile retorqueretur contra visibilitatem aliarum societatum, puta societatis domesticae; nam pauci etiam adsunt qui videant quando matrimonium contrahitur, et necessarius etiam est ad verum matrimonium tam ut sacramentum quam ut in purum naturae officium, internus duorum contrahentium consensus. Nemo tamen propterea dixerit societatem domesticam esse invisibilem.

Cave igitur ne confundas duplicem certitudinem quam importat et exigit duplex Ecclesiae visibilitas. Una est speculativa in ordine ad id quod fide divina credendum est; altera est practica in ordine ad socialem conversationem. Prior respicit collectivitatem in communi; posterior vero respicit singulos in individuo. Et quoad istos visibilitas manet in tuto, si conditiones membri Ecclesiae sint tales, ut pro modo quo res apud homines communiter procedere consueverunt, in exteriori apparentia et existimatione nequaquam esse possint quin *regulariter et ordinarie loquendo*, in rei etiam veritate constent. Et tamen, cum adhuc locus sit casuali et extraordinariae exceptioni, per accidens contingere potest ut quidam *in sola apparentia* ad visibile Ecclesiae corpus pertineant.

§ 3.

Sic igitur, in veris Ecclesiae membris non existimatus tantum, sed verus character baptismalis exigitur. At nunc ultima se offert quaestio, an ita exigatur ut etiam sufficiat. Cui quaestioni respondendum est quod sufficit quantum est de se, id est, modo nihil sit quo vis eius aggregativa ad visibilem Ecclesiae unitatem contrarietur.

Et probatur primo ex documentis supra allatis. Nam baptismus est id *per quod de corpore efficimur Ecclesiae,* ait Eugenius IV in decreto ad Armenos, iuxta perpetuam atque concordem SS. Patrum sententiam. Si ergo haec est nativa baptismi

(1) Cf. Tom. 1 de Sacram. Quaest. 64.

vis, quotiescumque non invenit prohibens, ipso facto dictum effectum habet sibi coniunctum. — Probatur secundo ex natura characteris baptismalis, prout fuit declarata in tractatu de Sacramentis, Qq. 63 et 64. Est enim baptismalis character deputatio ad cultum divinum in religione christiana. Rursus, religio christiana nihil aliud est quam Ecclesia Catholica, cum extra Catholicam esse possint corruptiones christianismi, genuinus et verus christianismus esse non possit. Ergo quisquis characterem accipit baptismalem, is devincitur corpori Ecclesiae Catholicae quantum est ex vi characteris. Et quia nulla personalis seu dispositio seu variatio impedire potest quin baptizatus homo *iure saltem et debito* ad Catholicam pertineat, ideo in omnes prorsus baptizatos Ecclesia semper habet et servat potestatem. Quia vero aliqua personalis conditio est quae non compatitur *aggregationem facti* ad socialem unitatem, propterea extra Ecclesiam multi baptizati de facto exsistunt. Id tamen nunquam erit nisi ratione alicuius impedimenti contrariantis naturale consectarium characteris, atque idcirco semper verum est dicere quod baptismus sufficit ut causa directa ad constituendum verum Ecclesiae membrum; nam si quid aliud requiritur, non requiritur nisi ad removendum prohibens.

Hinc ultro sequitur ultima propositionis assertio. In iis namque qui usum rationis nondum habuerunt, sicut nulla esse potest causa impediens gratiam quae est res sacramenti, sic etiam non potest esse causa impediens id quod character sponte sua secum affert, videlicet incorporationem in visibili populo Dei. Nec refert a quo vel inter quos sacramentum susceperint, puta inter haereticos vel schismaticos, ab haereticis vel schismaticis ministris. Nam baptismus unus est, cuius efficacia a qualitate baptizantis nullo modo pendet. Est insuper ex sua institutione proprium Ecclesiae Catholicae bonum, ita ut quisquis illum administrat, bonum huius Ecclesiae administret, eiusdemque minister exsistat vel regularis vel irregularis, quin hoc pendeat ab intentione hominum, modo adsit intentio requisita ad valorem sacramenti. Quare, quicumque assignentur baptismi effectus, hi nunquam impediri possunt per factum aut conditionem ministri, sed per solam habitudinem subiecti, si forte sua personali dispositione iisdem repugnet. Atqui, ut per se apparet, eiusmodi contraria habitudo nequaquam esse potest in eis qui nunquam

rationis usum sunt consecuti. In eis igitur baptismus omnes suos effectus infallibiliter habet, non solum quoad iustificationis gratiam, verum etiam quoad *incorporationem* ad Ecclesiam. Sed haec fuse exposita sunt in tractatu de sacramentis in communi et de baptismo in specie; vide ergo ibi dicta (1). Nunc de adultis specialis esse debet consideratio.

THESIS XI.

Licet character baptismalis sit de se sufficiens ad incorporandum hominem verae Ecclesiae Catholicae, nihilominus ad hunc effectum requirit in adultis duplicem conditionem. Et prima quidem conditio est ut non impediatur sociale vinculum unitatis fidei per haeresim formalem aut etiam mere materialem. Verumtamen quia huiusmodi impedimentum illa sola haeresis affert, quae in apertam professionem transit, dicendum est solos notorios haereticos a corpore Ecclesiae excludi.

Notanda in primis propria haereseos ratio. Iuxta etymon vocis et cohaerentem totius traditionis sensum, haereticus ille proprie dicitur, qui post susceptam in baptismatis sacramento christianitatem, non accipit ab Ecclesiae magisterio regulam credendorum, sed *aliunde eligit sibi normam sentiendi de rebus fidei et doctrina Christi:* sive alios sequatur religionis doctores et magistros, sive inhaereat principio liberi examinis, omnimodam rationis independentiam profitendo, sive demum discredat etiam unum solum ex articulis qui ab Ecclesia tanquam fidei dogmata proponuntur.

Vide ergo quid distet inter infidelitatem et haeresim. Nam primo, infidelitas in communi potest esse in quocumque homine usum rationis habente, haeresis autem non consideratur nisi in eo qui accepit fidei sacramentum, id est, baptismalem characterem (2). Praeterea, ratio infidelitatis communiter dictae absolvi-

(1) Tom. 1 de Sacramentis, Quaest. 64 et 69.

(2) De haeresi dicit S. Thomas 2-2, Quaest. 11, a. 1: « A rectitu-« dine fidei christianae dupliciter quis potest deviare. Uno modo, quia « ipse Christo non vult assentire, et hic habet malam voluntatem circa

tur per hoc quod quis discredit revelata a Deo, utcumque sufficienter proposita. Ratio vero haeresis determinate addit recessum a sociali magisterio quod fuit divinitus constitutum, ut esset in coetu christianorum organum authenticum ad proponendam revelationem. Hinc tertio, infidelitas in cummuni opponitur fidei divinae, praescindendo a quacumque speciali conditione. Haeresis vero opponitur eidem fidei prout peculiari modo in christiano esse debet sub regimine et dependentia illius auctoritatis, cuius est vice Dei societatem credentium gubernare.

Dividuntur autem haeretici in formales et materiales. Formales illi sunt, quibus Ecclesiae auctoritas est sufficienter nota; materiales vero, qui invincibili ignorantia circa ipsam Ecclesiam laborantes, bona fide eligunt aliam regulam directricem. Materialibus igitur haereticis non imputatur haeresis ad peccatum, imo nec necessario deest supernaturalis illa fides quae totius iustificationis initium est et radix. Forte enim credunt explicite principales articulos, caeteros vero non explicite sed implicite, per dispositionem animi et bonam voluntatem adhaerendi iis omnibus quae sibi sufficienter proponerentur ut á Deo revelata. Proinde adhuc possunt pertinere voto ad Ecclesiae corpus, et alias habere conditiones requisitas ad salutem. Nihilominus, quod attinet ad realem incorporationem in visibili Ecclesia Christi de qua nunc sermo, thesis nullum ponit discrimen inter hae-

« ipsum finem. et hoc pertinet ad speciem infidelitatis paganorum et « Iudaeorum. Alio modo per hoc quod intendit quidem Christo assen« tire, sed deficit in eligendo ea quibus Christo assentiat, quia non « eligit ea quae sunt vere a Christo tradita, sed ea quae sibi propria « mens suggerit, et ideo haeresis est infidelitatis species pertinens ad « eos qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt ». Super quo dubium occurrit novitiorum, ait Caietanus in Commentario. quia non videtur verum quod haeresis constituatur per hoc quod, supposita adhaesione ad Christum, erretur in his quae sunt dicta ab ipso, quoniam contingit Christianum recedere a fide ipsius Christi, et totam revelationem respuere. Talis est haereticus, et tamen non supponit voluntatem Christo assentiendi. « Sed ad hoc dicitur quod assentire « Christo contingit dupliciter, scilicet actu mentis vel professione cha« racteris christiani. Ad haeresim licet saepe concurrere videatur pri« mum, non tamen est de ratione eius, sed sufficit secundum, scilicet « quod charactere fidei in baptismo suscepto Christum profiteatur ».

reticos formales vel materiales, omnia sane intelligendo iuxta mox declaratam haeresis materialis notionem, quae etiam sola est propria et genuina. Nam si per materialem haereticum intelligeres eum qui profitens se in rebus fidei a magisterio Ecclesiae pendere, adhuc tamen negat aliquid definitum ab Ecclesia quia nescit fuisse definitum, aut ideo tenet contrariam catholicae doctrinae sententiam quia falso reputat eam doceri ab Ecclesia, sic profecto absurdum esset ponere haereticos materiales extra verae Ecclesiae corpus, sed sic etiam omnino perverteretur legitima vocis acceptio. Nam tunc tantum peccatum materiale esse dicitur, quando materialiter ponuntur ea quae sunt de ratione talis peccati, seclusa advertentia aut deliberata voluntate. Nunc autem de ratione haereseos est recessus a regula ecclesiastici magisterii, qui in casu nullus est, cum sit simplex error facti circa id quod regula dictat. Et ideo, ne materialiter quidem haeresi locus esse potest.

Cum ergo in ordine ad praesentem quaestionem nihil referat an formalis vel materialis haereticus quis exsistat, magis attendenda est alia divisio in haereticos occultos et notorios. Occulti autem ii in primis dicuntur, qui actu tantum interno discredunt dogmata fidei ab Ecclesia proposita, tum illi qui signis quidem externis haeresim manifestant, at non publica professione. Quos inter, multos nostris diebus versari facile intelliges : dubitantes scilicet de rebus fidei vel positive dissentientes, suamque animi dispositionem in privato vitae commercio non dissimulantes, quamvis Ecclesiae fidem nusquam ex professo abdicaverint, et cum categorice de sua religione interrogantur, sponte sua sese catholicos declarent (1). Occultos porro haereticos nullo modo ad veram Ecclesiam pertinere, plures tenent theologi, et inter recentissimos Cardinalis Franzelin, de Eccles. Thes. 22. « Nos ta-« men, inquit Bellarminus (2), modum loquendi plurium sequi-

(1) Nota discrimen inter haeresim notoriam, et haeresim quae sufficit ad incurrendum excommunicationém Bullae *Apostolicae Sedis*. Nam ad incurrendam excommunicationem satis est quaelibet manifestatio exterior, etiam in occulto facta, animo errorem profitendi. Sed de excommunicatione et effectibus eius in ordine ad praesentem quaestionem, dicetur in propositione sequenti.

(2) Bellarm. de Eccles. l. 3, c. 10.

« mur, qui docent eos qui sola externa professione coniuncti « sunt fidelibus caeteris, esse veras partes exteriores, atque adeo « etiam membra, licet arida, corporis Ecclesiae. Vide Thomam « Waldensem, tom. 1, l. 2, c. 9 et 11; Ioannem Driedonem, l. 4 « de ecclesiasticis scripturis et dogmatibus, c. 2; Petrum Soto in « confessione catholica quam opposuit confessioni Wirtember- « gensi, cap. de Ecclesia et cap. de Conciliis; Hosium Cardina- « lem, l. 3 contra prolegomena Brentii, et Melchiorem Canum. « l. 4 de locis theologicis, c. ult. ad argumentum 12 ». Et huic sententiae, quae longe communior est, omnino subscribendum esse censemus. Sed, ut claritati consulatur, declarandum in primis erit id quod in confesso est apud omnes: notorios haereticos ab Ecclesiae corpore excludi. Postea vero, id quod a quibusdam negatur: solos scilicet excludi notorios, non autem occultos, in quorum numero ii etiam ponendi videntur, qui etsi externe contra fidem peccantes, nusquam tamen a regula ecclesiastici magisterii publica professione recesserunt.

§ 1.

Prioris assertionis demonstratio generalis sumi potest ex praemissis de Ecclesiae unitate. Si enim, ut Quaest. 3 probatum est, unitas professionis fidei, eaque dependens a visibili regula viventis magisterii, est essentialis proprietas qua Ecclesiam suam in perpetuum ornatam esse voluit Christus, manifeste sequitur quod pars Ecclesiae nequaquam esse possunt qui aliter profitentur ac docet eius magisterium. Iam enim esset divisio in fidei professione, et divisio contradictorie opponitur unitati. Sed notorii haeretici ii sunt qui professione sua non sequuntur regulam magisterii ecclesiastici. Ergo obicem habent quominus Ecclesiae aggregentur, et quamvis charactere baptismali insigniti, de visibili eius corpore vel nunquam fuerunt, vel esse desierunt ex quo palam post baptisma heterodoxi facti sunt.

Specialia autem argumenta ex Scriptura, Conciliis, et Patribus affert Bellarminus l. 3 de Eccl. c. 4. « Primo hoc Scriptura « indicat, cum ait 1 Tim. I-19: *Quidam circa fidem naufragave-* « *runt.* Quo loco per metaphoram naufragii intelligit haereticos, « fracta una parte navis Ecclesiae, ex ea in mare decidisse. Quod « etiam significatur illa parabola Domini de reti quod prae mul-

« titudine scindebatur, Luc. V. Praeterea, Tit. III-10 : *Haereti-*
« *cum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens*
« *quia subversus est qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio*
« *iudicio condemnatus.* Ubi Apostolus episcopo praecipit ut hae-
« reticum vitet, quod certe non iuberet si esset intra Ecclesiam ;
« debet enim pastor non vitare, sed curare eos qui ad suum
« gregem pertinent. Et addit rationem, quia talis pertinax hae-
« reticus est proprio iudicio condemnatus, id est, ut Hieronymus
« exponit, non est eiectus ab Ecclesia per excommunicationem
« ut multi alii peccatores, sed ipse seipsum ab Ecclesia eiicit.
« — Secundo probatur hoc idem ex can. 8 et 9 Concilii Nicaeni,
« ubi haeretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redire ve-
« lint, cum certis tamen conditionibus. — Tertio ex Patribus.
« Irenaeus l. 3, c. 3 dicit Polycarpum multos haereticos ad Ec-
« clesiam convertisse ; ex quo sequitur eos antea fuisse de Ec-
« clesia egressos. Tertullianus l. de praescriptionibus dicit Mar-
« cionem, cum ad Ecclesiam redire vellet, conditionem accepisse
« ut caeteros quos perverterat, Ecclesiae restitueret. Cyprianus
« in epistola ad Iubaianum dicit haereticos, cum sint extra Ec-
« clesiam, tamen vindicare sibi Ecclesiae auctoritatem more si-
« miarum, quae cum homines non sint, tamen homines vîderi
« volunt. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianus circa finem :
« *Sicubi audieris*, inquit, *eos qui dicuntur Christi, non a Domino*
« *Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, utputa Marcioni-*
« *tas, Valentinianos, Montenses sive Campenses, scito non Eccle-*
« *siam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Augustinus l. 4,
« contra Donatistas c. 10, dicit interdum accidere ut haereticus
« foris exsistens non agat contra Ecclesiam, et catholicus intus
« exsistens, contra Ecclesiam agat, etc. ». Sed in re adeo mani-
festa supervacaneum esset multa congerere testimonia. Solum-
modo observandum occurrit, plerasque auctoritates allatas, de
formalibus haereticis esse ; nec mirum hoc videri debet, quia in
unoquoque genere consideratur potissimum id quod est per se,
et non per accidens tantum. Verumtamen et ipsos haereticos
materiales extra visibile Ecclesiae corpus versari satis docent
Patres, cum excludunt omnes qui ab haeresiarchis seducti ad eo-
rum congregationes utcumque pertinent, nullo discrimine facto
inter eos qui sceleris participes exsistunt, et eos qui bona for-
sitan fide alienos istos sequuntur.

At contra praedicta obiicies primo: *Ecclesiae proprietas est sanctitas, non secus ac unitas. Sed ratione sanctitatis, ab Ecclesiae gremio non excluduntur mali etiam notorii. Ergo nec ratione unitatis, haeretici.*

Respondeo negando paritatem. Nam sanctitas membrorum de qua hic sermo, immediate afficit personas individuas, et iis mediantibus denominat societatem cuius principiis et ministerio refertur accepta. Unitas autem immediate respicit collectivitatem ipsam, a qua divisionem removet quoad fidei professionem. Porro mali in Ecclesia exsistentes non impediunt quin adhuc habeat sanctos, eam vere denominantes. At haeretici, si intus essent, formaliter tollerent indivisionem coetus quae est de conceptu unitatis, et ideo non sequitur conclusio argumenti.

Dices secundo: *Tempore haeresis Iansenianae plures erant episcopi palam appellantes a Bulla Unigenitus, caeterisque vel anterioribus vel posterioribus Constitutionibus Pontificiis in tota Ecclesia receptis. Hi ergo erant notorii haeretici. Quo tamen non obstante, adhuc tenebantur ut veri episcopi habentes communionem cum Sede Apostolica, atque adeo ut vera Ecclesiae membra. Falsum igitur est quod haeresis etiam notoria ponat hominem extra Ecclesiae corpus.*

Respondeo Iansenistas fuisse prae caeteris haereticis feraces omnis generis subterfugiorum ad eludenda Ecclesiae anathemata, eo scilicet fine ut sese modis omnibus dissimulantes, virus suae doctrinae efficacius diffunderent. Et ideo non mirum si in tanta artificiorum calliditate, de notorietate haereseos quorumdam non ita liquido apud coaetaneos constare potuerit. Generatim tamen distinguere oportet oppositionem contra constitutiones pontificias respicientes factum dogmaticum de sensu libri Iansenii, et oppositionem contra constitutiones doctrinam catholicam directe definientes. — Qui insidiose contendebant recipiendam quidem esse condemnationem propositionum, sed falso eas attribui Iansenio, nondum ex hoc capite *notorii haeretici* erant. Ratio est quia etsi certissima sit Ecclesiae infallibilitas in definiendis factis dogmaticis, certissima pariter obligatio adhaerendi definitioni per internum mentis assensum, et non per merum silentium obsequiosum, nihilominus eiusmodi definitiones, aut non sunt propriissime definitiones fidei, aut saltem ut tales nondum sufficienter innotuerunt. Nam praeterquam quod usque nunc controvertitur

inter theologos an sit *de fide,* Ecclesiam esse infallibilem in his iudiciis proferendis, disputatur maxime de ratione assensus qui eis debetur : an scilicet debeatur assensus fidei divinae, cui soli directe opponitur haeresis, an tantum fidei (ut aiunt) ecclesiasticae. Unde *notorius haereticus* nondum dici potest qui contra nititur, quamvis gravissimi peccati reatum non effugiat, et haeresi saltem proximus noscatur exsistere (1). — Nunc autem, postquam pauci illi episcopi *appellantes,* longius progressi, Constitutionem *Unigenitus* unanimi consensu velut regulam fidei in Ecclesia receptam, palam et pertinaciter et sine ambagibus respuere inceperunt, tunc etiam incepit haeresis eorum esse notoria ; sed ex tunc quoque desierunt haberi ut veri et legitimi episcopi. Quin et expresse, prout ratio temporum ferebat, denuntiati sunt tanquam extra communionem catholicam exsistentes ; de quo fidem faciunt acta Concilii Embrodunensis, et praesertim Bulla Clementis XI *Pastoralis officii.*

Dices tertio : *In parabola de zizaniis, Matth. XIII, in eodem agro inveniuntur tritico permixta zizania, quibus significantur haeretici. Ager autem est Ecclesia, ut docet Cyprianus, et post eum Augustinus passim.*

Respondeo quod scopus parabolae est ostendere, semper futuros in mundo et in Ecclesia aliquos malos, nec posse ulla humana diligentia purgari aream ante iudicii diem. Non ergo de haereticis specialiter est sermo, sed de malis, quicumque illi sint ; nam Dominus parabolam exponens ait zizania esse filios nequam, et illos omnes qui tandem in ignem aeternum deiicientur. Quare, dum zizania dicuntur permixta tritico, diversus permixtionis modus intelligendus est, secundum quod, vel haereticis vel aliis quibusvis malis parabola applicatur. Nam mali permiscentur bonis, etiam societate unius Ecclesiae, haeretici vero societate, non unius Ecclesiae, sed solius nominis christiani, ut Augustinus dicit Qq. in Matth. c. 2.

Dices denique quarto : *Haereticos Ecclesia iudicare et punire potest. Igitur sunt intus, nam : Quid mihi, inquit 1 Cor. V-12, de iis qui foris sunt iudicare? Praeterea haeretici retinent characterem baptismi et sacerdotii, igitur sunt christiani et sacerdotes.*

Respondeo : « Haereticos, licet non sint de Ecclesia, tamen

(1) De his dicetur infra, ubi de Ecclesiae magisterio.

« debere esse, et proinde ad eam pertinere ut oves od ovile « unde fugerunt ; sicut solet dici, ista ovis est illius ovilis, quando « tamen vagatur extra ovile. Potest autem Ecclesia iudicare de « iis qui reipsa intus sunt, vel certe esse debent. Sicut pastor « revera potest ovem quae extra ovile errat per montes, cogere « iterum ad ovile, et imperator potest desertorem militiae qui « transfugit ad castra hostium vi cogere ad sua castra, aut etiam « suspendere. Apostolus autem loquitur de iis qui ita foris sunt, « ut nunquam fuerint intus. Et ad illud de charactere dico, hae- « reticos retinere extra Ecclesiam characteres illos indelebiles, « sicut retinent oves perditae characterem inustum in dorso, et « desertores militiae signa militaria » ([1]). Certissimum igitur sit, notorios haereticos esse foris. Sed nunc de occultis superest specialiter inquirendum, et quod isti non debeant aliis annumerari, ex sequentibus apparebit argumentis.

§ 2.

Haereticos occultos adhuc esse de Ecclesia, potest in primis ostendi ratione deducta ex generali principio quod supra fuit declaratum. Nam baptismus suapte natura aggregat hominem visibili corpori Ecclesiae Catholicae, huncque effectum semper habet sibi coniunctum, nisi in subiecto baptismi adsit prohibens, id est, aliquid incompossibile cum sociali vinculo ecclesiasticae unitatis. Porro vinculum sociale in quantum huiusmodi, de sui ratione externum est atque notorium. Quamdiu igitur haeresis in aperta professione non est, sed adhuc sistit in mente, vel iis continetur manifestationibus quae ad notorietatem non sufficiunt, minime excludit coaptationem ad visibilem Ecclesiae compaginem, ac per hoc necesse est ut baptismalis character (per quem *efficimur de corpore Ecclesiae*), suam adhuc vim exserat, aut potius suum retineat naturale consectarium, quod nullo adhuc contrario impeditur vel expellitur.

Idem etiam suadet diserta Scripturae auctoritas, 1 Ioan. II, 18-19 : *Et nunc antichristi multi facti sunt.... Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Certe hoc loco Ioannes de haereticis loquitur,

([1]) Bellarminus, de Eccles. l. 3, c. 4.

quos antichristos vocat; aitque eos de Ecclesia exivissẽ, de qua iam non erant priusquam exirent. In quo quidem aliqua contradictionis species obtenditur. Quomodo enim exiret de domo qui intus non erat, aut quomodo intus erat qui de domo non erat? Sed facile respondetur haereticos illos ante suum discessum non fuisse de Ecclesia secundum praeparationem animi, propter haeresim quam apud se iam conceperant. Adhuc tamen de ea fuisse vinculo communionis, propter professionem catholicitatis quam exterius habebant. Unde sequitur eos, non obstante haeresi occulta quamdiu fuit occulta, mansisse in corpore, a quo non fuerunt praecisi nisi postquam se prodiderunt, et in apertam defectionem proruperunt (1). Hinc Augustinus inter zizania quae frumentis sunt permixta in visibili communione Ecclesiae catholicae, ponere solet etiam eos qui nondum inventis occasionibus foras exeundi, *pseudochristiani sunt et antichristi* (l. 3 de bapt. n. 26): qui si occasiones desint, *usque in finem maligno errore perdurant* (l. 4 de Bapt. n. 26); *qui irrident christianum nomen,* et *simulato corde intrant Ecclesiam,* nam *propterea volunt esse christiani, ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt quos timent* (de catechizandis rudibus, n. 26). His porro et similibus locutionibus homines non vere in animo credentes significari non dubium est, praesertim quia paulo infra expresse opponuntur aliis qui et ipsi computantur inter zizania, quamvis meliori spe, videlicet: non amplius propter defectum internae fidei, sed solum quia *in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis quam illi qui non colunt Deum; ideoque cum viderint quosdam sceleratos et impios ista saeculi prosperitate pollere et excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur tamquam sine causa Deum colant, et facile a fide deficiunt* (de catechiz. rud., ubi supra). Cum autem dicit idem ipse Augustinus praefatos occultos haereticos videri esse in Ecclesia, non significat, ut bene Bellarminus advertit (2), eos non esse revera, sed non esse eo modo quo esse videntur. Videntur enim esse uniti interna et externa coniunctione membris caeteris, et tamen non sunt uniti

(1) Vide omnino Augustinum, Tract. 3 in epistolam Ioannis, et l. 3 de baptismo n. 26, et Tract. 61 in Ioan. n. 2.

(2) L. 3 de Eccles. c. 10.

nisi coniunctione externa. Nam si revera nullo modo essent intus, sed tantum esse viderentur, pari ratione non vere exirent quando aperte se produnt, sed exire viderentur. Augustinus autem dicit, *inventis occasionibus foras exeunt*, et addit eos esse separatos quidem, etiam antequam exeant, sed *ab invisibili charitatis compage*, non ab externa Ecclesiae communione (l. 3 de bapt. n. 26). Eiusdem quoque sententiae est Gregorius Magnus, l. 13 Moral. c. 4, ubi in Ecclesia dicit esse quosdam fidem simulantes, quia huius mundi potestatibus eamdem fidem honori esse conspiciunt: *Qui de aeternitatis promissione diffidunt, et tamen se fideles esse mentiuntur, sed cum malitiae* (persecutionis) *tempus eruperit, is qui nunc metuens derogat ad contradicendum, ante faciem venit, quia verbis verae fidei apertis vocibus obsistit.* Si autem iuxta cohaerentem Scripturae sententiam Patrum, ad Ecclesiae corpus pertinere dicendi sunt occulti illi haeretici qui hypocrisi dissimulant, quanto magis ii qui nullo huiusmodi crimine contaminantur, sed potius bona intentione ab aperta professione haereseos abstinent, ne scilicet apostasiam quam eorum conscientia damnat, ad extremum usque perducant.

Accedit tandem aliud argumentum. Nam quisquis extra corpus Ecclesiae versatur, ipso facto omnis ordinariae iurisdictionis, puta episcopalis, incapax efficitur [1]. Ratio est quia qui iurisdictionem habet ordinariam seu vere episcopalem, capitis obtinet dignitatem, et nemo esse potest caput particularis etiam ecclesiae, si Ecclesiae membrum non sit. Quod enim unquam fuit caput, quod non fuerit membrum? nam etsi non omne membrum caput exsistat, omne tamen caput membrum est. Hinc, si haeresis occulta hominem poneret extra Ecclesiam, toties de legitimitate et auctoritate pastorum dubitari posset, quoties de interna eorum fide moralis certitudo non haberetur. Sed absit ut tale ac tantum inconveniens, quo omnis relaxaretur nervus disciplinae, Christi institutio ferat. Neque in hoc probabilibus solum utimur argumentis, quia diserte ac signanter edocemur episcopum ratione haereseos non amittere propriam ligandi ac solvendi potestatem, nisi ex quo haeresim praedicat et palam profitetur. Qua

[1] Nota quomodo consulto dicatur, omnis *ordinariae* iurisdictionis; nam de extraordinaria et mere delegata in casu necessitatis non est eadem ratio, ut facile consideranti apparebit.

de re inter alia documenta exstat epistola Caelestini Papae ad clerum et populum Constantinopolitanum in causa Nestorii, ubi primum hortatur Pontifex catholicos ut pro fide fortiter certent, aerumnas patienter ferant, nec timeant exsilia: « Christianorum « nullus, inquit, illatum sibi temporale deflere debet exsilium, « quia eorum nemo exsul est Deo. Timeamus ne e regione vi- « vorum, hoc est illa quam nostram patriam esse volumus, ex- « sulemus. Illud est nostrum, illud perpetuum, illud aeternum. « Nostrum enim non est unde transitur, sed illa vere nostra, « quae spes certissima pollicetur ». Tum irritam declarans sententiam qua Nestorius nonnullos vel gradu suo vel fidelium communione deiecerat, pergit: « Ne tamen vel ad tempus, eius vi- « deatur valere sententia, qui in se iam divinam sententiam pro- « vocarat, aperte Sedis nostrae sanxit auctoritas, nullum sive « episcopum sive clericum seu professione aliqua christianum « qui a Nestorio vel eius similibus, *ex quo talia praedicare coe- « perunt,* vel loco suo vel communione deiecti sunt, vel eiectum « vel excommunicatum videri. Sed hi omnes in nostra commu- « nione et fuerunt et usque nunc perdurant, quia neminem vel « deiicere vel removere poterat *qui praedicans talia titubabat* » [1] Vides igitur, episcopum qui est in occulto haereticus, adhuc ligandi et solvendi pollere potestate, quandoquidem ab eo tantum tempore quo haeresim palam praedicare incipit, episcopalem amittit iurisdictionem et potestatem excommunicandi. Porro conclusio in promptu est. Nam si is qui non est in Ecclesia, non potest habere auctoritatem in Ecclesiam, et haereticus occultus habere potest, imo aliquando re ipsa habet, aperte sequitur quod haereticus occultus nondum est ab Ecclesiae corpore praecisus.

Dices primo, *fidem esse Ecclesiae formam, a qua omnia eius membra proprio nomine fideles nuncupantur; ergo quisquis fidem non habet, de Ecclesia non est.*

[1] Caelestinus Papa, epist. 14, n. 7 (Migne, Patr. Lat. Tom. 50). — Vide etiam epist. 12 eiusdem Caelestini ad Ioannem Antiochenum, n. 2: « Si quis vero ab episcopo Nestorio aut ab iis qui eum sequuntur, « *ex quo talia praedicare coeperunt*, vel excommunicatus vel exutus est « seu antistitis seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et du- « rasse et durare manifestum est, etc. ».

Respondeo, formam visibilis corporis Ecclesiae non esse fidem sic et simpliciter, sed fidei catholicae professionem in baptismi sacramento susceptam. Si enim aut a fide interna aut a qualicumque confessione doctrinae Christi sumeretur *fidelis* appellatio, nomine fidelium venirent etiam catechumeni, imo et qui errore invincibili inter haereticas sectas versantur; quod tamen iuxta receptam usu ecclesiastico nominis significationem, prorsus falsum est.

Itaque, sicut homines vulgo denominantur a visibili professione ad quam sunt admissi, ita nunc membra Ecclesiae appellantur fideles a professione fidei christianae catholicae quam in baptismo ex officio susceperunt, et nusquam contrario actu palam abdicaverunt. Quia vero hae omnes conditiones in occultis etiam haereticis verificari possunt, ideo inter fideles, prout nunc de fidelibus loquimur, iure meritoque annumerari debent.

Nec opponas quod si res ita se habet, Ecclesia quae societas fidelium dicitur et est, simillimam referet imaginem congregationis hypocritarum. Absurditas enim illationis multiplici ex capite apparet. Aliud quippe est quod appellatio *fidelis* sumatur a professione externa, aliud vero quod haec ipsa externa professio possit esse apud omnes, aut etiam apud plerosque, absque interna dispositione consentanea professioni. Et certe, sive naturam rei attendas, sive promissiones Christi consideres, videbis hoc alterum omnino esse non posse. Nam naturaliter etiam fieri nequit ut in ingenti illo corpore Ecclesiae catholicae una sit fidei professio, praesertim firma et constans et indestructibilis, nisi in potiori et principali parte oriatur a principio prorsus intrinseco. Et adhuc maior impossibilitas venit ex assistentia et specialissima providentia Dei quam testimonia in prima parte allata luculenter demonstrant. Quare omnibus modis, id est, tam certitudine naturali quam certitudine fidei certi efficimur quod Catholica Ecclesia hominibus constat vere credentibus, quamvis in visibili eius communione plures etiam contineantur quorum interna dispositio externae professioni conformis non est.

At vero, diligenter quoque observabis quod immerito plane omnes occulti haeretici de quibus nunc agimus, hypocritarum nomine censerentur. Hypocrita enim non dicitur nisi qui animo simulandi, aliter se exterius fingit ac reipsa est. Nunc autem ab huiusmodi infamia longissime abest, quisquis ideo abstinet a

profitendo exterius haeresim quam habet in corde, ne maioris delicti reus exsistat, vel ne rumpat ultimum vinculum quo Ecclesiae sui baptismatis adhuc religatur. Porro, in horum numero plerosque occultos haereticos nunc temporis versari, facile intelliges.

Dices secundo: *Unitas fidei quae visibili corpori Ecclesiae est essentialis, quaedam esse debet unitas intellectuum, ut supra dictum est, Quaest. III, in praeambulo. Sed talem unitatem professio externa non importat. Ergo quisquis solam professionem externam habet, non participat essentialem unitatem corporis Ecclesiae, et ex consequenti verum eius membrum minime esse potest.*

Respondeo: **neg. min.**, quia non sic accipienda est professio externa, quasi ex intellectu et voluntate non procederet. Et sane, qui externe eamdem profitentur fidem, concordem habent animum saltem quoad professionem ipsam. Praeterea, professio exterior necessario coniungitur in plerisque cum fide interiori. In caeteris vero est de se quoddam medium ad illam, tum propter communicationem cum vere credentibus quorum influxus suam habet efficaciam, tum quia iuxta legem humanae naturae consentaneam, quidquid in professione est, proprio veluti pondere sternit sibi viam ut sit et in animo.

Dices denique tertio: *In Bulla « Ineffabilis », statim post definitionem dogmaticam de immaculata Deiparae conceptione, additur: « Si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, « praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se pro« prio iudicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse et « ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet « poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut « scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint ». Ubi duo diserte distinguuntur: corde sentire, et quod corde tenetur exterius significare. Atqui propter solum cordis dissensum, adeoque propter haeresim etiam mere occultam declaratur quis ab unitate Ecclesiae defecisse. Ergo ratione haeresis etiam occultae, desinit homo membrum esse Ecclesiae.*

Respondeo cum Palmieri [1]: « Censendum non esse voluisse « Pontificem iis verbis quae ad definitionem non spectant, finire « quaestionem inter theologos an haeretici occulti sint adhuc

[1] De Rom. Pontif., Prolegom., § XI.

« membra Ecclesiae, suamque probabilitatem detrahere sententiae « Bellarmini aliorumque qui eum sequuntur. Idcirco vel locutus « est obiter secundum quamdam sententiam theologorum, relicta « alteri sua probabilitate, vel *(quod longe verius videtur)*, defectio « ab unitate Ecclesiae de qua ibi sermo est, accipienda est se- « cundum interiorem actum animique dispositionem ». Et re quidem vera, iuxta Ioannis testimonium, aliqui sunt qui nondum exierunt ex nobis, et tamen iam non sunt ex nobis, videlicet, ut supra expositum est: interna dispositione iam non ex nobis, visibili autem vinculo sociali adhuc ex nobis. Qui ergo corde dissentire praesumpserint, dicuntur ab unitate Ecclesiae defecisse, quatenus fidem catholicam corde abiicientes, sua interiori dispositione ex nobis esse desierunt. At nihil est quo significetur eos etiam exivisse e corpore, ita nimirum ut propter haeresim in corde adhuc latentem, ad visibilem Ecclesiae compaginem iam ex tunc non pertineant.

Haec itaque sint dicta de prima conditione necessaria ad hoc ut baptismalis character habeat in actu secundo effectum incorporationis ad Ecclesiam. Superest nunc ut dicatur de altera.

THESIS XII.

Altera conditio pro adultis requisita in eo est, ut non impediatur vel non solvatur vinculum communionis, quod duobus modis potest destrui. Primo per ipsius hominis factum, hoc est per schisma, de quo proportionaliter sentiendum est sicut de haeresi. Deinde per sententiam ecclesiasticae auctoritatis, id est per excommunicationem quae plenam et perfectam habeat excommunicationis rationem. Quia vero nulla videtur esse talis, nisi ea qua quis vitandus efficitur, sequitur quod ad Ecclesiae corpus adhuc pertinere possunt excommunicati tolerati, sive occulti sint sive etiam notorii.

Ratio generalis est omnino eadem ac in thesi praecedenti. Nam, ut Quaest. 3 probatum est, Ecclesia est essentialiter una in fide et communione. Ergo, sicut aggregatio ad visibile Ecclesiae corpus impeditur per id quod destruit vinculum unitatis

fidei, ita et eodem pacto, per id quod destruit vinculum communionis, omnia intelligendo iuxta notiones hactenus declaratas. Id tamen discriminis notari debet, quod fidei unitas non tollitur nisi uno modo, scilicet per haeresim; vinculum autem communionis solvitur dupliciter: primo per schisma, et deinde per excommunicationem.

§ 1.

Schisma, si etymon vocis attendas, idem est ac scissura. « Nomen schismatis, inquit S. Thomas 2-2, Quaest. 39, a. 1, a « scissura animorum vocatum est; scissio autem unitati opponi- « tur; unde peccatum schismatis dicitur quod directe et per se « opponitur unitati ». Sed in hac generalitate, etiam haeresis schisma est, utpote unitati fidei directe opposita; et ideo, cum schisma contradistinguitur ab haeresi, non tantam habet latitudinem. Significat ergo separationem, non in credendo, sed in communicando, dum aliqui a compagine corporis recedentes, non amplius se habent ut pars Ecclesiae Catholicae, sed ut totum aliquod seorsum consistens in se. Hinc Hieronymus in cap. 3 epist. ad Titum: « Inter haeresim et schisma hoc interesse ar- « bitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat, schisma « propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur ». Et Augustinus, l. de fide et symbolo, c. 10: « Credimus et sanctam « Ecclesiam, utique catholicam; nam et haeretici et schismatici « congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa « sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus « iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quae « credimus ».

Itaque, secundum acceptationem usu consecratam, schisma opponitur unitati communionis (1). Haec porro unitas in duobus consistit: « Scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad in- « vicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium mem- « brorum Ecclesiae ad unum caput.... Hoc autem caput est ipse « Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et « ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici,

(1) Vide supra, Quaest. III, ubi de unitate regiminis, fidei, et communionis.

« et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant » (1). Ubi notanda sunt duo hic diserte recensita : *connexio seu communicatio membrorum Ecclesiae ad invicem,* tum deinde *ordo omnium membrorum ad unum caput.* Non enim frustra distinguuntur, ut iam superius notatum est, eo quod possunt plures uniri sub uno imperante, quin tamen unum efforment corpus societatis. Hinc debita subiectio ad Summum Pontificem esse non potest nisi habeatur etiam communicatio cum caeteris membris ei subiectis, quatenus singuli fideles singulique particulares coetus sint et agant ut partes totius : *singuli autem alter alterius membrum,* ait Apostolus, Rom. XII-5. Et consequentia huius principii est, quod schisma incurritur duabus viis. Primo, si quis directe se subtrahat ab obedientia Pontificis, recusando praeceptum ipsius, non quidem ex parte solius rei praeceptae (nam hoc faceret simplicem inobedientiam), sed omnino ex parte auctoritatis qua praecipit, hoc est recusando agnoscere eum in caput et superiorem (2). Secundo, si quis directe abiiciat communionem fidelium catholicorum, puta coetus agendo separatos, vel intrusum sequendo episcopum, legitimo relicto (3).

(1) S. Thomas 2-2, Quaest. 39, a. 1 in corp.

(2) « Recusare praeceptum vel iudicium Papae contingit primo *ex « parte rei iudicatae seu praeceptae*... Si quis etiam pertinaciter con- « temnat sententiam Papae, quia scilicet non vult exequi quae man- « davit, licet gravissime erret, non tamen est ex hoc schismaticus. Con- « tingit namque et saepe. nolle exequi praecepta superioris, retenta ta- « men recognitione ipsius in superiorem... Cum quis autem Papae prae- « ceptum vel iudicium *ex parte sui officii* recusat, non recognoscens « eum ut superiorem, quamvis hoc credat, tunc proprie schismaticus « est. Et iuxta hunc sensum intelligenda sunt verba litterae. Inobedientia « enim quantumcumque pertinax non constituit schisma, nisi sit rebellio « ad officium Papae, ita ut renuat illi subesse, illum recognoscere ut « superiorem, etc. ». Caietanus in 2^am 2^ae, ubi supra.

(3) « Ex eo aliquis schismaticus est, quod renuit ut pars Ecclesiae « operari. Nec refert ex quacumque causa hoc oriatur. Dummodo enim « ad hoc deveniatur, quod renuit se habere ut pars unius Ecclesiae ca- « tholicae, schisma incurritur. Ex quacumque siquidem diversitate vel « sententiarum vel affectionum in tantum aliquis exorbitet, ut velit « docere vel doceri, sanctificare vel sanctificari, providere vel provideri, « non ut pars Ecclesiae Catholicae, sed tanquam ipsimet sint velut « quoddam totum seorsum, schismatici sunt ». Caietanus ubi supra.

Schismaticos autem omnes, tam formales quam materiales, extra visibile corpus Ecclesiae Catholicae versari, fere in terminis evidens est, et facile etiam ex sacris Litteris Patrumque traditione constat. « Nam in primis, cum dicitur Luc. V-6: *Rum-*
« *pebatur autem rete eorum,* per scissionem retis et egressionem
« piscium ex reti intelliguntur schismata Ecclesiae, et egressio
« haeticorum et schismaticorum de Ecclesia, ut exponit Augu-
« stinus, Tract. 122 in Ioannem. Praeterea Scriptura vocat Ec-
« clesiam *unum ovile* (Ioan. X-16), *unum corpus* (Rom. XII-5),
« *unam sponsam, unam amicam, unam columbam* (Cantic. VI-8).
« Schisma autem scindit id quod erat unum in partes, ut patet
« ex ipso nomine; nam σχίζειν scindere est, et σχισμὴ scissura.
« Ergo schismatici non sunt in Ecclesia, nec de Ecclesia; nam
« pars scissa a corpore non est amplius pars corporis. Unde
« pulchre Cyprianus l. de unitate Eccles., dicit Ecclesiam signi-
« ficari per vestem Christi inconsutilem quae scissa non fuit, ut
« intelligeremus Ecclesiam scindi posse, sed non eo modo quo
« scinduntur vestes, ita ut omnes partes aeque maneant partes
« vestis. Sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim
« moritur, arbore vivente; et rivus a fonte, qui mox arescit, fonte
« fluente; et radius a sole, qui continuo deficit, sole ut erat per-
« manente.... Accedit etiam testimonium totius Ecclesiae, quae in
« Parasceve orat pro haereticis et schismaticis, ut eos Deus ad
« Ecclesiam Catholicam revocare dignetur; quod certe non fa-
« ceret, si eos in Ecclesia crederet.... S. Cyprianus epist. ad Flo-
« rentinum Pupianum: *Ecclesia,* inquit, *est plebs sacerdoti adunata,*
« *et pastori grex adhaerens; unde scire debes, episcopum in Ec-*
« *clesia esse, et Ecclesiam in episcopo, et si qui cum episcopo non*
« *sint, in Ecclesia non esse.* At certe schismatici cum episcopo
« non sunt; igitur nec in Ecclesia sunt » (1). Caeterum, quidquid superius dictum est de haeresi in ordine ad praesentem quaestionem, eodem nunc modo et parallelo prorsus ordine applicatur.

(1) Bellarminus, de Eccles., l. 3, c. 5.

§ 2.

At vinculum communionis catholicae non solvitur tantum per factum subditi, id est per schisma, verum etiam per sententiam ecclesiasticae auctoritatis, sive per excommunicationem. In quo quidem per prius supponere oportet, esse in omni societate penes rectores et magistratus ius et potestatem praecidendi contumaces a corpore sociali. Sed nec ullatenus dubitandum quin eadem potestas Ecclesiae concredita sit, prout concordi tum Evangelii tum Traditionis tum manifestae rationis auctoritate luculenter edocemur (1).

Quod igitur excommunicatio, (eam nunc excommunicationem dico, *quae ad plenam atque perfectam nominis rationem pertingit*), hominem expellat e gremio Ecclesiae, evidentissime ostenditur. Per ipsam enim dicuntur contumaces *poni loco ethnicorum et publicanorum* (Matth. XVIII-18), *tolli de medio fidelium et tradi Satanae,* hoc est, eiici ab Ecclesia extra quam Satanas dominatur (1 Cor. V, 2-5). Dicuntur a Patribus *ab Ecclesiae corpore respui,*

(1) « Certum esse debet quod Ecclesia ius habeat eiiciendi a se eos « quos suo consortio iudicat nocivos vel indignos, ita ut licet maneat « nexus dependentiae, desinat tamen vinculum socialis communionis et « unitatis. Id enim iuris competit cuique perfectae societati, quare ius « mortis inferendae inest societatibus civilibus. Porro excommunicatio « gladius est spiritualis qui agit in Ecclesia id quod in populo Israeli- « tico agebat interfectio, ut ait Augustinus, Quaest. 39 in Deuteron. Ec- « clesiae ergo negari nequit huiusmodi ius proiiciendi aliquos a seipsa, « ita ut amplius non sint membra eius. Et sane Christus, Matth. XVIII-18, « cum dixerit : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et « publicanus,* subdit rationem : *Amen amen dico vobis, quaecumque ligave- « ritis,* etc. Scilicet auctoritas Ecclesiae competit ita puniendi contuma- « ces, ut ea poena eos plectere possit, propter quam habendi sint sicut « ethnici et publicani. Cum publicanos memorat Christus, provocat ad « id quod ea aetate inter Iudaeos contingebat, qui maxime abhorrebant « ab illis, nec cum illis communicare volebant. Sensus ergo est quod qui « Ecclesiam non audit, habendus est tanquam si ethnicus esset et nun- « quam nomen Ecclesiae dedisset. Porro qui habendus est veluti ethnicus, « nequit censeri Ecclesiae membrum. Ecclesia igitur potestatem habet « plectendi hac poena eos quos ipsa dignos arbitretur ». Palmieri, de Rom. Pont., Prolegom. § XXIII.

quae Christi est corpus (Hilar. in Psalm. CXVIII, litt. 16, n. 5), *separari a Christi corpore* (Ambr. de Poenit. l. 1, c. 15), *de congregatione fratrum et de domo Dei eiici* (Hieronym. in Ezech. XVII-19), *per sacerdotes de Ecclesia pelli* (Origen. in Iudic. Hom. 2, n. 5), *eiici a communi consessu, abscindi a grege* (Chrysost. in 1 Tim., Hom. 5, n. 2). Dicuntur in formulis excommunicationum *a gremio sanctae matris Ecclesiae et consortio totius christianitatis eliminari, extra consortium membrorum Christi et Ecclesiae fieri, anathematis gladio resecari atque abiici, a communione christianae societatis abscindi.* Dicuntur denique ii qui ab excommunicatione absolvuntur, *ad sinum Ecclesiae revocari, ad gremium reduci, etc., etc.* (1). Haec porro et alia huiusmodi quam plurima intentum abunde demonstrant. Quibus nihil obstat quod iuxta Apostolum 1 Cor. V-5, habenda sit excommunicatio ut poena medicinalis, quia ut bene Bellarminus advertit: Excommunicatio etiamsi abscindit hominem ab Ecclesia, tamen non aufert potentiam, ut non possit iterum inseri in Ecclesiam is qui praecisus est, si poenitentiam agere velit. Idcirco Ecclesia per excommunicationem separat quosdam a suo corpore, sed in utilitatem eorum, quia cupit eos illa confusione humiliare, et humiliatos iterum in suum corpus recipere (2).

(1) Cf. Franzelin de Eccl. Thes. XXII, 3. — Et nota quod valida excommunicatio semper obtinet effectum suum, usquedum per absolutionem censura tollatur, adeoque etiamsi excommunicatus ad meliorem frugem fuerit iam conversus et per contritionem iustificatus. Imo etiamsi absque culpa sua excommunicatione ligatus exsistat, puta pro falso crimine, iuridice tamen probato, ut dicit S. Thomas, Supplem. Quaest. 21, a. 4. Quo in casu potest esse de anima Ecclesiae, quamvis a corpore re et facto separatus, et si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excomunicationis damnum.

(2) Medicinalem vim excommunicationis pluribus prosequitur Augustinus, l. 3 cont. epist. Parmeniani, n. 13 et seq. « Cum quisque fra-
« trum, inquit, id est Christianorum intus in Ecclesiae societate con-
« stitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus ut anathemate
« dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque
« id cum ea dilectione de qua ipse (Apostolus) alibi praecipit dicens:
« *Ut inimicum non eum existimetis, sed corripite ut fratrem;* non enim
« ad eradicandum, sed ad corrigendum... Tunc etiam ille et timore
« percutitur, et pudore sanatur, cum ab universa Ecclesia se anathe-

At ex dictis concludere nondum licet excommunicatos omnes esse extra Ecclesiam, quia inquirendum superest utrum quaelibet excommunicatio plenam ac perfectam excommunicationis rationem obtineat. Sed nec a longe repetenda quaestionis solutio, quae tota dependet ex positiva legis canonicae dispositione. Si enim habet Ecclesia potestatem eiiciendi quosdam e sinu suo, multo magis potest quosdam privare usu aliquorum bonorum communium, nondum auferendo ab eis vinculum suae communionis. In qua quidem diminuta excommunicationis ratione nulla apparet contradictio, cum haec duo inter se optime concilientur: aliquem scilicet adhuc esse de societate, et tamen non habere expeditum exercitium omnium iurium quae competunt membris societatis. Porro iis nunc suppositis quae in novo iure fuerunt introducta per Constitutionem Martini V *Ad evitanda,* dico quod excommunicati tolerati, sive occulti sint sive notorii, a visibili Ecclesiae corpore ratione excommunicationis nequaquam praeciduntur. Et sane, ut concorditer tradunt auctores theologiae moralis et iuris canonici, tolerati retinent participationem communium suffragiorum; retinent praesertim iurisdictionem etiam ordinariam, quam semper valide exercent, etsi illicite si a fidelibus rogati non fuerint (1). Sed utrumque horum in solis Ecclesiae membris esse potest. Quamvis igitur tolerati prohibeantur sub gravi ab omni perceptione sacramentorum, priventur indulgentiis, interdicantur etiam ab auditione missae, arceantur ab assistentia ad omnia publica Ecclesiae officia, haec tamen accipienda sunt, non per modum ablationis illius iuris quod a ratione membri Ecclesiae est inseparabile, sed potius per modum simplicis ligaminis quo iuris exercitium impeditur, usquedum deposita contumacia, censurae absolutionem obtinuerint.

« matum videns, sociam turbam cum qua in delicto suo gaudeat et « bonis insultet, non potest invenire... Ita et salva pace corrigitur, et « non interfectorie percutitur, sed medicinaliter uritur. Propterea et « de illo dixit, quem tali medicina sanari voluerat: *Satis hunc est cor-* « *reptio quae fit a multis.* Neque enim potest esse salubris a multis « correptio, nisi cum ille corripitur qui non habet sociam multitu- « dinem ».

(1) De his omnibus cf. Tom. 2 de Ecclesiae sacramentis, Quaest. 21-24 Suppl.

Verum in vitandis perfecta est et consummata excommunicatio, et hac de causa ipsi sunt simpliciter extra Ecclesiam, non secus ac haeretici et schismatici, quamvis alio modo. Alio modo, inquam; quod apprime considerandum restat. Etenim haeretici et schismatici etiam mere materiales, ipso iure divino naturali a communione Ecclesiae Catholicae sunt separati. Proinde, quantumvis in bona fide esse supponantur, nunquam licet cum eis in sacris communicare, nec unquam legitime eis ministraretur aliquod sacramentum, si tantum excipias in mortis articulo Sacramentum Poenitentiae. Et causa exceptionis est quia in his circumstantiis administratio sacramenti ad salutem necessarii minime induit rationem communicationis, sed puri et simplicis succursus quo subvenitur proximo in extrema necessitate constituto. Nunc autem non eadem excommunicatorum conditio est. Ipsi enim *qua tales* per solam legem ecclesiasticam e gremio Ecclesiae eliminantur. Lex autem ecclesiastica non se extendit ultra proprios fines legis humanae, quae non potest obligare cum disproportionato incommodo. Et ideo dantur certi casus in quibus veluti suspenditur excommunicationis effectus, ut licite sacramenta ante absolutionem excommunicatis ministrentur, vel etiam ab eis percipiantur. De quibus vide auctores theologiae moralis.

THESIS XIII.

Praeter characterem baptismalem simul cum vinculo unitatis tum fidei tum communionis catholicae, nulla alia requiritur conditio. Et ideo, (quod fide etiam tenendum est), inter Ecclesiae membra non sunt soli iusti, multoque minus soli praedestinati.

Sane vero, quisquis participat formam quae societas in suo esse substantiali constituitur, is ad societatis corpus dicendus est pertinere. Sed forma constitutiva societatis ecclesiasticae est unitas in catholica fide et communione per baptismum initiata. Quisquis igitur christiano charactere signatus, tenet vel habitu vel actu unitatem istam ad quam natura sua baptismus aggregat, eo ipso habet conditiones omnes in vero Ecclesiae membro requisitas. Et confirmatur, quia si quid amplius requireretur, hoc esset vel iustitia seu sanctitas, vel praedestinatio ad vitam ae-

ternam. Non primum, quia sanctitas se habet solum ut finis proximus ad quem socialis organismus ordinatur, et animam Ecclesiae constituit, non corpus, quod omnibus modis est natura prius, ut iam in prooemio disputationis notatum est (1). Non secundum, et multo adhuc evidentiori ratione, quia praedestinatio est prorsus extrinseca praedestinatis, et cum nihil in eis ponat, nequaqnam esse potest realis forma constituens seu coadunans hominum societatem (2). Et haec quidem per se satis patere videntur, sed propter instantiam haereticorum speciali cura sunt illustranda, et testimoniis tum Scripturae tum Traditionis nunc demum demonstranda.

§ 1.

Igitur contra Calvinum, eiusque antecessores Wiclefum et Huss, ostenditur in primis, de Ecclesia non esse solos praedestinatos (3). « Comparatur enim Ecclesia **Matth. III-12**, areae : « *Permundabit*, inquit, *aream suam, et congregabit triticum suum « in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Certe « nomine areae non potest intelligi nisi Ecclesia, in qua tamen « inveniuntur paleae, quae si comburuntur igni inexstinguibili, « non significant electos. Item **Matth. XIII, 47-50**, comparatur « sagenae missae in mare, ex omni genere piscium congreganti, « quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis, qui certe « non erant de praedestinatis. Item **Matth. XXII, 2-14**, compa- « ratur convivio nuptiali ad quod intraverunt boni et mali, et

(1) Vide supra, Prooem. secundae Partis.

(2) Ibid.

(3) In Bulla Martini V *Inter cunctas*, qua confirmantur decreta dogmatica Concilii Constantiensis, damnantur sequentes propositiones Ioannis Huss. Prima : *Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.* Tertia : *Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis charitas quae ipsam ligat, non excidet.* Quinta : *Praescitus etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.* Item propositio octava Wiclefi : *Si papa sit praescitus et malus, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.*

« postea mali non habentes vestem nuptialem proiiciuntur in te-
« nebras exteriores, et ideo concludit Dominus : *Multi sunt vo-*
« *cati, pauci vero electi*, id est, multi sunt in Ecclesia quae est
« evocatio quaedam sive coetus vocatorum, qui tamen non sunt
« de electis. Item **Matth. XXV, 1-13**, comparatur decem virgi-
« nibus, quorum quinque prudentes intrabunt in die iudicii cum
« sponso ad nuptias, quinque fatuae excludentur. Et **1 Cor. V,**
« **3-5**, Paulus iubet expelli de Ecclesia incestuosum, et tamen
« non poterat illum facere reprobum ex praedestinato, imo nec
« volebat, nam eiecit illum ut humiliatus rediret, et salvus fieret
« in die Domini, ut ibidem dicitur... Confirmatur hoc idem ex
« Augustino, qui Tract. 45 in Ioan., *secundum praescientiam,*
« inquit, *et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi*
« *lupi intus!* Ubi praedestinatos multos dicit esse extra Eccle-
« siam, et reprobatos multos intra Ecclesiam... Probatur ultimo
« ex incommodis, nam si soli praedestinati essent de Ecclesia,
« omnia essent incerta ; nemo tunc cognosceret fratres suos, et
« nec pastores cognoscerent oves suas, nec ab illis cognosce-
« rentur, cum nemo sciat qui sint praedestinati ; et praeterea
« nemo sciret quae sunt verae Scripturae, quae vera sacramenta,
« quae vera fides, etc. Omnia enim pendent ex testimonio verae
« Ecclesiae » (1).

Nec valet si dicas : *Oves Christi sunt omnes et soli praede-*
stinati, iuxta illud Ioan. X, 27-28 : « *Oves meae vocem meam au-*
« *diunt, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum,*
« *et non rapiet eas quisquam de manu mea* ». *Atqui Ecclesia nihil*
aliud est quam ovile Christi, sive congregatio ovium Christi. Ergo
iure meritoque definitur praedestinatorum universitas.

Facile enim respondetur : **Dist. mai.** Oves Christi sunt omnes et soli praedestinati, si oves denominentur a statu finali secundum divinam praescientiam, **conc. mai.** Si a forma nunc existente secundum statum praesentem, **neg. mai.** Pluribus quippe modis accipitur in Scripturis haec metaphorica appellatio : vel a praevisa finali perseverantia, vel a praesenti obedientia cordis, vel etiam et frequentissime a simplici professione verae religionis in visibili populo Dei, ut in praesenti. Et sane, quando Dominus dixit Petro : *Pasce oves meas,* eas oves dixit quae a

(1) Bellarminus, de Eccles. l. 3, c. 7.

pastore forent cognoscendae, cum tamen praedestinati soli Deo sint noti. Itaque, his suppositis quae sunt obvia satis et in notissimis Scripturae auctoritatibus fundata, omnino negabis consequentiam argumenti.

Item vana est sequens ratiocinatio: *Omnes et soli salvandi sunt de Ecclesia; ergo Ecclesia nihil aliud est quam congregatio praedestinatorum. Probatur antecedens, nam de Ecclesia sunt salvandi omnes, quia extra Ecclesiam non est salus. Item salvandi soli, quia nullus est de Ecclesia qui non sit membrum Christi, et nullum est membrum Christi quod non salvetur, iuxta illud Ephes. V-23: « Christus caput est Ecclesiae; ipse salvator corporis eius ».*

Respondeo: nego antecedens. — Ad probationem primae partis, **dist.** Omnes salvandi iam nunc sunt in visibili Ecclesiae corpore, ex hoc solo quod salvandi sunt, **neg.** Aliquando saltem erunt, **subdist.** Vel re vel saltem voto, **conc.** Necessario re et actu, si invincibili circa veram Ecclesiam ignorantia laborent, **neg.** — Ad probationem alterius partis prius adnoto quod non uno modo dicitur aliquis membrum Christi, sicut non uno modo dicitur Christus hominum caput, iuxta praemissa in tractatu de Verbo incarnato, Quaestione 8ª. Quidam enim sunt membra Christi solummodo in potentia, ii scilicet qui possunt coniungi cum eo secundum vitam gratiae, quamvis nullo adhuc actuali vinculo ei adhaereant. Quidam vero sunt membra eius etiam in actu, sed hoc rursus multiplici titulo et ratione: vel per solam professionem religionis christianae catholicae in baptismo susceptae, vel amplius per coniunctionem fidei interioris, vel denique perfecto modo per coniunctionem charitatis. Nunc autem, quisquis absque coniunctione charitatis ab hac vita decedit, iam omnibus modis desinit esse membrum Christi, et irreparabiliter a corpore eius mystico excommunicatur, quia ex tunc nec vitae gratiae nec ullius eius principii sive proximi sive remoti capax exsistit. Vide dicta in tractatu de natura et ratione peccati personalis, ad Quaest. 84. Hinc ergo apparet rationis obiectae inanitas, quia nullus equidem de corpore Ecclesiae est, qui actu membrum Christi non sit saltem professione externa verae religionis eius. Sed si in ultimo vitae constitutus, non adhaereat capiti etiam unione habitualis charitatis, iam omnem rationem membri moriendo amittit, ac per hoc, finaliter separatur ab Ecclesia quam Christus salvat efficaci illa salvatione praedestinatis propria. Et sic evidenter patet quod

nulla est argumenti consequentia. Haec enim propositio, *nullum est membrum Christi quod non salvetur*, veritatem habet intellecta de omni eo qui adhuc est membrum quando venit tempus gloriae conferendae, non autem de eo qui cum membrum aliquando fuerit quacumque tandem ratione, tunc tamen amplius non est.

Caeterum, pleraeque instantiae quae in hac parte fiunt, fere eadem redeunt in altero puncto quo statuitur non solos iustos inter Ecclesiae membra esse recensendos, et de quo iam agendum est.

§ 2.

Qui dicunt Ecclesiam solis constare praedestinatis, non omnino conveniunt cum iis quibus placet solos iustos in ea admittere, siquidem praedestinatus esse potest etiam ille qui nunc peccator est; et vice versa potest esse iustus pro aliqua temporis differentia, qui praedestinatus non est. Nihilominus prior sententia valde affinis est alteri, et ultimato nititur iisdem principiis, nam praedestinati, si non sunt iam boni, certe futuri sunt, et reprobi similiter mali. Non mirum igitur si uterque dicendi modus eadem haeretica nota signetur (1), et magna ex parte iisdem testimoniis refellatur.

Itaque contra Lutheranos eorumque antecessores Novatianos et Donatistas, ostenditur esse in vera Christi Ecclesia graves etiam peccatores, nec tantum occultos, verum etiam manifestos. Et primo ostenditur ex supra citatis parabolis evangeliorum de area, de reti, de convivio nuptiali, et de decem virginibus, quibus Catholici ita confutarunt olim Donatistas, inquit Bellarminus, ut plane non invenerint ullo modo qua exirent, quemadmodum Augustinus refert in breviculo collationis, explicans collationem

(1) Propositio 78 Quesnelli damnata in Bulla *Unigenitus* sic habet: *Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus Iudaicus et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* — Item propositio 15 Pistoriensium damnata in Bulla *Auctorem fidei: Doctrina quae proponit Ecclesiam... intellecta hoc sensu ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate: haeretica.* — Huc etiam facit definitio Tridentina. Sess. 6, can. 28: *Si quis dixerit... eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit.*

tertiae diei (1). — « Praeterea sunt alia loca apertissima, Matth. XVIII-15: « *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* « *inter te et ipsum solum... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae ;* « *si autem Ecclesiam non audierit, sit tib sicut ethnicus et publi-* « *canus.* Hic negari non potest quin sermo sit de vera Ecclesia, « nam Christus loquitur de Ecclesia sua, et in hac Ecclesia con- « stat inveniri peccatores, et tales peccatores qui saepe non « emendantur per correptionem fraternam, et tamen in Ecclesia « manent, donec ab Ecclesia per sententiam praelati eiiciantur. « Item Matth. XXIV-48, Dominus describit praepositum malum « qui percutit conservos et comedit et bibit cum ebriosis, et *ve-* « *niet,* inquit, *Dominus servi illius in die qua non sperat et hora* « *qua ignorat, et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* « Ubi de praepositis Ecclesiae agi docent Hilarius, Hieronymus, « Chrysostomus, et alii in hunc locum. — Item, 1 Cor. I-2, Paulus « dicit se scribere *Ecclesiae Dei quae est Corinthi,* et mox subdit: « *Significatum est mihi de vobis, quia contentiones sunt inter vos.* « Et infra: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio* « *qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* « Quid hic dicent? Non esse hanc veram Ecclesiam? At Apo- « stolus dicit esse Ecclesiam Dei. Non fuisse istum peccatorem « gravissimum et manifestum? At Apostolus hoc dicit. Non fuisse

(1) « Cum ad evangelicam similitudinem venissent (Donatistae), « quam Catholici in mandato suo posuerant de retibus in mare missis, « quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, et bonos a « malis in littore, hoc est in fine saeculi separari (Matth. XIII, 47-50): « etiam ipsi fassi sunt, in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos. « Zizania vero inter triticum, non in Ecclesia, sed in ipso mundo per- « mixta dixerunt, quoniam Dominus ait: ager est mundus. De area « sane, cui paleam Catholici dixerant usque ad tempus ventilationis « permixtam (Matth. III, 12) tanquam omnino in Evangelio nihil tale « scriptum sit, exponere similitudinem istam nec conati quidem sunt... « illam quoque similitudinem de ovibus et haedis qui simul pascuntur, « et in saeculi fine segregabuntur, quam inter alias Catholici ex Evan- « gelio posuerant (Matth. XXV, 32-33), omnino attingere noluerunt. « Neque enim poterant illic dicere, etiam haedos a pastoribus in com- « munibus pascuis ignorari, sicut dixerant inter retia pisces malos in « mari a piscatoribus non videri ». Augustinus, Brevic. Collationis cum Donatistis, Collatio tertii diei, n. 10.

« in Ecclesia? At Apostolus iubet ut expellatur per excommuni-
« cationem: *Tollatur,* inquit, *de medio vestrum.* — Praeterea,
« Apocal. II-III, scribit Ioannes septem ecclesiis Asiae, et fere
« singulas reprehendit de rebus non levibus. Et ut notat Augu-
« stinus, l. 2 c. Parmen, c. 10, non solum ecclesias, sed etiam
« praepositum reprehendit significatum per angelum Sardensis
« Ecclesiae: *Nomen,* inquit, *habes quod vivas, et mortuus es, esto*
« *vigilans,* etc. — Adde quod tempore Testamenti Veteris, nun-
« quam defuerunt gravissima peccata in populo Dei, et tamen
« nusquam legimus quod Moyses aut Samuel aut alii prophetae
« qui diversis temporibus fuerunt, aut Maria, Elisabeth, Simeon
« Zacharias, Ioannes Baptista, et alii iusti quos Dominus invenit
« in populo Iudaeorum, separaverint se a reliquis pessimis ho-
« minibus quantum ad templum, altare, sacrificia, et alia quae
« religionis sunt. Ergo in eadem congregatione manebant boni
« et mali; quod argumentum valde urget, et merito, Augustinus
« in Breviculo Collat. 3, n. 17 » ([1]).

Hinc Patres uno ore veritatem tam explicite in utriusque Testamenti paginis inculcatam attestantur. Certe **Cyprianus** commixtionem bonorum et malorum in vera Christi Ecclesia disertissime et affirmat et supponit. Affirmat quidem ubi ait in epist. 51 ad confessores, de reditu ex schimate congratulatoria: « Etsi
« videntur esse in Ecclesia zizania, non tamen impediri debet
« aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ec-
« clesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo
« laborandum est ut frumentum esse possimus, ut cum coeperit
« frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro
« et labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: *In domo*
« *autem magna non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et li-*
« *gnea et fictilia, et quaedam quidem honorata, quaedam vero in-*
« *honorata* (2. Tim. II-20). Nos operam demus, fratres charissimi,
« et quantum possumus laboremus ut vasa aurea vel argentea
« simus ». Supponit vero, cum in libro de lapsis, n. 5-6, explicans causas persecutionis quae sub Decio exarserat, eas referre non dubitat ad neglectum disciplinae, et gravia peccata non simplicium tantummodo fidelium, sed et multorum etiam episcoporum collegarum usurum: « Dominus probari familiam suam vo-

([1]) Bellarminus, l. 3, de Eccles. c. 9.

« luit, et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa « corruperat, iacentem fidem et pene (ut ita dixerim) dormientem « censura coelestis erexit. Cumque nos peccatis nostris amplius « mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, « ut hoc omne quod gestum est exploratio potius quam perse- « cutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli, et obliti « quid credentes aut sub apostolis ante fecissent aut semper fa- « cere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultа- « tibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in « ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in « moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma « fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colo- « rati. Ad decipienda corda simplicium callidae fraudes, circum- « veniendi fratribus subdolae voluntates. Iungere cum infidelibus « vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi. « Non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare, praepo- « sitos superbo tumore contemnere; venenato sibi ore maledi- « cere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi « quos et hortamento esse oportet caeteris et exemplo, divina « procuratione contempta, procuratores rerum saecularium fieri; « derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias aber- « rantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari; esurien- « tibus in Ecclesia fratribus, habere aurum largiter velle, fundos « insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus foenus au- « gere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mereremur, « cum iam pridem praemonuerit ac dixerit censura divina: *Si « dereliquerint legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint..., « visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum* ». Haec Cyprianus, et quidem de illis ipsis prioribus Ecclesiae temporibus ad quae sunt revocandi adversarii, ut dicant nobis utrum quando ille tantus episcopus de tam malis collegis suis testimonio liberae vocis ingemuit, erat Ecclesia Christi, vel non erat (1). Item **Gregorius Nazianzenus**, Orat. 2, n. 44, ut ostenderet quam sit arduum episcopale ministerium, recenset genera hominum quos pastorali sollicitudine regere debet episcopus, perfectos et imperfectos, bonos et malos. Quibus gemina habet **Chrisostomus**, l. 3 de sacerdotio. **Hieronymus** quoque in dia-

(1) Cf. Augustin. l. 3 contra Parmen. n. 8.

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

logo contra Luciferianos, diserte docet arcam Noe typum fuisse Ecclesiae, quatenus, ut ibi animalia munda et immunda, ita et hic iusti et peccatores commorantur. De **Augustino** autem quid referam, cum omnes eius libri adversus Donatistas eidem veritati ex professo et data opera demonstrandae noscantur convergere? Cuius doctrinae summa haec est: Duo tempora Ecclesiae esse distinguenda, tempus praesens in quo commixtos habet malos etiam notorios atque manifestos, et tempus futuri saeculi in quo erit penitus gloriosa, sine macula et sine ruga. Tum eos omnes qui a sua communione abiicere volunt mixtionem frumenti et paleae, eo ipso puram paleam ante ventilationis seu iudicii diem iamiam avolatam sese ostendere. Denique bonos a malis in uno eodemque Ecclesiae corpore esse interim spiritu discretos, et ita quidem ut boni reduplicative qua tales partem constituant potiorem, eamdemque solam in aeternum permansuram: « Qui congregationem suam iam frumentum purgatum pu- « tant, a commixtione frumenti et paleae tanquam pura palea « volaverunt. Et qui se sub uno pastore non adhuc cum haedis « pascere sentiunt, luporum insidiis de grege Domini separati « sunt. Et qui cum malis piscibus se congregatos esse non pu- « tant, non solum mali pisces sunt, sed etiam unitatis retia dis- « ruperunt. Quod si iam hoc tempore intelligamus fieri quod Ie- « remias ait: *Quid paleis ad triticum?* nihil aliud recte intelligere « possumus, nisi quod in una quidem congregatione sunt, donec « in fine ventilationis etiam corporaliter separentur, sed tamen « tritico rursum cor est, paleae vero deorsum. Palea quippe sua « quaerit, non quae Iesu Christi, triticum autem thesaurizat the- « saurum in coelo, et ubi est thesaurus eius, ibi et cor eius » ([1]).

Adde cum Bellarmino rationem theologicam omnino manifestam. Nam si soli boni essent in Ecclesia, frustra esset sacramentum Poenitentiae quod ad suscitandos spirituales mortuos principaliter est institutum, et iis solis administratur qui iam sunt de Ecclesia. — Praeterea tolleretur necessaria membrorum visibilitas. Saepissime enim incertum est certitudine etiam morali et humana, qui sint revera coram Deo boni, et qui non. — Item mox atque praelati in aliquod peccatum incidissent, non essent amplius de Ecclesia, nec praelati, et proinde non oporteret am-

([1]) Augustin. l. 3 c. Parmen. n. 19.

plius eis obedire. Et similiter subditi mox atque peccarent, non essent amplius de grege, et proinde liceret pastoribus curam eorum non agere. Ex quo summa confusio et perturbatio oriretur. — Et sic etiam patet quomodo zizania non potuissent non relinqui in Ecclesia, quin simul ab ea eradicaretur et triticum. Nam praeterquam quod ii qui nunc zizania sunt, triticum fieri possunt et saepe fiunt per media a Christo solis Ecclesiae membris provisa: si omnis excidens a gratia Dei excideret eo ipso ab Ecclesiae communione, nihil amplius stabile, nihil certum in compage ecclesiasticae societatis permaneret, ac per hoc periret et frumentum, cuius gratia sinuntur zizania crescere usque ad messem, iuxta verbum Domini, Matth. XIII, 29-30.

Obiicitur autem primo: *Mali sunt membra diaboli, non Christi. Ergo non sunt de Ecclesia, quia membrum Christi est quisquis pertinet ad corpus Ecclesiae.*

Respondeo: **Dist. antec.** Mali qua tales non sunt membra Christi, **conc. antec.** Qua retinentes vinculum unitatis fidei et communionis in baptismo initiatae, **subdist.** Non sunt membra animata spiritu gratiae et charitatis, **conc.** Non sunt membra eo modo quo sumitur metaphora membri, cum de visibili corpore mystico Christi sermo est, **neg.** Recole dicta in tractatu de Verbo incarnato, Quaest. 8, ubi de metaphorica appellatione capitis et membrorum, et memento iterum sat magnam in metaphoris dari latitudinem. Quo fit ut pluribus modis sumatur nomen membri, secundum varios modos vel gradus similitudinis cum corpore organico a quo ducitur analogia. — Ex qua quidem observatione facilem etiam habebis responsionem ad sequentem instantiam: *Si mali non sunt membra animata spiritu gratiae, ergo sunt membra mortua; sed membrum mortuum non est membrum nisi aequivoce; ergo non membrum simpliciter.* Omnino enim negandum id quod supponitur, nempe eamdem esse rationem membri corporis mystici et corporis naturalis. Certe in physicis eadem est forma dans esse vivum et esse membrum simpliciter, et hac de causa membrum mortuum nonnisi aequivoce dicitur membrum. Hic autem alia est forma constituens Ecclesiae corpus, et alia forma tribuens ei esse vivum vita supernaturali, ut in Quaestionis prooemio notatum est [1]; unde ex hac parte non

[1] Supra l. c.

tenet similitudo. — Denique eodem fere modo solves sequens argumentum: *Omnes filii Ecclesiae sunt filii Dei, sed mali non sunt filii Dei, ergo nec Ecclesiae.* Nam sicut multis modis dicitur membrum Christi, ita et filius Dei. Et filii quidem Ecclesiae necessario sunt filii Dei, saltem ratione professionis veri cultus et verae religionis. Hoc autem modo nihil prohibet quominus mali etiam, filii Dei et nominentur et sint, sicut scriptum est Genes. VI-2: « Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, etc. ».

Obiicitur secundo: *Ecclesia quam Christus dilexit et pro qua se tradidit, non habet maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed est sancta et immaculata, ut dicitur Ephes. V-27. Ergo nullos in sua communione admittit peccatores.*

Respondeo: **Dist. antec.** Et testimonium Apostoli est intelligendum, vel de Ecclesia praesentis temporis prout denominata a sua potiori parte, videlicet a sanctis in quibus nulla proprii nominis macula (id est macula mortalis peccati) invenitur; vel melius et planius, de Ecclesia prout in venturo saeculo, seu in suo statu finali et perpetuo futura est, **conc. antec.** Et est accipiendum eo sensu qui destrueret veritatem aliorum testimoniorum, utique tot ac tantorum, quibus edocemur malos esse mixtos bonis in mystica sagena seu area usquedum veniat iudicii dies, **neg. antec.** Unde Donatistis hac auctoritate sese munientibus respondebant catholici, ostendendo divina testimonia sic consonare: « Ut et illa quibus commendatur Ecclesia cum malorum « commixtione, hoc tempus eius significarent, qualis est in praesenti saeculo; et illa testimonia quibus commendatur non habere commixtos malos, illud eius tempus significarent, qualis « venturo saeculo in aeternum futura est. Sicut nunc mortalis est, « id est, ex mortalibus hominibus constat; tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur. Sicut ipse Christus isto « tempore fuit pro illa mortalis, post resurrectionem autem iam « non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, quod etiam « Ecclesiae suae in fine saeculi prestiturus est. Haec duo tempora Ecclesiae, quae nunc est, et qualis tunc erit, significata « esse etiam duabus piscationibus: una ante resurrectionem Christi, quando mitti iussit retia, nec sinistram nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum sacramentorum futuros

« doceret ; post resurrectionem autem, quando iussit retia mitti « in dexteram partem, ut post resurrectionem nostram bonos « solos in Ecclesia futuros intelligeremus, ubi ulterius haereses « et schismata non erunt, quibus modo retia dirumpuntur... Hoc « etiam significasse, quod corvus avis immunda exierit de arca, « et non redierit ; quae tamen arca, exeunte corvo, non utique « omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt et munda « et immunda usque ad diluvium, sicut in Ecclesia boni et mali « usque ad saeculi finem. Sed sicut non de immundis, sed de « mundis animalibus Noe obtulit sacrificium, ita non ii qui mali « sunt in Ecclesia, sed ii qui boni sunt perveniunt ad Deum ». Ita Augustinus in Breviculo collationis cum Donatistis, Coll. tertiae diei, n. 16.

Obiicitur tertio : *Chrysostomus, Hom. 6 in 2 ad Tim., vult testimonium Apostoli de magna domo in qua sunt non solum vasa argentea et aurea, sed etiam lignea et fictilia, non esse accipiendum de Ecclesia, sed de mundo : « Nec illud, inquit, de Ecclesia dictum « suspiceris ; hic enim nullum vult esse vas ligneum vel fictile, sed « omnia aurea et argentea, ubi corpus Christi est, ubi virgo casta « nullam habens maculam ».*

Respondeo, Chrysostomum nihil aliud intendere, nisi quod in ecclesia non sunt vasa lignea et fictilia eodem modo quo in magna domo, ubi tanta necessitate requiruntur quanta et aurea vel argentea. Nam *in magna domo*, inquit, *par est esse multorum vasorum differentiam*, εἰκός εἶναι πολλὴν διαφορὰν σκευῶν. Ne quis igitur putaret, ut recte annotat Bellarminus, Ecclesiam non posse consistere sine malis, dicit nomine domus non intelligi Ecclesiam, sed mundum, nam Ecclesia non indiget malis ; imo quando erit in optimo statu suo, id est, in coelo, nullos habebit malos. At mundus ornatur malis, non quidem per se, sed per accidens, quia si non essent mali in mundo, non exerceretur iustorum patientia nec Dei iustitia. Ceterum, etsi sub dicto respectu comparatio magnae domus cum Ecclesia non valeat, valet tamen sub aliis, et ideo locum hunc Apostoli tanquam de Ecclesia dictum accipiunt caeteri Patres, Cyprianus ubi supra, Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Augustinus l. post. collat. n. 26, etc.

Obiicitur quarto : *Saepe Augustinus Ecclesiam vocat columbam pudicam, castam, ad quam mali non pertinent. Exemplum sit in l. 2 c. Crescon, n. 26 : « Propter malam pollutamque conscien-*

« *tiam damnati a Christo iam in corpore Christi non sunt quod* « *est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra dam* « *nata. Proinde et ipsi extra Ecclesiam baptizant. Omnia quippe* « *ista monstra absit omnino ut in membris illius columbae unicae* « *computentur ; absit ut intrare possint limites horti conclusi, cuius* « *ille custos est qui non potest falli* ».

Respondeo, Augustinum per has locutiones nihil aliud intelligere nisi potiorem partem Ecclesiae, iis solis constantem qui in Ecclesia sunt sicut esse debent, et mystico Christi corpori tanquam membra viva et sancta inseruntur. Refutat quippe Donatistas qui volebant baptismus extra veram Ecclesiam ministratum non esse verum baptismum, hac scilicet ratione innixi, quod Spiritum Sanctum dare non possunt quicumque Spiritum Sanctum non habent. Porro etsi a vera Ecclesia excluderent malos manifestos et in iudicio convictos, occultos tamen fatebantur in ea inveniri. Hinc ergo argumentandi principium sumebat Augustinus ut ostenderet quanta contradictione laboraret adversariorum systema, in eo quod adstrueret occultos malos in vera Ecclesia exsistentes validum baptisma conficere, cum tamen nec ipsi habeant Spiritum Sanctum. Nulli enim mali, sive manifesti sive non, pertinent ad columbam, hoc est ad eos qui Spiritu Dei aguntur et templum sunt Spiritus Sancti. Ergo, concludebat Augustinus, vel fatendum est baptismi validitatem nusquam a qualitate ministri dependere, vel frustra asseritur valere baptisma collatum in Ecclesia, siquidem fatentibus adversariis, in ipso verae Ecclesiae visibili corpore multi miscentur ministri quos Spiritus Dei non vivificat, *in membris illius columbae unicae* omnino non computati. Iste est sensus Augustini, ut ex innumeris eius locis in controversia cum Donatistis colligitur (1). Caeterum, ubi

(1) Exemplum sit in ipso citato loco contra Cresconium, ubi n. 31 sic concludit : « Asseruisti mortuum non intelligendum nisi peccatorem « baptistam, et nullum peccatorem excipiendum ; et ideo quod ego di- « cebam, contra te concluditur, nec occultum excipi posse, ubi nullus « excipitur. Rebaptizate igitur eos quos ab occultis peccatoribus bapti- « zatos esse constiterit... Baptizate, inquam, prodito adultero atque « damnato, quos ab eo cum lateret, baptizatos esse constiterit ; a mor- « tuo quippe baptizati sunt, omnemque peccatorem sine ulla exceptione « intelligendum esse dixisti, qui baptizare non possit. Tu dixisti, tu scri- « psisti ; teipsum audi, lege teipsum. Si omnis peccator tanquam mor-

peccatores esse dicit in Ecclesia sicut sunt mali humores in corpore (Tract. 3 in epist. Ioan.), nihil aliud hac metaphora sibi vult, nisi quod sunt in eiusdem corporis unitate, sed non coniuncti vivificante spiritu, imo spiritu mundano corrupti. Et cum ait potestatem administrandi sacramenta, vel generatim potestatem ligandi atque solvendi factam esse a Christo bonis, non malis (l. 7 de bapt. n. 22, etc.), intendit quod non facta est malis qua mali sunt. Et denique ubi asserit malos esse aedificatos super arenam, non super petram supra quam aedificatur Ecclesia, rursus partes duas distinguit: unam quae in Ecclesia est veritate tum essentiae tum finis, ut quidam loquuntur; alteram quae veritate quidem essentiae, sed non veritate finis, quia *Ecclesia ultimo iudicio ventilata, istorum omnium separatione purgabitur* (de Unitate Eccl. n. 48). Et istae duae partes non faciunt ecclesias duas, sed unam et eamdem, quae aliter se nunc habet, aliter vero tunc futura est, postquam in consummatione saeculi pars altera fuerit in sempiternum excommunicata. « De duabus ecclesiis, inquit in « Brevic. collat. n. 20, calumniam eorum (Donatistarum) catho« lici refutarunt, identidem expressius ostendentes quid dixerint, « id est, non eam ecclesiam quae nunc habet permixtos malos « alienam se dixisse a regno Dei ubi non erunt mali commixti, « sed eamdem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse ali« ter, tunc autem aliter futuram..., sicut non ideo duo Christi, « quia prior mortuus postea non moriturus. Dictum est etiam de « homine exteriore et interiore, quae cum sint diversa, non ta« men dici duos homines: quanto minus dici duas ecclesias, « cum iidem ipsi qui nunc boni tolerant permixtos malos et re« surrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri sint, nec « omnino morituri ».

Obiicitur denique quinto: *Dicit Apostolus, 1 Cor. 5-11: « Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut ido« lis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eius« modi nec cibum sumere ». Sed si ne in civilibus quidem cum talibus communicationem habere licet, multo minus in divinis. Ex quo sequitur eos non esse de Ecclesia.*

« tuus non potest baptizare, nec occultus potest. Non enim quia occultus, « ideo vivus est, cum multo profundius etiam mendacio simulationis « absorptus sit ».

Respondeo, Apostolum hic loqui de excommunicatione, occasione sententiae quam tulerat in incestuosum. Vult enim ut si quis de Ecclesiae foro exsistens, nominetur fornicator aut avarus, etc. id est, *ita famosus appareat ut possit omnibus dignissima videri sententia quae in eum fuerit anathematis* (excommunicationis) *prolata sententia,* non dormiat severitas disciplinae, sed talis per competentem auctoritatem a corpore praecidatur, et tunc caeteri omnes ab eius commercio abstineant. Non ergo de malis praecise qua mali sunt, sed de excommunicatis ista intelligitur auctoritas, ut late exponit Augustinus l. 3 c. Parmen. n. 13 et seq. Adhuc tamen non sequitur praeceptum imponi Ecclesiae ut temere quoslibet facinorosos quantumvis notorios gladio excommunicationis percutiat, quia semper discretione opus est pro rerum et temporum circumstantiis, ne forte vertatur remedium in maioris mali occasionem, et sub praetextu colligendi zizania eradicetur simul et triticum. Quod pulchre exemplo ipsiusmet Apostoli in altera ad Corinthios epistola, idem declarat Augustinus, cuius aurea verba aptam praesenti disputationi afferent conclusionem : « Misericorditer igitur corripiat homo quod potest ; quod « autem non potest, patienter ferat et dilectione gemat atque « lugeat, donec aut ille desuper emendet aut corrigat aut usque « ad messem differat eradicare zizania et paleam ventilare. Ut « tamen securi de salute sua bonae spei Christiani inter despe« ratos quos corrigere non valent, in unitate versentur, auferant « malum a seipsis, id est in ipsis non inveniatur quod in mori« bus aliorum eis displicet » (1).

THESIS XIV.

De anima Ecclesiae sunt omnes et soli iusti in mundo exsistentes ; sed primo et principaliter ii qui in re ipsa, deinde vero quasi accessorie, ii qui solo voto ad visibile eius corpus pertinent.

Nomine *animae Ecclesiae* intelligitur formale supernaturalis vitae principium, secundum quod mediantibus individuis quibus inest, ipsam societatem ecclesiasticam denominat vivam spirituali

(1) Augustinus, l. 3 c. Parmen. n. 15.

vita. Proinde duo importantur in eo quod quis de anima Ecclesiae esse dicitur : videlicet quod habeat in se vitam supernaturalem, et deinde quod corpori Ecclesiae aliqua saltem ratione coniungatur.

Nunc autem tria sunt supponenda principia quae vel in superioribus fuerunt iam declarata, vel in aliis theologiae locis late demonstrantur. — Primum est quod formale principium vitae supernaturalis non est nisi gratia habitualis seu sanctificans, utpote forma intrinseca qua homo efficitur potens movere seipsum ad supernaturales actus. — Alterum est quod hanc ipsam habitualem gratiam nemo habet aut habere potest si nullo prorsus modo adhaereat ad visibile Ecclesiae corpus, quia tunc caret medio quod est necessarium ad salutem, adeoque etiam ad iustificationem et gratiam quam per se salus consequitur. — Tertium et ultimum est, quod defectus adhaesionis *in re* suppleri potest per adhaesionem *in voto,* et ita quidem ut nihil obstet quominus is qui extra Ecclesiae communionem bona fide versatur, habitualis gratiae particeps adhuc existat, dummodo aliunde habuerit dispositiones essentialiter ad iustificationem requisitas : scilicet fidem in Deum, eamque explicitam saltem quoad articulos fundamentales (sensu iam explicato), tum spem, necnon et perfectam charitatem, aut certe attritionem de peccatis simul cum sacramento.

Porro ex his principiis aperte fluunt assertiones in thesi propositae. Apparet *solos iustos* ad animam Ecclesiae pertinere ; sequitur ex principio primo. Apparet deinde, *omnes iustos,* ubicumque in mundo exsistant, de eadem Ecclesiae anima esse ; sequitur ex principio secundo. Apparet demum, eos primo et magis proprie esse de anima, qui de corpore non solum voto, sed re etiam exsistunt ; nam ipsi sunt a quibus simpliciter Ecclesia denominatur, dum alii ad eos reducuntur sicut accessorium ad principale.

CAPUT SECUNDUM

Qq. VIII-XI.

DE ECCLESIASTICA POTESTATE

Absoluta quaestione de membris quibus Ecclesiae societas constat, iam considerandum est de potestate per quam debet in finem dirigi. Et duo hic tractanda sunt. Primo de potestatè ecclesiastica in generali. Secundo de singulis partibus huius potestatis in speciali.

QUAESTIO VIII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA IN GENERALI

Ecclesiam militantem in Mosaico tabernaculo novimus figuratam. « Quod est tabernaculum? Ecclesia huius temporis. Ta-« bernaculum ideo dicitur, quia adhuc in hac terra peregrinatur... « Quanquam aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei, et « domus Dei tabernaculum Dei, distinctius tamen accipitur taber-« naculum Ecclesia secundum hoc tempus, domus autem Ecclesia « caelestis Ierusalem quo ibimus. Tabernaculum enim tanquam « militantium et pugnantium: tabernacula militum in procinctu, « in expeditione; unde contubernales dicuntur milites, quasi ta-« bernacula eadem habentes et habitantes... Cum autem transierit « tempus pugnae, cum venerit illa patria, iam domus erit, nullus « adversarius tentabit, ut tabernaculum vocetur » (1).

Sed et antiquum illud atque umbratile tabernaculum in duas partes divisum quis nesciat? *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra et mensa et propositio panum, quod dicitur Sancta. Post velamentum autem, secundum tabernaculum*

(1) August. Enarr. in Psalm. 30, n. 8, et in Psalm. 131, n. 10.

quod dicitur Sancta Sanctorum. Et in his duabus partibus, ipso teste Apostolo, tum veteris tum novi Testamenti Ecclesia incunctanter est intelligenda. « De hac differentia inter Sanctum et « Sanctum Sanctorum ad Hebraeos epistola loquitur. Quia ubi « arca testimonii, ibi Sanctum Sanctorum, hoc est, intus ultra « velum: foris autem mensa et candelabrum et caetera quae « paulo ante dixit, Sancta dicta sunt, et non Sancta Sanctorum. « Et significatur foris Vetus Testamentum, intus autem Novum, « cum sit utrumque in lectione V. T. et expressum operibus, et « significatione figuratum. Ac per hoc, in Sanctis figura est fi- « gurae, quia figura est Veteris Testamenti; in Sanctis autem « Sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est Novi Te- « stamenti » (1).

Sed iam attende quid in hoc Sancto Sanctorum fuerit repositum. Testatur Apostolus reconditam ibi *arcam testamenti circumtectam omni ex parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron quae fronduerat, et tabulae testamenti; superque eam erant cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium.* Tum addit: *de quibus non est modo dicendum per singula,* aperte significans mysterium in singulis contineri, tametsi ab eo exponendo consulto abstineat, eo quod ad propositum non pertinebat. Sed nunc, ad huius declarationem mysterii, sciendum in primis est, arcam testamenti ideo dictam esse, quia continebat duas legis tabulas quas posuerat in ea Moyses in Horeb quando pepigit Dominus foedus cum filiis Israel cum egrederentur de terra Aegypti. Sciendum adhuc est, nihil aliud in arca praeter ipsas tabulas fuisse inclusum, ut expresse habetur 3 Reg. VIII-9. Ac propterea, cum in ea fuisse ait Apostolus tum urnam habentem manna, tum virgam Aaron quae fronduerat, latiori sensu dictum intellige, pro quanto scilicet dici etiam potuit fuisse in arca quidquid ad latera eius reponebatur. Sciendum denique est, supra arcam ipsam eminuisse propitiatorium, quasi operculum arcae, non ex ligno, sed ex solido auro constans, quod alio nomine vocabatur oraculum, iuxta illud Exod. XXVII-6: *Fecit et propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo* (2). Nec a longe repetenda utriusque nominis ratio. Ideo enim propitiatorium, quia Deus ibi

(1) August. Quaest. in Heptateuchum, l. 2, c. 112.
(2) Cf Exod. XXV, 18-20. Levit. XVI-2. Numer. VII-89, etc.

exoratus placabilem se et propitium exhibebat; ideo oraculum, quia exinde angelus divinam gerens personam, Moysi ac toti populo percunctanti responsa dabat. Tria igitur circa arcam testamenti erant: oraculum, virga aaronica, et urna continens manna.

Porro arca testamenti spiritualiter intellecta, ipsa est Ecclesia catholica secundum quod depositaria facta est testamenti Christi et promissionum haereditatis aeternae quae in eo continentur. Tria autem quae iuxta mox praemissa, circa arcam erant, triplicem denotant potestatem ad huius exsecutionem testamenti plane necessariam. In *oraculo* enim unde promiserat Deus se locuturum ad Moysen de medio Cherubim, praesignabatur potestas magisterii; magisterii inquam infallibilis, ratione cuius consuevit Ecclesia dici oraculum vivens. Deinde in *virga Aaron quae fronduerat,* designata fuit potestas iurisdictionis sive imperii, quoniam apud omnes virga seu sceptrum insigne imperantium est. Denique in *urna continente manna,* non incongrue potestatem ordinis accipies. Est enim potestas ordinis ad confectionem sacramentorum per quae confertur nobis manna caelestis gratiae, et ideo eiusmodi potestas ipsum mysticum manna seu gratiam bene dicitur continere, sicut omnis causa dicitur aliquo saltem modo suum continere effectum. Et de figura quidem quae praecessit in V. T., hactenus satis.

Exinde autem initium dicendi accipiendo, primo inquirere oportet an recta et legitima sit praefata divisio ecclesiasticae potestatis in potestatem ordinis, magisterii, et iurisdictionis. Tum secundo, an et quo sensu debeat admitti illa alia bimembris divisio usu sat communi recepta, in qua magisterium ad iurisdictionem revocatur. Tertio demum, quaenam sit convenientius tenenda divisionis ratio in hac disputatione.

§ 1.

Quod potestas ecclesiastica, si formales potestatum rationes considerentur, recte dividitur in potestatem ordinis, magisterii, et iurisdictionis.

Principio notandum quod ecclesiastica societas, ut in superioribus iam dictum est, convenit ex parte cum civili societate, et ex parte ab ea differt. Convenit quidem secundum quod et

ipsa finem habet communi omnium actione et tendentia prosequendum. Differt secundum quod finis ille supernaturalis est, ad quem scilicet sufficientia principia non sunt naturae insita, sed desuper a Deo in sociale corpus effluere debent. Hinc autem generalem partitionem publicae potestatis in ecclesiastica societate accipere licet.

In primis, si Ecclesiam consideres prout convenit cum aliis humanis societatibus, id est sub eo respectu qui omni perfectae societati communis est, sic sine difficultate agnoscenda est in ea potestas regiminis sive **iurisdictionis.** Non enim potest societas ulla consistere, nisi sit auctoritas efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, seu ius regendi imperio omnes actus membrorum societatis in ordine ad proprium ipsius societatis finem. Unde iurisdictionem ecclesiasticam eiusque distinctionem a iurisdictione saeculari agnoscunt theologi velut intrinsece et ex natura rei consertam cum ratione verae, perfectae, ac distinctae societatis, sub qua Ecclesia visibile Christ regnum et dicitur et est. « Habemus ex Scripturis, inquit Suarez « in Defensione fidei, l. 8, c. 6, Christo Deo homini promissum « esse a Patre regnum aeternum iuxta illud Psalm. 131: *De « fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* et Isai. XI: *Super « solium David et super regnum eius sedebit.* Et addit Angelus, « Luc. I: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius, et regnabit « in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Hoc « autem Christi regnum non in coelo tantum, sed in terra etiam « tradendum seu inchoandum promissum est, ut patet ex Dan. « VII: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli « quasi filius hominis veniebat.* Et infra: *Et dedit ei potestatem et « honorem et regnum, et omnes populi, tribus, et linguae ipsi ser- « vient; potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et re- « gnum eius quod non corrumpetur.* Illum autem filium ho- « minis esse Christum qui in evangelio saepe filius hominis « appellatur, omnes intelligunt, illiusque regnum post alia im- « peria fuisse in terra inchoandum et perpetuo esse duraturum, « tum illo loco, tum Dan. I, aperte praedicitur, et concordat illud « Ezech. XXXVII: *Faciam eos in gentem unam in montibus Israel, « et rex summus erit Dominus imperans et non erunt ultra duae « gentes.* Quae verba de Christo et eius Ecclesia evidenter intel- « liguntur, ut ex toto contextu usque ad finem capitis constat.

« Hoc autem regnum Christi corporale seu temporale non est, « sed spirituale et aeternum.... Ex quo ulterius concludimus, hoc « regnum Christi non esse nisi Ecclesiam eius, in qua ipse spi- « ritualiter regnat, ut dixit Gregorius l. 1 in 1um Reg., in ultimis « verbis. Et Augustinus, Tract. 115 in Joan.: *Quod est regnum « eius nisi credentes in eum? Quibus dicit: de mundo non estis.* « Et infra: *Unde non ait, regnum meum non est in hoc mundo, « sed non est de hoc mundo; nec dicit, non est hic, sed non est « hinc. Hic est enim usque ad saeculi finem.* Ergo sicut regnum « spirituale est, ita per spiritualem potestatem regi debet. Hoc « autem regnum perpetuum est non solum in coelo, sed etiam « in terra quamdiu mundus durabit. Ergo etiam potestas spiri- « tualis ad regendum illud ita est a Christo huic Ecclesiae con- « cessa, ut in ea perpetuo duret, quia non potest regnum sine « potestate gubernatrice illi proportionata conservari ». Ubi vides potestatem iurisdictionis esse in Ecclesia ex titulo qui communis est omni societati perfectae. Et de hac potestate loquitur Dominus ad Petrum: *Tibi dabo claves regni coelorum*, et rursus ad collegium apostolicum: *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo.*

At nunc considerandum venit quomodo in Ecclesia esse oporteat praeter potestatem iurisdictionis quamdam aliam potestatis rationem, et qua de causa simili partitioni locus non sit in potestatibus aliis, quibus humanarum rerum et temporalis felicitatis procuratio concredita est. Sane vero, cum in societatibus caeteris omnia socialis activitatis elementa in natura sint et in natura praesupponantur, nullum eorum est quod per ipsam socialem potestatem debeat dispensari. Sufficit ergo ut sit auctoritas dirigens atque unificans, habens ius condendi leges, tum geminam quae hinc consequitur, iudicandi puniendique facultatem; quod totum ad formalem rationem potestatis imperii sive iurisdictionis noscitur pertinere. Nunc autem alia omnino ecclesiasticae societatis conditio est. Habet enim finem excedentem naturalem hominis cognitionem, naturalesque vires, et ideo procuratio eius non in sola directione seu moderatione socialium virium consistere dicenda est, verum etiam in subministratione ipsorum principiorum quibus membrorum activitas fini attingendo par et proportionata evadere possit. Haec porro principia ad duo revo-

cantur, quae sunt *veritas* et *gratia:* veritas scilicet supernaturalis a revelatione descendens, quam fide tenere oportet; tum gratia formaliter elevans ad divinae consortium naturae, per quam idonei efficimur ad operandum in ordine finis vitae aeternae. Et haec duo quibus completur id quod nobis deest ad supernaturalem beatitudinem coniunctionis cum Deo in visione intuit va, de coelo nobis allata sunt ab incarnato Dei Verbo sicut scriptum est: *Et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis, et de plenitudine eius nos omnes accepimus,* ac rursus: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Haec quoque duo fuerunt ab eo tanquam in quibusdam armariis Ecclesiae commissa: veritas quidem in Scripturis et sine scripto traditionibus, gratia vero in Novae Legis sacramentis. His demum duobus dispensandis apostolicam hierarchiam idem ipse Christus praepositam esse voluit, iuxta illud 1 Cor. IV-1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Mysteriorum Dei, inquit. Quo nomine veniunt tum sacramenta seu signa sensibilia ad sanctificationem nostram instituta, ut in proprio tractatu declaratum est, tum dogmata revelata fide tenenda, quae secreta sunt et arcana, nec aliter quam per Dei revelationem noscibilia (1).

Haec igitur causa est cur in regno Christi, praeter potestatem regendi imperio actus subditorum, debuerit esse specialis alia potestatis ratio pro dispensatione eorum quae a Deo auctore supernaturali desuper effluere necesse est, ut sit ecclesiastica societas instructa omnibus principiis suo fini assequendo proportionatis. Et huic distinctioni recte accommodatur duplex illa metaphora sub qua Christus in Evangelio praepositos Ecclesiae significat, dum scilicet eos modo exhibet tanquam principes tenentes claves civitatis cum auctoritate ligandi atque solvendi (Matth. XVI-19, et XVIII-18), modo vero tanquam oeconomos quos paterfamilias super caeteros constituit ut sua illis bona subministrent (Matth. XXIV-45, Luc. XII-42). Porro, ut ex dictis liquet, haec ipsa dispensationis potestas adhuc in duas distinguitur. Alia enim est potestas conficiendi et ministrandi sacra ad collationem gratiae, et alia potestas authentice proponendi et definiendi revelatam veritatem. Prior ergo nomen habet

(1) Cf. Estium in h. l.

potestatis ordinis, de qua intelliguntur verba Christi ad collegium apostolicum: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, et post instituta Eucharistiae mysteria: *Hoc facite in meam commemorationem*. Posterior autem dicitur **potestas magisterii**, de qua iterum Christus ad Apostolos: *Praedicate evangelium omni creaturae*, et rursus: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Unde in summa relinquitur trimembris illa partitio, ordinis, magisterii, et iurisdictionis, quae recte et adaequate dividit potestatem ecclesiasticam.

Et re quidem vera, ut recta sit et adaequata divisio, oportet ut nihil quod ad rem dividendam pertineat praetermittatur, ut nihil ei alienum intromittatur, ut denique membra dividentia inter se opponantur secundum distinctas rationes sese mutuo non includentes. Atqui has omnes conditiones in praesenti verificari, pene est per se manifestum. Nam quod quidam dicunt, magisterium ecclesiasticum aut ad iurisdictionem reduci, aut si seorsum a iurisdictione spectetur, potestatis rationem non habere, non videtur esse ullatenus admittendum. Non est, inquam, admittendum primum, quia aliud est proponere, exponere, definire veritatem revelatam, quod pertinet ad magisterium; aliud vero regere imperio actus subditorum, quod pertinet ad iurisdictionem. Neque etiam admittendum est secundum, quia potestatis nomine nunc venit omnis facultas ad gubernationem communitatis necessaria, id est requisita ad directionem eius in proprium finem, cum nihil aliud sit gubernare quam in finem dirigere. Si qua igitur sit societas quae non sola imperandi auctoritate in finem sibi proprium dirigi queat, sed ad hoc ipsum alius quoque generis functionem requirat, non est dubitandum quin et ista ad veri nominis potestatem prout nunc de potestate loquimur, pertinere dicenda sit. Et vere sic est in societate ecclesiastica, propter rationes superius declaratas. Nihil igitur obstat quod magisterium *ut sic* non importet aliquam obligandi auctoritatem, eo vel magis quod si ex hoc capite magisterio ecclesiastico in quantum huiusmodi, vera detraheretur potestatis ratio, nequidem locus remaneret divisioni in potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, sed praeter hanc posteriorem nulla alia esset assignanda. Accedit demum quod distinctionem potestatis iurisdictionis et potestatis magisterii satis aperte innuit

Concilium Vaticanum, Const. *Pastor aeternus,* c. 3 et 5, cum de vi et ratione primatus Romani Pontificis loquens, prius declarat primatum hunc esse « plenam et supremam potestatem iurisdi-« ctionis in universam Ecclesiam », tum deinde statuit « supre-« mam *quoque* (in eo) magisterii potestatem comprehendi ». In qua quidem loquendi ratione egregia confirmatio est pro legitimitate divisionis hactenus assertae; nec video quid adhuc contra eam posset opponi, nisi forte usus apud theologos et canonistas communiter receptus, de cuius vera interpretatione nonnullae explicationes iam sunt adiiciendae.

§ 2.

Quod potestas magisterii, si spectetur in concreto prout inseparabiliter annexum habet ius imperandi subditis obedientiam fidei, ab ipsa potestate iurisdictionis adaequate non distinguitur. Et quod hac de causa usu satis communi recepta est bimembris divisio potestatis ecclesiasticae in potestatem Ordinis et potestatem iurisdictionis.

Sane vero, uti mox ultro concessum est, si magisterium in sua formali et praecisiva ratione consideretur, nequaquam importat ius exigendi assensum vel professionem eorum quae docentur a magistro; quippe, magistri est doctrinam proponere, minime vero obligatorio modo proponere. Quin imo, etiamsi sermo esset de nudo magisterio divinitus instituto ad divinam revelationem infallibiliter proponendam, sequeretur quidem obligatio credendi omnia et singula ab ea proposita; id tamen non ex vi actus magisterii ipsius, sed ex vi iuris divini, pro quanto scilicet lex naturalis dictat credendum esse Deo loquenti, quoties eius revelatio sufficienter est proposita. Et sic se habet de facto magisterium Ecclesiae erga eos qui nondum in Ecclesiam ipsam per baptismi ianuam sunt ingressi, puta erga catechumenos, imo et quoslibet infideles, cum nemo excipiatur a generalitate verborum Domini dicentis: *Praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.*

At vero relate ad fideles et eos generatim omnes qui ratione baptismalis characteris intus sunt (iure saltem et debito), magisterium ecclesiasticum non nudum et simplex magisterium

est, sed habet inseparabiliter annexam potestatem praecipiendi obedientiam fidei circa ea quae definit vel docet, ita nimirum ut haec ipsa fidei obedientia obligatoria fiat, non in vi solius legis divinae, verum etiam in vi legis ecclesiasticae, ad quam ex consequenti pertinet punire et coercere contumaces. Nec oportet longius de ea re nunc disserere, pro qua specialis postmodum instituetur disputatio, sed interim satis est appellare ad communem totius Ecclesiae sensum, quem inter alia multa manifeste comprobant verba Apostoli, 2 Cor. X. 5-6: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* Ibi enim sermo est de potestate apostolica in ordine ad fidem per quam captivatur intellectus, pro quanto voluntas humiliter subiecta veritati divinae per apostolos annuntiatae, imperat intellectui ut credat. Porro haec voluntaria obedientia asseritur deberi ipsi etiam apostolico magisterio. Non quod huius magisterii auctoritas se habeat velut formale fidei divinae obiectum, sed quia hoc ipsum quod est voluntarie credere propter auctoritatem Dei veritatem a Deo revelatam et per apostolos propositam, efficitur obligatorium ex praescripto *quoque* apostolicae potestatis. Non enim posset Apostolus ulcisci id quod suae iurisdictioni subiectum non esset, nec quisquam omnino est qui reatum poenarum fori ecclesiastici incurrat, nisi et legis fori pariter ecclesiastici violator extiterit. Atqui de obedientia fidei loquens Apostolus dicit: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.* « Id est, ad « manum habentes potestatem animadvertendi in omnes inobe- « dientes, scilicet eos qui fidem Christi susceperunt, et inter « fideles numerantur. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudi-* « *care?* ait 1 Cor. V. Ulciscitur autem Paulus et quilibet apo- « stolorum successor omnem inobedientiam, non gladio corporeo « qui principi aut magistratui politico datus est ad vindictam « malefactorum, et cuius usus est in corporali militia, sed gladio « spirituali, id est, censuris ecclesiasticis, quarum praecipua est « excommunicandi potestas... Hic igitur locus excommunicandi « potestatem qua adversus contumaces utuntur Ecclesiae prae- « lati confirmat. Et Augustinus epist. 50, ex hoc loco probat « potestatem puniendi haereticos » (1).

(1) Estius in 2 Cor. cap. 10.

Maneat ergo certissimum, potestatem magisterii esse intime connexam tum in se tum in suo exercitio, cum iure exigendi a subditis obedientiam, quantum ad ea quae magistrali auctoritate definiuntur vel proponuntur. In quo quidem haec potestas omnino discriminatur a potestate ordinis, quae non solum nata est de integro consistere seorsum a iurisdictione, verum etiam apud multos de facto invenitur qui omni iurisdictione carent. Proinde, cum eadem illa magisterii potestas quam veteres clavem scientiae vel doctrinae appellabant (1), nusquam in concreto exsistat, aut intra ipsius Ecclesiae fines exerceatur absque adiuncta clave iurisdictionis, non mirum si cum ea indivulse et coniunctim soleat accipi in vulgari divisione potestatis ordinis et iurisdictionis. Verumtamen haec divisio est magis secundum materialem rerum distributionem quam secundum adaequatam formalium rationum recensionem; nam quod authenticum magisterium, formalitate saltem, differat a potestate ligandi, tam evidenter constat ut nulla alia distinctio possit esse manifestior (2). Oportet ergo ut praedicta dividendi ratio accipiatur sine detrimento alterius, idque unum restat nunc breviter declarandum: quaenam ex duabus sit potissimum in hac disputatione observanda.

§ 3.

Quae divisio hic tenenda. — Omnis doctrina secundum formalem obiecti divisionem procedere debet, et multo adhuc magis, ubi divisio formalis, simpliciter et absolute loquendo etiam realis est. Porro si quis bene consideret, facile videbit quod trimembris divisio primo loco declarata, non formalitates tantum, sed et res etiam exhibet distinctas. Ex hoc enim quod potestas magisterii respectu baptizatorum coniungitur cum iurisdictione (sensu iam dicto), concludere sane non licet quod ad eam comparetur tanquam simplex formalitas sola ratione di-

(1) Luc. XI-52. — Cf. Suarez, de Relig. l. 3, c. 4, n. 11. — Et rursus, de Fide, Disp. 5, Sect. 6, n. 9: « Docere ex cathedra defi- « niendo pertinet *ad clavem scientiae*, et est actus specialis potestatis a « Christo datae ad regendam Ecclesiam in doctrina ».

(2) Cf. Franzelin, de Eccles., Thes. 5.

stincta. Aliud quippe realis unio seu etiam inseparabilitas, aliud vero realis identitas quae minime videtur hic admittenda. Et vere, potestates distinguuntur secundum obiecta, ita ut alia sit potestatis species, ubi obiectum specie diversum. Atqui, ut recte observat Card. Franzelin, de Eccles. Thes. 5: « Obiectum ma-« gisterii formaliter spectati est divinae doctrinae infallibilis « manifestatio, expositio, definitio, et per hanc infallibilitatem « in docendo, totius sacri depositi custodia. Obiectum iurisdi-« ctionis non est manifestatio revelatae veritatis, sed eius per « infallibile magisterium manifestatae applicatio, defensio, vindi-« catio in Ecclesia propriis ecclesiastici imperii legibus, prae-« ceptis, iudiciis, sanctionibus ». Si ergo est ibi specifica obiecto-rum distinctio, oportet etiam esse specificam, adeoque et realem potestatum distinctionem, quanquam tanta sit tamque intima consociatio magisterii cum iurisdictione in rebus fidei, ut duo haec per modum unius non immerito considerentur.

Quae cum ita sint, patet quod divisio in ordinis et iurisdictionis potestatem usui quidem esse potest, quoties divisio attenditur secundum realem separabilitatem, vel etiam (quod ad idem redit), secundum diversum derivationis modum, dum scilicet potestati quae consecratione datur, contraponitur illa alia quae non consecratione provenit, sed simplici investitura vel mandati vel legis; et hoc modo distinctio in sequentibus saepe recurret, ut brevitati consulatur. At vero, ubi propriae rationes potestatis ecclesiasticae sunt ex professo declarandae, necesse est, ne magna suboriatur confusio, trimembrem retinere divisionem, primum omnium dicendo de potestate ordinis, tum secundo de potestate magisterii, ac demum tertio de potestate iurisdictionis.

QUAESTIO IX.

DE POTESTATE ORDINIS.

Potestas ordinis, ut mox dictum est, dirigitur per se primo ad conficienda sacramenta, et consequenter ad efficienda sacramentalia. De hac potestate ex professo agitur in tractatu de septem N. L. sacramentis, et ideo, supponendo ea quae ibi fuerunt declarata, pauca admodum occurrunt nunc vel recapitulanda vel addenda. Addenda autem dico circa potestatem ordinis non tam secundum se consideratam, quam secundum comparationem ad alias partes potestatis ecclesiasticae quae sunt principale huius disputationis obiectum. Idcirco omnia quaecumque in praesenti summatim dicenda sunt, una sequenti propositione comprehenduntur.

THESIS XV.

Est in Ecclesia specialis potestas ordinis quae a potestate iurisdictionis non solum essentia et obiecto distinguitur, verum etiam collationis modo, pro quanto scilicet id propriissimum habet ut consecratione conferatur, id est, sacri impressione characteris, ac per hoc, inamissibiliter prorsus permaneat in omni eo qui semel ea potitus est. Huiusmodi autem distinctio ordinem inter et iurisdictionem, minime efficit ut haec duo sint a se invicem iuxta Christi institutum simpliciter independentia; sed omnino dicendum est, potestatem ordinis a potestate iurisdictionis dependere quantum ad legitimitatem exercitii, et vicissim potestatem iurisdictionis a potestate ordinis tanquam a conditione in subiecto requisita, ut in eo sit regulari ac connaturali modo. Atque hinc tandem consurgit mirabilis illa hierarchiae ecclesiasticae ratio, quae in indivisibili et compacta

unitate perstat, et tamen ordinis characteres natura sua inamissibiles, etiam in transfugis et desertoribus permanere sinit.

§ 1.

« Sacramentorum institutio et virtus, inquit S. Thomas l. 4, « c. Gent. c. 74, a Christo initium habet. Quia igitur Christus « corporalem sui praesentiam erat Ecclesiae subtracturus, neces- « sarium fuit ut alios institueret sibi ministros qui sacramenta fide- « libus dispensarent, secundum Apostolum 1 Cor. IV-1. Unde « discipulis consecrationem sui corporis et sanguinis commisit « dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Eisdem tribuit « potestatem peccata remittendi, secundum illud Ioan. XX: *Quo- « rum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Eisdem etiam bapti- « zandi iniunxit officium dicens Matth. ult. *Euntes docete omnes « gentes, baptizantes eos.* Minister autem comparatur ad dominum « sicut instrumentum ad principale agens. Sicut enim instrumen- « tum movetur ab agente ad aliquid efficiendum, sic minister « movetur imperio domini ad aliquid exsequendum. Oportet au- « tem instrumentum esse proportionatum agenti; unde et mini- « stros Christi oportet esse ei conformes. Christus autem ut do- « minus auctoritate et virtute propria nostram salutem operatus « est, in quantum fuit Deus et homo, ut secundum id quod « homo est, ad redemptionem nostram pateretur, secundum autem « quod Deus, passio eius nobis fieret salutaris. Oportet igitur « ministros Christi homines esse, et aliquid divinitatis eius par- « ticipare secundum aliquam spiritualem potestatem. Non est « autem dicendum quod potestas huiusmodi sic data sit Christi « discipulis, quod per eos ad alios derivanda non esset; data est « enim eis ad Ecclesiae aedificationem secundum Apostoli dictum, « 2 Cor. ult. Tamdiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari, « quamdiu necesse est aedificari Ecclesiam. Hoc autem necesse « est post mortem discipulorum Christi usque ad saeculi finem. « Sic igitur data fuit discipulis Christi spiritualis potestas, ut « per eos derivaret ad alios ». Et haec est potestas quae nunc a nobis consideratur, quamque apostolis traditam, eorumque in sacerdotio successoribus, sacrae litterae ostendunt, et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit (1).

(1) Trident. Sess. XXIII, cap. 1.

Porro, sicut exsistentia eius diserte demonstratur in materia de Ordine, ita ibidem indivisim declaratur derivationis eius modus. Qui modus est per speciale sacramentum, et quidem consecratorium, id est imprimens characterem, ita scilicet ut ipse character qui est passiva consecratio, sit ipsa potestas de qua in praesenti. Ex quo statim consequitur, eam esse de sui ratione prorsus inamissibilem, « quia omnis potestas quae datur cum aliqua con-« secratione, nullo casu contingente tolli potest, re ipsa durante, « sicut nec ipsa consecratio annullari; unde cum episcopalis po-« testas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo « maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia prae-« cidatur » (1). Et haec etiam constant ex alibi dictis, tum de natura characteris in genere, tum de Ordinis sacramento in specie.

Sed nunc ulterius procedendo, inferre iam licet assertam in thesi distinctionem inter ordinis et iurisdictionis potestatem: pro quanto haec distinctio est quidem attendenda penes utriusque potestatis essentiam et obiectum (prout cuilibet consideranti per se evidens videbitur), verum etiam penes collationis modum seu efficientes causas a quibus respective pendet, hinc ordo, inde vero iurisdictio. Si enim iurisdictionis potestas aliqua consecratione conferretur, esset et ipsa omnino inamissibilis, perpetuoque manens in iis quoque qui deinceps ab unitate Ecclesiae deficerent, quod iam ostensum est impossibile (2). Et ratio impossibilitatis est quia quisquis iurisdictionem ordinariam in aliqua societate vel parte societatis habet, capitis in ea obtinet dignitatem. Repugnat autem ut qui membrum non est, caput exsistat, quia in quolibet corpore, sive physico sive morali, caput inter caetera membra eminet, et cum caeteris membris vinculo communionis necessario coniungitur; coniungitur, inquam, eo coniunctionis modo quem corporis natura requirit. Unde cum Ecclesiae corpus de quo nunc sermo, essentialiter visibile sit, visibilique compagine constans, quicumque ab hac visibili compagine praecisus exsistit propter aliquam e causis in Quaest. 7 recensitis, is iurisdictionis ordinariae incapax efficitur, et eam quam forte prius habebat, ipso separationis facto necessario debet amit-

(1) S. Thom. Suppl. Q. 38, a. 2.
(2) Q. 7, Thes. 11.

tere (1). Accedit praeterea quod iurisdictionis potestas convertitur cum missione legitima primitus apostolis data ad regendum populum Dei. Eiusmodi autem missionem in solidum consistentem, et in partes disgregatas minime divisibilem, omnia quaecumque de unitate et apostolicitate superius demonstrata sunt, ostendunt.

Vide ergo differentiam a potestate ordinis, cui certe non repugnat quominus ad quaelibet vel haereticorum vel schismaticorum conventicula transferatur, simul cum ipsis sacramentis quorum conficiendorum est potestas. Non, inquam, repugnat magis quam repugnet ut quis de domo aufugiens, secum auferat quae propria sunt domus bona, eaque foris dispenset, quanquam irregulariter prorsus et illegitime. Aliud enim est non habere aliquid, aliud non iure habere, vel illicite usurpare. Unde Augustinus l. 1 contra Cresconium Donatistam, n. 34: « Sicut ergo « Deus unus colitur ignoranter etiam extra Ecclesiam, nec ideo « non est ipse; et fides una habetur sine charitate etiam extra « Ecclesiam, nec ideo non est ipsa: ita et unus baptismus ha- « betur ignoranter et sine charitate etiam extra Ecclesiam, nec « ideo non est ipse. Unus enim Deus, una fides, unum baptisma, « una incorrupta catholica Ecclesia, non in qua sola unus Deus « colitur, sed in qua sola unus Deus pie colitur; nec in qua sola « una fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate « retinetur; nec in qua sola unus baptismus habetur, sed in qua « sola unus baptismus salubriter habetur ». Et quod centies milliesque de baptismo repetit, intelligi vult de caeteris sacramentis, et specialiter de ordinis potestate. « Nam, inquit l. 1 de bapt. « contra Donat. n. 2, sicut redeuntes qui priusquam recederent « baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes qui priusquam « recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed

(1) Iterum nota quod de *iurisdictione ordinaria* sermo est, quae sola simpliciter ac per se iurisdictio dicitur, quia uti iam in superioribus dictum est, de iurisdictione mere delegata ad quosdam particulares effectus in casu necessitatis, non eadem ratio est: quandoquidem ipsa se habet non ad modum virtutis permanenter residentis tanquam in capite, sed per modum virtutis transeunter effluentis, quam utique contingit interdum pervenire ad ea etiam quae a corpore separata, extra membrorum compaginem inveniuntur. Et hoc dico potissimum propter iurisdictionem quae lege lata, cuilibet sacerdoti provenit, etiam praeciso ab Ecclesia, ad absolvendum in mortis articulo.

« aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiae utilitas « postulat, aut si non administrant, sacramentum ordinationis « suae tamen gerunt... Quapropter potuerunt ab eis accipere cae- « teri cum ad nostrum consortium non accessissent, quod illi « non amiserant cum a nostro consortio recessissent ». Quin imo, non solum non fuit contra rationem potestatis ordinis, quod ipsa absolute inamissibilis exsisteret, quantumcumque quis ab Ecclesia praecideretur, verum id potius apprime ei congruebat secundum misericors Dei consilium qui salutis fontes etiam extra Ecclesiae fines effluere voluit, ut illis adiutorio fierent qui bona fide in haeresi vel schismate constituti, bona etiam fide adhaerent ministris illegitimis, adeoque non peccant sacramenta ab eis recipientes, nec obicem salutari ipsorum influxui ponunt ([1]).

§ 2.

Hinc ergo intelligitur ratio intrinseca et maxime fundamentalis, quare ordinis potestati propriissimum sit ut consecratorio sacramento conferatur, potestas autem iurisdictionis ex causis alius generis proveniat, de quibus suo loco erit sermo. Interim vero cave ne ex omnimoda distinctione ambarum potestatum omnimodam quoque earumdem inferas independentiam, sed qua ratione quove modo in ordinatissima Christi institutione ad unum reducantur, considera.

In primis potestas ordinis a potestate iurisdictionis pendet quantum ad legitimitatem sui exercitii, quatenus nusquam omnino rite et licite exercetur aut exerceri potest, nisi iuxta canones et praescripta ab ipsa iurisdictionis potestate emanata. Et ratio est omnino in aperto, quia iurisdictio importat ius moderandi omnes actus qui ad ecclesiasticae societatis finem referuntur; sed exercitium potestatis ordinis profecto est actus eiusmodi; oportet

([1]) Nota quomodo Augustinus non absolute dicat sacramenta extra Ecclesiam non prodesse ad salutem, sed tantum hac conditione subintellecta: si recipiens perversitati haereticorum vel schismaticorum consentiat: « Nec nos abnuimus, inquit l. 3 de bapt. n. 13, eum qui apud « haereticos vel in aliquo schismate extra communionem Ecclesiae bapti- « zatur, *non ei prodesse in quantum haereticorum et schismaticorum per- « versitati consentit* ».

ergo ut subsit potestati cuius est condere legem, ab eaque quoad sui regularitatem legitimitatemque omnimode dependeat. Quapropter, non rite exerceri ordinem intra ipsam Catholicam absque debita ad iurisdictionalem potestatem subiectione, antiquissimorum Conciliorum canones nos docent: « Quisquis presbyter, in- « consulto episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, « ipse honori suo contrarius exsistit ». Ita Conc. Carthag. II, can. 9. Et infra, can. 11 : « Roboranda est ecclesiastica disciplina, « ne quisquam episcoporum alterius plebes vel dioecesim sua « importunitate pulsare debeat... Placet secundum divinae legis « et sancti evangelii auctoritatem, ut nemo nostrum alienos li- « mites transgrediatur » (1). Et concilium Ephesinum, de Eustachio episcopo qui episcopatum abdicaverat statuens, ait: « Iustum « rectumque esse definivimus ut absque omni contradictione et « nomen retineat episcopi et honorem et communionem ; ea tamen « lege ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in « ulla ecclesia ex propria sacrificet auctoritate, nisi id sibi vel « adiuvandi causa, vel concessionis ratione, affectu amoreque « christiano a fratre et coepiscopo (illo nempe qui in ipsius lo- « cum suffectus fuerat) si ita contigerit, liberaliter deferatur » (2). Omitto alia innumera quae in eumdem sensum eamdemque sententiam collineantia proferri possent, nec in animo est ea repetere quae dicta sunt in tractatu de Sacramentis, Tom. 1, Thes. 16. Sive enim rationes attendas quae sunt ex natura rei, sive eas quae ab auctoritate desumuntur, nihil est magis obvium, nihil manifestius.

At nunc, utrum vice versa iurisdictionis potestas quamdam habeat dependentiam ab ordinis potestate, utique in alio genere causae, aliaque dependentiae ratione, merito inquiritur. Et in hoc quoque non relinquitur coniecturis locus, cum constet supremum ordinis gradum fuisse a Christo institutum ut in eo regiminis potestas resideret, prout ipsa nominis eius ratio luculenter ostendit. Semper enim et ab initio supremus ille gradus nomen habuit *episcopatus,* in quo regendi importatur auctoritas, iuxta illud Pauli, Act. XX: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spi-*

(1) Apud Labbe, Tom. 2.

(2) Epistola Concilii Ephesini ad sacram Synodum in Pamphylia, apud Labbe, Tom. 3.

ritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Non quod episcopalis ordo in aliquo esse non possit absque eiusmodi auctoritate; nam contra hanc interpretationem omnia prorsus traditionis monumenta protestarentur. Certe non erat cum potestate regendi in omnibus illis de quibus supramemoratus loquebatur Augustinus, qui in schismate consecrati, vel in schismate quolibet modo prius versati, ad Catholicam cum sua plebe accedebant, et vel deinceps remanebant sine honoribus suis, vel si hoc Ecclesiae utilitas postulabat, pergebant administrare quod prius administrabant, tunc primum accipientes cum institutione legitima iurisdictionem pastoralem. Non erat cum regendi potestate in iis, utique tot ac tantis, qui per Pontificum decreta vel Conciliorum statuta quotidie deponebantur, et tamen ordinis gradu nec privabantur nec poterant privari. Non erat cum regendi potestate apud eos quos arguit Concilium Ephesinum in epistola ad Papam Caelestinum, « qui nomen habebant episcoporum, ex « quibus alii sunt extorres, otiosi, ecclesiisque carentes, alii ante « multos annos ob graves culpas a suis metropolitanis depositi, « etc. ». Proinde, non sic intelligendum est dependere potestatem iurisdictionis a potestate ordinis episcopalis, quasi esset instar proprietatis necessario ab ea fluentis. Imo neque ita ut nullatenus consistat, nisi natura prius ordinis potestas accesserit; nam id rursus facile excluditur, praesertim iuxta praesentem disciplinae formam in qua iurisdictionis investitura ne concomitanter quidem se habet ad consecrationem, sed eam tempore etiam antecedere solet. Verum ea demum dependentia est agnoscenda, quae utique in genere causae materialis attenditur, tanquam formae a dispositione habilitante subiectum ad formam: habilitante tamen, non ad hoc ut forma simpliciter in subiecto sit aut esse possit, sed ad hoc ut in eo sit *regulari et connaturali modo,* prout congruit nativae illi ordinis episcopalis ad Ecclesiae regimen destinationi, quam vel sola nominis proprietas aperte demonstrat.

§ 3.

Sic ergo ad unitatis ordinem reducuntur ambae potestates, et ex earum coniunctione atque harmonica dispositione resultat mira illa ecclesiasticae hierarchiae ratio, quae non sinit hierarchiam ipsam a sua compacta unitate unquam effluere, et tamen

adhuc permittit ut hierarchici characteres natura sua indelebiles, in iis quoque permaneant qui segregant semetipsos. Ad cuius penitiorem intelligentiam considerandum est quid nomine hierarchiae veniat (1). « Hierarchia, inquit S. Thomas in II, D. 9, a. 1, « dicitur quasi sacer principatus a ἱερος quod est sacrum, et « ἄρχος quod est princeps. In omni autem principatu requiritur « gradus potestatis, et finis. Unde in sacro principatu oportet « huiusmodi sacra et divina esse, et ideo sicut in principatu « saeculari finis est ut subiecta multitudo pacifice disponatur ad « bonum intentum a principe, ita oportet quod in sacro princi- « patu finis sit assimilatio ad Deum (*intellige eam ad Deum as- « similationem quae deiformitate vitae aeternae ultimo consumma- « tur*). Hunc autem finem non est possibile (aliquos) consequi « nisi per ordinatam actionem, ad quam exigitur ordinata pote- « stas. Et ideo in definitione hierarchiae ponitur gradus pote- « statis..., et actio sicut ad finem inducens, et Dei similitudo sicut « finis intentus ». Nunc autem si verum est quod omnis hierar- chia de sui ratione respicit sacrum finem reductionis in Deum, nequaquam esse potest quod ibi vera hierarchiae ratio inveniatur, ubi eiusmodi respectus deest. Et hac de causa. non est hie- rarchia in daemonibus, quamvis in eis perseveret distinctio or- dinum secundum naturae conditionem, nec etiam illuminatio, quia « illuminatio proprie est manifestatio veritatis secundum quod « habet ordinem ad Deum qui illuminat omnem intellectum; alia « autem manifestatio veritatis potest esse locutio, sicut cum unus « angelus alteri suum conceptum manifestat; perversitas autem « daemonum hoc habet quod unus alium non intendit ordinare « ad Deum, sed magis ab ordine divino abducere, et ideo unus « daemon alium non illuminat, sed unus alii suum conceptum « per modum locutionis intimare potest » (2). Similiter ergo, si

(1) Hic in mentem revocabis quod hierarchia quandoque sensu passivo accipitur, pro multitudine regimini principis obnoxia, et hoc modo integrum Ecclesiae corpus hierarchia una est sub capite Christo. Quandoque autem sensu activo, pro ordine eorum qui vice Christi administrant communitatem, et hoc modo hierarchia ecclesiastica, in concreto quidem est illa Ecclesiae pars quae potestate instruitur, in abstracto vero nihil aliud quam ipsa potestas a Christo derivata. Porro. hoc posteriori sensu semper sumetur hierarchia nisi aliter notetur.

(2) S. Thom. 1. Part. Q. 109, a. 3.

qua potestas sacra in eo statu sit, in quo, quantum est ex vi huius status, nedum ad deiformitatem promoveat eos in quos exercetur, eosdem potius ab ordine divino per sacrilegium abducat necesse est, talis (inquam) potestas extra hierarchiae rationem est. Et sic est de potestate ordinis separata a principiis quae usum eius legitimant, quo modo est apud haereticorum et schismaticorum sectas. Nam etsi per accidens contingere possit et de facto saepe contingat ut effectum salutis obtineat in iis qui propter bonam fidem vel ignorantiam vel aliquid huiusmodi, a sacrilegii peccato excusantur, id tamen est omnino per accidens seu praeter propriam conditionem status ipsius, adeoque non sufficit ad ponendum in ea respectum ad reductionem in Deum, quem tangit Dionysius c. 4 Cael. Hier., cum hierarchiam definiens ait: « Hierarchia est divinus ordo deiformi quantum pos-« sibile est similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes pro-« portionabiliter in Dei similitudinem conscendens ». Cum igitur potestas ordinis nonnisi in unione cum potestate iurisdictionis legitimaque missione apostolis data, ad hierarchiam pertineat, ipsa autem iurisdictionis potestas extra corpus verae Ecclesiae nec sit nec esse possit, statim apparet qua ratione haec duo inter se optime concilientur quae primo forsitan intuitu contraria et repugnantia viderentur: nempe ecclesiasticam hierarchiam in indivisibili unitate necessario consistere, et tamen potestatem ordinis posse omnino extra unitatem transferri et propagari et conservari. Nam si accipiatur in praecisione seu separatione a potestate iurisdictionis, non habet amplius rationem potestatis proprie hierarchicae, id est, potestatis pastoralis qua pascuntur oves Christi.

Et hoc est quod explicant Patres super illud Canticorum (I, 6-7): *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Vox est Ecclesiae ad Christum, Ecclesiae suspirantis ad locum pascuae simul et securitatis, in quo nulla amplius timeri poterit seductio, nulla fallacia; ad locum in quo cubat ille qui pascit, quia non habet necesse stare et vigilare super custodiam gregis, quando grex, etiam cubante pastore et pausante sub umbris, libere nihilominus discurrit in pascuis, et non est qui exterreat. Hunc ergo locum, inquit, ubi est aeternae solstitium gloriae perennisque meridies, locum tantae claritatis et pacis et

plenitudinis, indica mihi. Timet enim, adhuc in terris constituta, ubi non est perspicua lux, sed facile pro veritate falsitas recipitur, ne forte seducta vagari incipiat post falsos pastores, id est, haereticos seu schismaticos. Quos tamen sodales sponsi appellare non dubitat, quasi potestatem necnon et veritatem sacramentorum Christi apud se habentes. « Dic mihi ergo ubi pascis, « ubi cubas in meridie, ne incurram in eos qui alia de te di- « cunt, alia de te sentiunt, alia de te credunt, alia de te praedi- « cant, et greges suos habent, et sodales tui sunt, quia de mensa « tua vivunt, et mensae tuae sacramenta pertractant. Sodales « enim dicti sunt, quod simul edant, quasi simul edales. Tales « exprobrantur in Psalmo: *Si enim inimicus meus super me magna « locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo, et si is qui oderat « me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab « eo. Tu vero, unanimis meus et notus meus qui simul mecum « dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus in consensu.* Et « quare contra domum Domini modo cum dissensu, nisi quia ex « nobis exierunt, sed non erant ex nobis » [1]. Cum itaque timeat sponsa seductionem, et seductionem a sponsi sodalibus qui teste Augustino, tales dicti sunt propter eorumdem celebrationem sacramentorum, quid iam sponsus respondeat attende. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Hoc est, si tui ipsius usque adeo oblita fueris, si legitimae sponsae pulchritudinem et ornatum in te amplius non cognoveris, si iam nesciveris discernere quid distet inter te et istos quos meos dicis sodales, sed quales fuerunt sodales Samson, non servantes amico fidem, sed volentes eius corrumpere uxorem: si, inquam, in tantum conditionis tuae immemor esse potueris, egredere et tu, non post vestigia mea, sed *post vestigia gregum*, nec unius gregis, sed gregum divisorum et errantium, *et pasce haedos tuos*, non sicut Petrus cui dicitur *pasce oves meas*, sed pasce haedos tuos *iuxta tabernacula pastorum*, non iuxta tabernaculum pastoris, ubi est unus grex et unus pastor. Haec quidem sponsus ad sponsam, non quasi asserens possibilitatem talis defectionis eius, sed quasi eam deterrens, eam confirmans, eique aperiens quid sentiendum de illis pastoribus qui cum legitima sacramenta non

[1] Augustin Serm. 138, n. 7. — Cf. Bern. Serm. 33 in Cantic. n. 8.

legitime habeant, proprios haedos, et non Christi oves pascunt. Nam « Petro dicitur, *oves meas;* schismaticis dicitur, *haedos tuos.* « Hic *oves*, ibi *haedos;* hic *meas*, ibi *tuos* » (1). Quippe potestas conficiendorum sacramentorum apud eos seiuncta est, separata est, divisa est a missione legitima, et pro tanto, ad hierarchiae rationem amplius non pertinet.

Hinc ergo apparet, quam longe a recto aberret eorum argumentatio, qui omnem quaestionem de successione apostolica ad quaestionem de validitate ordinum aut reducunt aut reducere affectant (2). Apparet plane, quod etsi impossibile sit ut in vera Christi Ecclesia potestas ordinis unquam exstinguatur, nondum tamen ex incorrupta talis potestatis transmissione sufficienter innotescit hierarchia pro Christo legatione fungens. Nam et mulieri fornicariae dicit Deus per Ezechielem Prophetam: *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis. Et oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum quem dedi tibi, similam et mel quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis. Et factum est, ait Dominus Deus* (3). Ecce talibus Dei donis ornabat mulier illa fornicationem suam, vel seducens vel seducta. In qua velut in typo et figura monstratum est qualiter fornicans a Domino schisma vel haeresis adhuc possit apud se retinere, et non tantum retinere, verum etiam promiscue exercere integram potestatem sacramentorum, quia cum ordinis potestas sua actione non pertingat immediate ad effectum gratiae, uti alias expositum est, nihil ex his quae gratiae collationi obstant, obstare unquam potest valido praedictae potestatis exercitio.

Sed de his iam satis, quoniam in aliis theologiae locis pleniorem habent expositionem. Magis autem intendendum in eas potestatis ecclesiasticae partes quae nulla ratione nulloque modo ad sectas transferri possunt. Et primo occurrit potestas qua Ecclesia constituitur dispensatrix revelatae veritatis, id est, potestas magisterii.

(1) August. Serm. 146, n. 2.
(2) Migne, Démonstrations évangéliques, Tom. 17, pag. 485.
(3) Ezech. XVI-17, seq.

QUAESTIO X.

DE POTESTATE MAGISTERII

Dicendum primo de exsistentia et ratione huius potestatis. secundo de obiecto eius, tertio de diversis modis quibus exercetur, quarto de subiectione quae eius decisionibus est debita.

THESIS XVI.

Medium a quo iuxta divinam ordinationem dependet propositio credendorum, non est privatus spiritus vel privatum examen Scripturae, sed auctoritas viventis magisterii. Hanc porro auctoritatem in Ecclesia sua Christus instituit cum infallibilitatis charismate perpetuo duraturam, ut esset in ea immobile principium tum incorruptionis tum unitatis fidei. Nec tamen ad solos fideles seu etiam catechumenos beneficum eius influxum patere voluit, sed supra verticem montium cathedram ecclesiasticam erexit, ut ad eos quoque qui longe sunt, miris multiplicibusque modis hoc magisterium radios suae lucis expanderet, itemque ut per ipsum ad perfectum adduceretur quidquid ab initio fuerat publice provisum pro diffusione revelatae veritatis in genere humano.

§ 1.

Circa proximam fidei regulam, id est circa principium a quo sit immediata propositio credendorum, duae sunt apud eos qui christiano nomine utcumque gloriantur, sententiae contrariae atque irreductibiles, et ita quidem inter se oppositae, ut intermedio systemati non relinquant omnino locum. Aliis enim placet in privato uniuscuiusque vel examine vel spiritu prae-

dictam regulam reponere; alii vero sentiunt eam esse agnoscendam in auctoritate publici magisterii a Christo in sua Ecclesia instituti. Prima est sententia protestantium cohaerens cum principiis superius iam expositis (1); altera catholicorum. Opinio autem protestantium duobus potissimum modis evidentissime excluditur. Ex criterio scilicet intrinseco, nihil aliud considerando praeter manifestam regulae ab eis assertae insufficientiam, inanitatem, nativamque in omnia monstra doctrinae necnon et morum corruptelam proclivitatem. Deinde vero ex criterio evangelico, eoque considerato tum in se, tum in sua constanti applicatione a primis originibus christianae religionis. Utrumque argumentum, quanta fieri poterit brevitate, nunc est exponendum, et incipiendum ab eo quod primo loco fuit indicatum.

Loquens S. Thomas de impotentia qua laborant homines in praesenti et historico statu generis humani, quominus *personali inquisitione* ad sufficientem veritatis cognitionem perveniant (illius dico veritatis quae per se est rationi pervia), tria enumerat inconvenientia quae manifeste sequerentur si relinqueretur haec veritas per solas individualis rationis vires inquirenda. « Unum est, inquit (2), quod paucis hominibus Dei co-« gnitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est « veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Qui-« dam siquidem impediuntur propter complexionis indispositionem « ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum; unde « nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum « humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum « consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris; « oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus « administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contem-« plativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum « fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei co-« gnitionem. Quidam autem impediuntur pigritia; ad cognitio-« nem enim eorum quae de Deo ratio investigare potest, multa « praecognoscere oportet, cum fere totius philosophiae conside-« ratio ad Dei cognitionem ordinetur. Sic ergo nonnisi cum magno « labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri

(1) In 1ª Parte, Q. 1.
(2) S. Thom. l. 1 c. Gent., c. 4.

« potest, quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore « scientiae, cuius tamen mentibus hominum naturalem Deus in- « seruit appetitum. — Secundum inconveniens est, quod illi qui « ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, « vix post longum tempus pertingerent, tum propter huiusmodi « veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis « nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus « invenitur; tum etiam propter multa quae praeexiguntur, ut « dictum est; tum propter hoc quod tempore iuventutis, dum « diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad « tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens « et sciens. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis « via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae « tenebris, cum Dei cognitio quae homines maxime perfectos et « bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post « temporis longitudinem proveniret. — Tertium inconveniens est, « quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admi- « scetur, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando et « phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubita- « tione remanerent ea quae sunt verissime etiam demonstrata, « dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant « a diversis qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa « etiam vera quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid « falsum quod non demonstratur, sed aliqua sophistica ratione « asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo opor- « tuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus « divinis hominibus exhiberi. » Haec quidem Angelicus, cui ipse communis sensus et evidens factorum ratio suffragatur.

Iam age. Protestanticum systema nunc accipe. Supponitur. primo quod Deus debilitati rationis succurrere volens, remedium revelationis adhibere decrevit, ut ea etiam quae in rebus divinis rationi impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis conditione, ab omnibus hominum categoriis expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possent. Supponitur praeterea, quod cum placuerit Deo ordinare hominem ad participanda bona divina supra mensuram humanae intelligentiae, non ea tantum in eius revelatione continentur quae ratio per seipsam de potentia absoluta posset invenire, verum etiam, imo primario ac principaliter, mysteria abditissima omnem na-

turalem ordinem transcendentia. Supponitur denique quod integra haec revelatio divinitus fuit consignata in aliqua librorum inspiratorum collectione quae *Bibliorum* nomine pervulgatur: ea demum lege, eaque conditione, ut unicuique deinceps homini relinqueretur personale onus eruendi ex hac scriptura credendam veritatem, sibique ipsi privato studio atque examine, fidei symbolum construendi. Haec, inquam, sunt quae supponuntur; ex quibus duo priora communia esse debent tam protestantibus quam catholicis, ultimum vero prae se fert ipsissimam protestantium positionem, propriamque regulam ab eis assumptam et propugnatam. Nunc autem statim videbis, in ea redire omnia inconvenientia in quorum remedium ordinata fuit revelatio, imo redire gravioribus aucta incommodis, iisque tot ac tantis, ut vere diceres non potuisse res meliori modo disponi, si propositum Dei revelantis fuisset data opera coniicere homines in confusionem et continuam ad omnem ventum doctrinae fluctuationem, quae deinde proprio veluti pondere aut in incredulitatem pertraheret, aut in fanatismum.

Dico in primis redire inconvenientia omnia in quorum remedium ordinata est revelatio. Ad hoc enim ut quis privato Scripturae examine, in cognitionem veritatis revelatae devenire possit, oportet primo ut noverit legere. Oportet secundo ut propria inquisitione certior fiat de auctoritate Bibliorum in ratione regulae fidei a Deo inspiratae. Oportet tertio ut sciat hanc regulam in codice quem prae manibus tenet, incorrupte conservari. Oportet quarto ut vel intelligat linguas in quibus ipsa originalis scriptura conscripta fuit, vel certe habeat in promptu versiones in noto sibi idiomate. Oportet quinto ut de fidelitate versionum eam per seipsum certitudinem acquirat, quae cum dubio prudenti compossibilis non sit. Vide quot et quanta iam requirantur, quamvis adhuc nihil, praetereaque nihil, nisi mera praeambula ad qualecumque initium inquisitionis circa doctrinam et veritatem in Scripturis consignatam. Et tamen, si vel ista sola in praeliminio posita considerentur, nonne luce meridiana clarior apparebit omnimoda disproportio systematis cum facultatibus et viribus generis humani in sua historica conditione considerati? Quis nesciat longe maximam hominum partem ad haec usque tempora nostra, omni litteraria cultura caruisse, iisque applicari nota Augustini verba: « Quemadmodum qui videt litteras in

« codice optime scripto et non novit legere, laudat quidem an-
« tiquarii manum admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi
« velint, quid indicent illi apices nescit, et est oculis laudator,
« mente non cognitor? » Ergone a via salutis et agnitione veritatis necessario excludetur quisquis legendi artem hactenus non didicit? Ergone fidei christianae particeps nemo esse poterit, cui per aetatem vel alias circumstantias non licuit lycea frequentare?

Sed volo ut ad eos solos qui rudimenta saltem litterarum perceperunt, nostra reducatur consideratio. Sane vero, quisquis in scripto codice regulam fidei quaerit, debet per prius codicem discernere a quocumque humano libro. Incumbet ergo unicuique ut sibi ipsi comparet demonstrationem de existentia Scripturae qua inspiratae. Incumbet ut, secluso divinae traditionis infallibilisque magisterii medio quod in hypothesi removeri debet, canonem conficiat seu catalogum librorum divinorum. At, dato interim quod ista sint absolute possibilia, omnibus suppositionibus factis quas protestantium regula requirit, rem saltem difficillimam et supra modum operosam fatearis necesse est. Id enim *ad minimum* probant repetitae confessiones adversariorum (1); probant successiva tentamina quibus doctores eorum ab uno demonstrationis modo in alium fluctuant, nunquam in uno determinato consistentes (2); probat denique sensus intimus omnis hominis qui vel a longe hanc materiam attigit, et vel solum quaestionis statum utcumque est assecutus. Et haec quidem de auctoritate Bibliorum veluti in abstracto.

Nunc vero de versionibus quid dicam? Scriptura namque partim hebraice et partim graece conscripta est; sed a multis saeculis duo haec idiomata inter mortuas linguas computantur, et vix reperiuntur qui utrumque, imo alterutrum norint. Opus igitur erit ut de genuinitate versionis qua utitur, singulus quisque privatus inquirat. Sed hoc, quaeso, quomodo esse poterit? Nam

(1) « Que la vraie manière d'établir l'autorité canonique du Nouveau « Testament est pleine de nombreuses et graves difficultés ». Ieremias Jones, theologus anglicanus, apud Wiseman (Migne, *Démonstrations évangéliques*, Tom. 15. col. 731). — « Les chrétiens les plus exercés, la « portion intelligente des chrétiens, sont-ils capables de démontrer par « des arguments solides la vérité de l'Ecriture? Que ceux qui l'ont « essayé en soient juges ». Richardus Baxter, ibid. col. 732, etc. etc.

(2) Specimina vide apud Wiseman, loco indicato, col. 734 et seq.

ut per privati examinis viam de fidelitate versionis aliquis certior fiat, oportet ut versionem conferat cum originali, et iam debet illud ipsum praesupponi, ad cuius defectum supplendum versio subrogatur. Crescit porro difficultas, quia cum ab initio Reformationis multae prodierint versiones in linguas vernaculas, nulla fuit quae ab ipsis Reformatorum principibus non damnaretur. « Lutheri versionem carpunt Tigurini, Osiandrini, Bucerus, Mun« sterus, Lutherus ipse. Nam Tigurini multis sannis illam exci« piunt, ut conqueritur Stolzius in defensione Lutheri, Osian« drini obiiciunt illi dolum et falsitatem, Bucerus manifestos et « non paucos lapsus, Munsterus multorum versuum omissionem. « Denique Lutherus ipse post viginti annos fassus est se cre« brius errasse, eo quod Rabbinorum glossis nimium credidis« set, ut testatur Cochlaeus in actis Lutheri, Lindanus in Dubi« tantio, et alii. Versionem Bezae damnavit Castalio in Praefa« tione ad Anglam, Samuel Hubertus in libro de ultimae tubae « clangoribus, Hugo Bructhonus, et quis non? Vicissim versio« nem Castalionis reprehendit Beza in suis annotationibus tan« quam falsam, ineptam, imperitam, audacem, blasphemam, vi« tiosam, ridiculam, exsecrandam, erroneam, impiam, perversam. « Munsteri versionem perstringunt Tigurini et Pelicanus in suis « Praefationibus. Denique cum Tigurinorum Biblia a typographo « oblata essent Luthero, hoc responsum ab eo accepit: *Ne posthac « mihi aliquid mittas, quod a ministris Tigurinae Ecclesiae per« fectum sit. Nullum enim cum eis posthac commercium habere, « nec eorum libros recipere aut legere volo, quandoquidem ipsi « iam damnati sunt, et alios quoque miseros homines secum ad « inferos abducunt,* etc. Ita refert Hospinianus in Historia Sa« cramentaria, anno 1544 » (1). Sed nec felicius res successit in Anglia, ubi pervulgatae Bibliornm editiones tam manifeste erant corruptae, ut communi consensu a catholicis aeque ac a doctis protestantibus contra eas reclamatum sit, et rex Iacobus novam editionem fieri iusserit quae usque nunc est in usu, quin tamen multo solidius praestare possit fiduciae fundamentum (2). Denique,

(1) Becanus, Manuale Controversarium, l. 1, c. 1, Quaest. 6.

(2) « Quand un protestant anglais s'est procuré une bible anglaise « imprimée par Thomas Basket ou tout autre *imprimeur de la très « excellente majesté du Roi*, il la prend entre ses mains avec la même.

si tot tantaeque occurrunt perplexitates circa versiones factas in eas linguas quae ipsis interpretibus familiares erant, quid iam sentiendum erit si ad ea idiomata quae a nostris longe distant, praesens transferatur consideratio? Unde non mirum si ex ipsissimis Societatum Biblicarum relationibus compertum sit, versiones innumeras in missionibus protestanticis fuisse diffusas, quae propriorum auctorum iudicio debuissent retractari, propter absurditates, impietates, et errores quibus abundabant (1). Putasne igitur eam esse posse fidei regulam a Deo communitati hominum praeparatam, in cuius necessariis praeambulis nihil reperitur praeter omnis generis incertitudines inextricabiliaque problemata, quibus solvendis studiosorum vires cum pleno apparatu scientiarum palaeontologicarum, criticarum, philologicarum, ne quidem sufficerent?

At haec iterum praetermitto. Suppono hominem in possessione codicis Scripturae, et tanta quidem securitate quanta esse posset si de ipsius Dei manibus editionem genuinam accepisset, sicut tabulas Legis accepit Moyses inter Sinaitica fulgura ac tonitrua. Atqui non in materiali possessione litterae mortuae consistit acceptio revelatae veritatis, sed in assecutione sensus et intellectu sententiarum. Hactenus ergo nihil. Sed nunc primum post praecedentia praeambula, incipit venire in usum et ad applicationem perduci regula protestantium, idque iam ab unoquoque exigitur, sicut dictum est superius, ut ex ingenti illo Scripturarum volumine summam credendarum veritatum, tum quae

---

« confiance que s'il l'avait immédiatement reçue du Tout-Puissant même « comme Moïse reçut les tables de la Loi sur le mont Sinaï au milieu « des tonnerres et des éclairs. Mais que cette confiance est vaine, tant « qu'il adhère à la règle de foi dont nous venons de parler! Que de « points contestables il accepte comme démontrés, et qui ne peuvent « être prouvés sans renoncer à ses propres principes et adopter les « nôtres! » Milner, apud Migne, Dém. Ev., Tom. 17, col. 625.

(1) « Si le temps me le permettait ou que cela fût nécessaire, je « montrerais d'après les divers rapports de la Société Biblique et le « témoignage de ses membres, qu'un grand nombre de versions, après « avoir été répandues parmi les habitants des contrées que l'on voulait « convertir, ont dû nécessairement être retirées à cause des absurdités, « des impiétés, et des erreurs innombrables qu'elles contenaient ». Wiseman, apud Migne, Dém. Evang., Tom. 15, col. 740.

ad fidem tum quae ad mores pertinent in ordine ad ultimum totius humanae vitae finem, proprio acquirat examine. Et eunuchus quidem ille potens Candacis reginae Aethiopum, qui Act. VIII-26, revertebatur e Ierusalem sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam, scopum adeo grandem sibi non praestituebat, quamvis interroganti Philippo: *Putasne intelligis quae legis?* respondere non dubitaverit: *Et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Sed non ita visum est protestantibus. Eis enim asserere placuit, Scripturam esse in omnibus claram, lippis etiam atque tonsoribus notam: et hoc quidem pro necessitate causae, contra obviam rei evidentiam, ita ut pudeat in negotio toties eliquato ad argumenta descendere. Re vera, duo in Scripturis considerari possunt, ut observat Bellarminus, l. 3 de verbi Dei interpretatione, c. 1: res quae dicuntur, et modus quo dicuntur. Si res consideres, necessario fatendum est, Scripturas esse obscurissimas, siquidem tradunt summa mysteria de divina Trinitate, de incarnatione Verbi, de sacramentis coelestibus, de operatione Dei in mentibus humanis, de aeterna praedestinatione et reprobatione, deque aliis rebus arcanis et supernaturalibus quae non sine magno studio et labore, nec sine gravissimi erroris periculo investigantur. Certe si scientia metaphysicorum difficilior atque obscurior est omnibus aliis naturalibus disciplinis, quia causas altissimas tractat, quomodo non obscurissima erit sacra Scriptura, quae de rebus longe altioribus agit? Quid quod magna pars Scripturae vaticinia continet de rebus futuris, et vaticinia carmine scripta, quibus certe nihil difficilius, nihil obscurius. Si vero modum dicendi consideremus, inveniemus innumerabiles rationes difficultatis, primo propter apparentes antilogias, secundo propter idiotismos, tertio propter orationes figuratas plurimas, tropos, metaphoras, allegorias, hyperbata, ironias, et alia id genus sine ullo numero. Accedat postremo testimonium adversariorum, quod velint nolint, huic veritati coguntur perhibere. Nam si Scriptura esset tam clara, ut ipsi dicunt, cur tot commentaria scriberent? Cur tam diversas ederent Scripturae versiones? Cur tam varie Scripturam explicarent? Cur tot et tantae variationes, quarum vel sola historia integra implet volumina? Finge ergo hominem idealem qui praeclaro praeditus ingenio veritati inquirendae totus incumbat, qui nec inclinetur ad detorquendum secundum propria desideria lit-

terae sensum, nec aliorum opinionibus in diversa trahentibus usquequaque moveatur, hominem propositi tenacem, solius veri amore captum, supra vulgi passiones in magno mentis culmine stantem, hominem denique quem ab otio studiosissimae scrutationis nec cura rei familiaris, nec defatigationis timor, nec mille casus aerumnosae huius vitae removeant: finge, inquam, hominem huiusmodi, et iam pro miraculo habendum esset si individuali examine ad intentum finem inveniendae in Scripturis nostris verae normae fidei et morum absque multiplicium admixtione errorum, unquam perveniret. Atqui huiusmodi idealis homo non exsistit, et ab eo longe distat homo realis atque historicus, cui praeter intrinsecas Scripturae obscuritates obstaculo sunt ingenii debilitas, phantasiae illusiones, passionum vehementia, necessariae occupationes, et infinitae propemodum explicationum contrarietates quas, hac regula supposita, necesse est exoriri [1]. Nisi ergo dicas Deum in genere humano facem revelationis accendisse, non ut puro eius lumine mentes illuminarentur, sed ut fumo et caligine semper crescente humanarum interpretationum magis magisque obcaecarentur, cum omni evidentia fateri debes, non ibi esse divinum systema in hominum salutem a benefica Providentia institutum atque provisum.

[1] Vix decem aut quindecim annis post natam Reformationem, testabatur Osiander viginti sententias diversissimas de iustificatione secundum Scripturas versari inter solos Confessionistas. Et Lutherus ipse in l. 1 c. Oecolampadium et Zwinglium, scriptum relinquebat : *Si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium, propter diversas Scripturae interpretationes quae nunc fiunt, ut Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* — Et quid mirum, cum licentiae interpretationis ipsi magistri talia exempla suppeditabant : « Legimus Isaiae XLI : *Bene aut « male, si potestis, facite.* Hoc Lutherus interpretatur de libero hominis « arbitrio, et inde probat hominem non amplius habere liberum arbi- « trium, sed per peccatum primi parentis amisisse. Item legimus Matth. « XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc Calvinus, non se- « rio, sed ironice a Christo dictum esse interpretatur, ut sensus sit : Ne « serves mandata, quia illorum observatio nec prodest, nec possibilis « est. Item legimus Matth. XXVI : *Hic est sanguis meus novi Testa- « menti.* Lutherani sic interpretantur : hoc vinum est sanguis meus, Cal- « vinistae sic : hoc vinum significat meum sanguinem. Plessaeus, l. 4 « de Euch., c. 2, sic : Haec est acerba illa mors et passio quam mox « sustinebo, etc. ». Becanus, Controv. l. 1, c. 1.

Notetur porro quod regula protestantica hactenus considerata est, prouti continetur limitibus examinis Scripturae *ex indito unicuique rationis lumine*. At vero, cum nimis evidens esset, solum rationis lumen in maiori saltem parte hominum, ad id minime sufficere, ii qui tenaciores principii Reformationis exstitere, pro lumine rationis spiritum privatum posuerunt, id est, *inspirationem et immediatam Spiritus Dei suggestionem unicuique privato datam ad detegendos reconditos Scripturae sensus*, ut iam pro criterio et argumento esset, non obiectiva sententiarum significatio secundum communes hermeneuticae leges declaranda, sed solus interior spiritus revelans, fieretque hoc modo, non solum in omnia doctrinae monstra, verum etiam in saevum fanatismum praeceps descensus. Quippe in hoc propria fanatismi ratio est, quod pro divino instinctu, depravatae naturae libidines et effrenatae phantasiae somnia habeantur. Et Deo quidem gratias, quod plerique protestantium suam regulam non sequuntur, sed ubi ad puri rationalismi partes se non transferunt, larvae auctoritatis quae adhuc in saniori parte sectarum residua est fidem suam committunt (1). Non ergo in iis plena veluti efflorescentia et fructificatio systematis videre est. Sed quibuscumque ratum fixumque mansit, esse in Bibliis verbum Dei quod individuali interpretationi tradidit Deus, iis quoque pronum fuit individualem divini Spiritus suggestionem adstruere, illuminationemque subiectivam omni extrinseco criterio superiorem. Quo modo contigisse videmus in secta Anabaptistarum qui cum Deo sibi colloquium esse dicebant, asserentes mandatum se habere ut, impiis omnibus interfectis, novum constituerent mundum seu novam Ierusalem in qua piis solum et innocentes viverent, re-

(1) « Il est étrange de nous voir abhorrer si fortement comme la « chose la plus injurieuse à Dieu cette conduite du papisme qui résout « notre foi dans l'autorité de l'Eglise, tandis que cependant, pour la « généralité des docteurs, nous nous contentons d'une foi de même na- « ture, avec cette différence seulement que les catholiques croient que « l'Ecriture est la parole de Dieu, parce que leur Eglise le leur dit, *et « nous, parce que notre église et nos docteurs nous le disent.* Oui, en vérité, « beaucoup de ministres n'ont jamais donné à leurs ouailles de meil- « leures raisons que de leur dire que c'est un crime de le nier ». Richardus Baxter, apud Migne, Dém. Ev. Tom. 15, col. 733.

rumque potirentur (1). Item in secta Quakerorum et Puritanorum (2). Item in pluribus sectis Methodistarum (3), aliisque recen-

(1) « Carlostadt. le premier disciple marquant de Luther, embrassa « cette ultra-réforme, mais son chef avoué et reconnu durant son règne « fut Jean Bockold tailleur de Leyde, qui se proclama roi de Sion et « fut pendant quelque temps réellement souverain de Munster dans la « Basse-Alemagne, où il commit les plus grands excès qu'il soit possible « d'imaginer, ayant épousé onze femmes à la fois, puis les ayant mises « à mort ainsi qu'une foule innombrable de ses autres sujets, à l'insti- « gation de son prétendu esprit intérieur. Il publia que Dieu lui avait « fait don d'Amsterdam et de plusieurs autres villes, et il envoya des « détachements de ses disciples pour en prendre possession. Ceux-ci « couraient nus dans les rues en criant : Malheur à Babylone, malheur « aux méchants ! Et lorsqu'on se fut saisi de leurs personnes, et qu'ils « étaient sur le point d'être exécutés, ils chantaient et dansaient sur « l'échafaud dans le transport que leur causait la lumière imaginaire de « leur esprit. Herman, autre anabaptiste, se trouva poussé par son esprit « à se déclarer le Messie, et à évangéliser ainsi le peuple et ceux qui « l'écoutaient : Tuez les prêtres, tuez tous les magistrats de la terre, « repentez-vous, votre rédemption est proche, etc. » Milner, apud Migne, Dém. Ev. Tom. 17, col. 601.

(2) « Ce fut au milieu de ces commotions religieuses et civiles que « la secte la plus extraordinaire entre toutes celles qui ont adopté la « règle d'inspiration privée, se forma à la voix de Georges Fox, cor- « donnier dans le Leicestershire. Ses propositions fondamentales sont : « *Que l'Ecriture n'est pas la règle essentielle et première de la foi et des « mœurs, mais une règle secondaire subordonnée à l'esprit, d'où elle tire « toute son excellence et sa certitude. Que le témoignage de l'esprit est le « seul par lequel la véritable connaissance de Dieu est et peut être révélée. « Que tout culte vrai et agréable à Dieu lui est rendu dans l'impulsion et « l'attrait intérieurs et immédiats de son Esprit, qui n'est limité ni par le « temps, ni par l'espace, ni par les personnes.* Tels sont les principes a- « voués de la secte des Quakers. Voyons maintenant quelques-uns des « fruits de ces principes, tels qu'ils les ont eux-mêmes présentés dans « l'histoire de leur fondateur et de leur premiers apôtres ». Sequitur enumeratio, quam simul cum fontibus indicatis vide si lubet, apud Milner (Migne, Dém. Ev. Tom. 17, col. 603 et seq.).

(3) Fletcher unus e primoribus inter discipulos Wesleii fundatoris Methodismi, de fructibus systematis loquens, haec habet : « J'ai entendu « ceux qui passent pour croyants, crier *contre la légalité de leurs cœurs « dépravés qui*, disaient-ils, *les avertissaient encore qu'ils devaient faire*

tissimis (1), quarum historia nihil minus refert quam plenam humanarum aberrationum sub specie illuminismi congeriem. Quae omnia considerans mens sagax et boni iudicii indole praedita, perspiciensque qualiter eiusmodi fructus ex systemate ipso per se exoriantur, invincibiliter aestimabit perniciosum hoc esse inventum quod a Patre luminum non descendit, ne peior inveniatur Pater ille coelestis patre terreno de quo Christus in evangelio : *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?*

Nunc vero, si ad criterium evangelicum animum convertas, videbis protestanticum systema ab eo tantum distare, quantum a nocte dies, et lumen a tenebris. Nam primo, quod

« *quelque chose pour leur salut.* Qu'il y a peu de nos chaires célèbres « où il ne se soit dit plus de choses *en faveur* du péché, que *contre* le « pèché ! » Et alibi citat Richardum Hill dicentem : « Que l'adultère « même et le meurtre ne peuvent nuire aux enfants de la grâce, mais « qu'ils opèrent plutôt pour leur bien... Dieu ne voit point de péché « dans les croyants, quelques péchés qu'ils puissent commettre. Quand « mes crimes surpasseraient ceux de Manassés, je n'en serais pas moins « un enfant de la grâce parce que Dieu me voit toujours en Christ. « C'est pourquoi au milieu même des adultères, des meurtres, et des « incestes, il peut m'adresser ces paroles : *Tu es toute belle, mon amour, « ma chaste épouse ; il n'y a point en toi de tache.* C'est une des plus « pernicieuses erreurs de l'Ecole que de distinguer les péchés suivant « le fait, et non suivant la personne. Quoique je blâme ceux qui disent : « Péchons, afin que la grâce abonde, je n'en crois pas moins que l'a- « dultère, l'inceste, le meurtre me rendent, après tout, plus saint sur « la terre, et plus joyeux dans le ciel ». Apud Milner-Migne, l. c., col. 607 sq.

(1) « Depuis que cette lettre est écrite, une autre secte, *les Joan- « nites* ou disciples de Joanna Southeote, se sont fait remarquer par « leur nombre et par la singularité de leurs croyances. Cette femme « apôtre a été amenée par son esprit à croire qu'elle était la femme de « la Genèse destinée à écraser la tête du serpent infernal... Elle croit « être pareillement la femme de l'Apocalypse, couronnée de douze « étoiles, qui sont autant de ministres de l'Eglise établie. En effet, un « de ceux-ci, riche bénéficier, lui sert de sécrétaire pour écrire et scel- « ler des passeports pour le ciel, qu'elle se prétend autorisée à délivrer « au nombre de 144000, etc. ». Milner, ubi supra, col. 605.

attinet ad Christum religionis nostrae auctorem, certissimum est viventi eum ac personali magisterio ad instruendos homines constanter usum esse, scriptura autem nullo modo. Nihil enim ipse scripsit; nihil, inquam, et ne quidem pro eruditione posterorum, sed ut Chrysostomus Hom. 1 in Matth. n. 1 animadvertit, solus liber dignus Christo tanto doctore et magistro, fuerunt apostoli ipsi, quos per triennium viva voce formaverat, in quorum mentibus suam doctrinam impresserat, quique deinceps post acceptum Spiritum Sanctum quaquaversum circumierunt, *vivi libri et viventes leges per gratiam effecti.*

Crescit porro argumentum si authenticum documentum apostolicae missionis attendas : *Euntes,* inquit, *docete.... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et iterum : *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Sane vero, haec verba *docete, praedicate,* sensu saltem obvio et primario, de vivente magisterio intelligere necesse est. Etenim naturalis docendi modus est per orale verbum quod a natura ipsa suppeditatum, ad omnes hominum categorias adaptatur; dum scriptura generatim, medium est artificiale paucis accommodatum, quod in adiutorium vel supplementum oralis disciplinae accessorie fuit introductum. Praeterea, si misisset Christus apostolos ad docendum scripto, quorsum spectarent subsequentia : *et ecce ego vobiscum sum* (utique vobiscum docentibus) *usque ad consummationem saeculi?* Scriptura enim N. T. in primitivo Ecclesiae aevo semel pro semper edita fuit, adeoque assistentia quae ad id docendi genus requirebatur, non ultra spatium vitae apostolorum vel virorum apostolicorum erat protendenda, cum tamen saeculi consummatio quae assignatur pro termino, ubique in evangelio finem mundi et iudicium universale significet. Hinc Apostolus, Rom. X-14 : *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Quo in loco explicat Paulus habitudinem fidei ad praedicationem apostolicam, et talem utique habitudinem qualem ferebat institutio Christi. Ait autem : *fides ex auditu,* non ex lectione, et ita ex auditu ut debeant praedicatores evangelii mitti

personaliter, implereque munduni, non editionibus Scripturae (quod etiam ante inventam typhographiae artem fuisset penitus impossibile), sed sono verborum suorum.

Accedit rursus quod non potest supponi, apostolos aut mentem Christi non fuisse assecutos, aut mandato eius non obedivisse. Porro, si apostoli intellexissent mandatum Christi de tradenda doctrina scripto tenus, vel si propositum ipsis fuisset dare Scripturam ut primarium ac principale doctrinae instrumentum, praeterquam quod alicubi testarentur se ex mandato Christi scribere, certe ex professo se ad scribendum accinxissent, velut exsequentes proprium munus suum ; insuper summam quamdam veritatis christianae in unum corpus redactam cuidam codici commisissent. Atqui ex opposito prorsus res se habet. De quo egregie Eusebius, l. 3 Hist. eccl. c. 24 : « Admirabiles illi prorsusque « divini apostoli Servatoris nostri, cum essent omnibus virtutibus « ornati, sermone autem ipso rudes atque inculti, freti divina et « mirifica virtute ipsis a Servatore concessa, artificioso verborum « ornatu Magistri sui praecepta exponere neque noverant neque « item conabantur. Sed adiuvantis ipsos Spiritus Sancti demon« stratione, et virtute Christi quae per ipsos plurima perpetra« bat miracula, tantummodo utentes, notitiam regni coelorum « orbi terrarum nuntiabant. Neque curae illis erat libros scri« bere, quippe qui longe praestantiori ministerio fungerentur. « Paulus certe qui inter omnes apostolos, et verborum apparatu « et sententiarum pondere facile praestabat, praeter paucissimas « epistolas nihil omnino scriptum reliquit, tametsi innumera my« steria exponere potuerit, quippe qui ad earum rerum quae in « tertio sunt coelo contemplationem pertigisset.... Sed et reliqu « Servatoris nostri adiutores, duodecim videlicet apostoli et se« ptuaginta discipuli, alii denique praeter eos innumerabiles, ea« rumdem rerum minime expertes fuerunt. Soli nihilominus ex « cunctis discipulis Matthaeus et Ioannes scriptos nobis rerum « commentarios reliquerunt : quos quidem necessitate quadam ad « scribendum impulsos fuisse perhibent. Nam Matthaeus, cum « Hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gen« tes profecturus, evangelium suum patrio sermone conscribens, « id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto « illis quos relinquebat, supplevit. Postea vero, cum Marcus iam « et Lucas evangelia sua seorsum singuli edidissent aiunt Ioan-

« nem qui hactenus nuda voce verbum Domini praedicaverat, « tandem ob huiusmodi causam ad scribendum se contulisse. « Perlatis iam in omnium, ipsiusque adeo Ioannis notitiam su- « pradictis tribus evangeliis, approbavisse ea Ioannes, et verita- « tem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur, solam vero « narrationem earum rerum quas Christus circa praedicationis « initium gesserat, desiderasse.... Marcum vero quaenam causa « ad scribendum impulerit, iam superius commemoravi. At Lucas « in ipso evangelii sui exordio quae sibi causa esset exposuit. « Ait enim multos temere atque imprudenter aggressos fuisse « narrationem earum rerum quas ipse exploratas haberet, ac « proinde se necessitate adductum ut nos ab incertis opinionibus « liberaret, certissimam ac fidelissimam narrationem earum re- « rum quarum ipse veritatem, partim ex Pauli contubernio, par- « tim ex reliquorum apostolorum sermonibus hauserat, evange- « lio suo tradidisse ». Vides igitur quomodo ad praedicandum viva voce non expectarunt apostoli occurrentem quamdam particularem causam, sed sponte sua et ex proprio instituto perrexerunt. At ad scribendum, nonnisi necessitate quadam coacti animum applicuerunt. Quod autem codicem seu summam christianae doctrinae non confecerint, res ipsa luculenter commonstrat. Nam vel historiam scripserunt ut evangelistae, vel epistolas ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, Ioannes; et in iis nonnisi obiter de dogmatibus tractaverunt. Ita fere Bellarminus, de verbo Dei, l. 4, c. 4.

Haec tamen non ita certe accipias velim, quasi Scriptura divinitus inspirata inter mera accessoria religionis nostrae foret collocanda, absit. Nam et ipsae occasiones scribendi N. T. libros non casu utique contingebant, sed omnino secundum dispositionem aeternae Providentiae quae divinis codicibus, utpote multiplici de causa Ecclesiae necessariis, Ecclesiam ipsam ditare decreverat.

Scripturas dixi multiplici de causa Ecclesiae necessarias. Et prima quidem necessitatis causa fuit, ut Scriptura esset in adiutorium magisterio, velut medium conservationis dogmatum revelatorum, et depositorium dives e quo in fidei praedicatione doctrina promeretur. Non quod per solam traditionem de ore in os ipsa dogmatica veritas non potuisset absolute conservari, sed quia ad connaturaliorem conservandi modum conveniebat ut pro potiori saltem dogmatum parte, orali traditioni fixum quoque in-

spiratae scripturae instrumentum adiungeretur. Verumtamen sub hoc respectu non consideratur nisi necessitas secundum quid, prout scilicet necessarium dici potest id per quod melius et convenientius pervenitur ad finem. — Unde iam succedit alia necessitatis ratio, eaque praestantior, quia non sola dogmata seu articuli fidei erant conservanda, sed ea quoque omnia quae ad eorum manifestationem faciunt, ut sunt prophetiae, historiae, figurae, exempla, et alia id genus innumera ex quibus doctrinae christianae suus accedit ornatus et decor. Doctrina enim revelata, sine multiplicibus factis eam illustrantibus, sine splendore veterum vaticiniorum et figurarum, sine cognitione circumstantiarum in quibus acta sunt mysteria redemptionis nostrae, sine notitia viarum civitatis Dei inde ab initio mundi, nimis abstracta foret et minus quam par est hominibus accommodata. Atqui ad huiusmodi res conservandas omnino requirebatur Scripturae instrumentum, quandoquidem, secluso inutili miraculo, impossibile fuisset ut in tanta factorum circumstantiarumque varietate, sola oralis traditio multipliciter non deficeret, prout cuique consideranti statim apparebit. — Tertia tandem necessitatis ratio fuit, ut haberet Ecclesia divinas commonitiones, consolationes, promissiones, suggestiones, non tantum per interpositos relatores et praecones, sed etiam velut immediate de ipsius Dei ore acceptas. Quippe, inter verbum Dei scriptum et traditum id demum distat, quod verbum tradituni se habet sicut relatio verborum amici per alios ad nos facta, verbum autem scriptum sicut epistola propria eius manu exarata, in qua procul dubio multo maiorem vim ad commovendum omnis cordatus agnoscet. Unde Gregorius, Epist. l. 4, epist. 31 : « Quid est autem Scriptura Sacra, nisi quaedam epi« stola omnipotentis Dei ad creaturam suam ? ». Et Augustinus, Serm. 2 in Psalm. 90, n. 1, itemque Enarr. in Psalm. 149, n. 5 : « Sion vera et Ierusalem vera aeterna est in coelis, quae est « mater nostra. Ipsa nos genuit, ipsa est Ecclesia sanctorum, « ipsa nos nutrivit, ex parte peregrina, ex magna parte imma« nens in coelo.... Ibi sunt et angeli cives nostri ; sed quia nos « peregrinamur, laboramus ; illi autem in civitate expectant ad« ventum nostrum. Et de illa civitate unde peregrinamur litterae « nobis venerunt ; ipsae sunt Scripturae quae nos hortantur ut « bene vivamus.... Venerunt ad nos litterae de patria nostra, « ipsas vobis recitamus ».

Haec itaque et alia plura quae adiungi possent, necessitatem Scripturae in oeconomia fidei et religionis nostrae satis superque ostendunt. Non ergo hoc sensu accipienda sunt quae supra praemisimus, quasi redundaret Scriptura in oeconomia illa, aut nulla fere utilitate in ea requireretur, sed omnino hoc sensu quod proprium medium proponendae propagandaeque doctrinae revelatae est vivens magisterium, cui ex consequenti, iuxta Christi institutum, usus cusiuslibet instrumenti, scripti vel non scripti, debet subordinari. Id probant allata iam documenta; id confirmat apostolorum praxis in fundatione ecclesiarum. Nusquam enim apostoli ad aliquem librum appellant, quem omnes christiani legere debeant, ut in eo accipiant suae fidei normam. Nusquam insinuant, doctrinas vel facta a se annuntiata fuisse necessario scripto consignanda, eo praesertim fine ut individuali examini postmodum subiicerentur. Sed ubicumque praedicant, constituunt pastores ad gubernandum fundatas ecclesias, eosque non solum instruunt auctoritate disciplinari, sed et auctoritate custodum atque administrorum depositi fidei. Et sane, si Scriptura seu codex aliquis fuisset in mente Pauli id quod volunt protestantes, eccur tanta cura commendaret Timotheo ut formam haberet sanorum verborum, inquiens: *Formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Iesu; bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis?* Et non dicit; Serva hanc epistolam tanquam partem verbi Dei, et da transcriptiones iis quos docere debes, sed: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere* (1), ut scilicet intelligamus Scripturae accessionem minime evertere primitivam atque originalem oeconomiam magisterii in Ecclesia semel pro semper constituti, imo vero eidem deservire etiam magis. Unde Irenaeus, huius saluberrimae institutionis locupletissimus testis: « Si quis « igitur, inquit l. 4 c. haeres. c. 26, intentus legat Scripturas, in- « veniet in eisdem de Christo sermonem, et novae vocationis « praefigurationem ». Sed quomodo legenda sit Scriptura, ne sit nobis, sicut Iudaeis, *fabulae similis,* statim exponens prosequitur: « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire « oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut osten-

(1) 2 Tim. I-13, et II-2.

« dimus ; qui cum episcopatus successione charisma veritatis cer-
« tum, secundum beneplacitum Patris acceperunt ; reliquos vero
« qui absistunt a principali successione et quocumque loco colli-
« gunt, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae senten-
« tiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes.... Omnes
« autem hi deciderunt a veritate.... Ubi igitur charismata Domini
« posita sunt, ibi oportet discere veritatem, apud quos est ea
« quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est ina-
« dulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam
« quae est in unum Deum fidem nostram custodiunt, et Scriptu-
« ras sine periculo nobis exponunt ». Nec aliter Tertullianus, de Praescript. c. 9-21 : « Ergo non in his (Scripturis) constituendum
« certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par
« incertae. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut
« utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud
« prius proponi : Quibus competat fides ipsa ? Cuius sint Scri-
« pturae ? A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita
« disciplina qua fiunt christiani ? Ubi enim apparuerit esse veri-
« tatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scri-
« pturarum, et expositionum, et omnium traditionum christia-
« narum ».

Caeterum, mirum est quanta argumentorum penuria laborent protestantes, cum regulam suam de privato atque individuali examine Scripturae, ipsius Scripturae auctoritatibus adstruere tentant. — Afferunt illud Christi, Ioan. V-39 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Sed contra est primo, quod tunc temporis nondum erat Ecclesia constituta ; nondum exsistebant Scripturae N. T., et ideo de fidei regula pro christianis et generatim pro hominibus sub novo foedere constitutis, adhuc nihil. Sed contra est secundo, quod non agebatur hoc loco de integra fidei veritate, sed de sola quaestione inter Iudaeos agitata : essetne Iesus Christus Messias, necne. Sed contra est tertio, quod scrutatio illa Scripturarum non omnibus de populo commendabatur, sed iis qui sedebant super cathedram Moysis, Pharisaeis nempe cum quibus disputabat Dominus, qui etiam traditionali magisterio Synagogae ad assequendum sensum prophetiarum omnino iuvabantur. Sed contra est denique quarto, quod sermo Christi dirigebatur ad homines pervicaces et obstinatos,

qui neque ipsi Christo neque operibus eius credere volebant. Unde nihil reliquum erat nisi ut *ad hominem* redarguerentur, remitterenturque ad proprias auctoritates: Scrutamini, inquit, Scripturas, *quoniam vos putatis in ipsis vitam aeternam habere*, eodem plane loquendi modo quo catholicus quispiam uti posset ad protestantem, ut ei magisterii ecclesiastici necessitatem et veritatem persuaderet. Omnibus ergo modis inanis invenitur adversariorum argumentatio. — Afferunt deinde testimonium Act. XVII-11, ubi refertur adventus Pauli et Silae in Beroeam, necnon et praedicatio ad Iudaeos qui ibi erant: *Qui* (Iudaei Beroeenses) *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent; et multi quidem crediderunt ex eis,* etc. At rursus, nequaquam ibi sermo est de comparanda cognitione doctrinae revelatae per privatum Scripturae examen, sed de sola verificatione signorum credibilitatis quae Paulus in sua praedicatione ex vaticiniis V. T. proferebat. Aliud porro est systema religionis sibi ex aliquo libro efformare, et longe aliud conferre atque compulsare determinata quaedam vaticinia a praedicatore allata pro credibilitate annuntiatae ab eo doctrinae, ne scilicet caeco modo sub ipsius praedicatoris magisterio revelata religio suscipiatur. Et hoc faciebant Beroeenses a Luca laudati, minime vero illud primum quod adversarii ad causae necessitatem gratis supponunt. — At forte validius pro examine privato trahetur argumentum ex 1 Ioan. IV-1: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint,* et 1 Thess. V-21: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete?* Fidenter autem dixerim, non difficultatem contra regulam catholicam, sed magis novam pro ea confirmationem ibi reperiri. Equidem iubet Ioannes ut christiani probent spiritus, sed simul ad hanc probationem duplex eis criterium commendat. Primum est: *In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, et omnis spiritus qui solvit Iesum* (ut faciebant haeretici, Simonis et Cerinthi discipuli) *ex Deo non est.* Hinc modus probationis in hoc reponitur, ut examinet unusquisque an doctrina aliqua sit conformis necne, doctrinae ab Ecclesia praedicatae, et ab ea acceptae. Et ideo, statim aliud criterium subiungit Ioannes, si tamen aliud a praecedenti est: *Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erro-*

ris. Haec de primo testimonio. Nunc autem quoad secundum, vide utrum Paulus a Ioanne discrepasse dicendus sit, ubi de particularibus prophetiis loquens quae initio Ecclesiae pervulgabantur, vult ut non sine discretione admittantur, quia prophetiae verae miscebantur simul cum falsis et perniciosis. Vide utrum cum aliquo fundamento contendas, criterium ab apostolo reponi in spiritu privato, et non potius ac principaliter in conformitate vel difformitate ad regulam praedicationis ecclesiasticae, secundum quam, teste Scriptura ubi supra, in rebus ad religionem pertinentibus, veritatem ab errore discernimus.

Sed nec puto immorandum esse in confutando argumento quo quidam *ad hominem* nos redarguere tentant, dicentes: Si homo ratione sua uti debet, prout vos ipsi fatemini, ad agnoscendam auctoritatem quam sequatur, id est, auctoritatem magisterii, cur non eadem uteretur tanquam sufficienti principio inveniendi veritatem in communi illo Scripturarum thesauro a Deo nobis praeparato? Sophisma enim hoc est, non secus ac si dicerem: Si unusquisque proprio prudentiae dictamine utitur ad eligendum medicum a quo sanetur, cur non eidem quoque confidit dictamini, ut sibi ipsi medicationem praestituat? Et si non clausis oculis advocatum quaerit cui causae suae patrocinium committat, cur non potius assumit in seipso curam agendi apud iudices? In summa, aliud est cathedram a qua instituaris agnoscere, et aliud valde est doctrinam religionis propria investigatione tibi comparare. Denique, in hoc maxime divina bonitas secundum regulam catholicam commendatur, quod miro prorsus moderamine sapientiae, infirmitati simul et dignitati humanae consultum esse voluit: infirmitati quidem, cathedram a qua revelatae veritatis normam acciperemus, in sua Ecclesia instituendo; dignitati vero, manifestis suae institutionis signis illam decorando, ut non caeco, sed rationabili modo, et prout homines decet, magistram sequamur eam quae monstrat testimoniales litteras Dei sigillo munitas, unde divina eius ad humanum genus legatio comprobatur.

§ 2.

Hactenus protestantici systematis refutatio, simulque probatio doctrinae catholicae, pro quanto haec doctrina, in apostolicae hierarchiae magisterio docet esse regulare medium a Christo in-

stitutum dispensandae hominibus revelatae veritatis. At nondum satis. Ordo enim rerum iam requirit ut demonstremus hoc magisterium divinitus in Ecclesia positum, ex assistente sibi usque in mundi finem Spiritu veritatis, infallibilitatis charismate donari. Et ne in intellectu terminorum aliqua sit ambiguitas, statim et per prius, quid nunc *infallibilitatis*, quid *assistentiae* nomine veniat paucis declarandum est.

Infallibilitas ab inerrantia simpliciter dicta distinguitur. Haec eius est qui etsi sit per se errori obnoxius, de facto tamen tenet veritatem; illa vero eius qui nec errat nec errare potest. Verum, si inerrantiam iuris a simplici inerrantia facti distinxeris, iam nullum erit ab infallibilitate discrimen. Infallibilem ergo dicimus doctrinalem auctoritatem quae nulli patet errori in sui muneris exercitio. Ad hoc autem, cum sermo est de magisterio non habente sphaeram illimitatam, sed certis quibusdam terminis circumscriptam, duae omnino conditiones requiruntur. Primo, ut circa suum proprium obiectum deficere nunquam possit; secundo, ut extra huius obiecti campum in ipso docendi actu nequeat excurrere. Unde apparet quantum differat haec infallibilitas ab illa alia quam facultatibus naturalibus competere dicunt philosophi, quando eas ab omni errore immunes esse docent, duabus suppositionibus factis: si proprio obiecto applicentur, et rite etiam eidem applicentur. Nam quia duplex haec suppositio potest deesse, et de facto saepissime deest, dum facultas iudicat de obiecto non suo, vel si de suo, non tamen servatis debitis conditionibus, hinc fit ut non possit esse ibi plus quam infallibilitas hypothetica; de qua proinde non constat, nisi prius constiterit verificatam fuisse hypothesim ipsam in cuius defectu omnino non habetur. At longe alius ordinis est infallibilitas quam nunc asserimus. Est enim infallibilitas, non hypothetica, sed absoluta, exercitium magisterii semper et necessario concomitans, ita scilicet ut nulla opus sit inquisitione de servatis vel non servatis certis quibusdam cautelis, vel praesidiis, sed ex hoc solo quod aliqua doctrina a supremo illo magisterio proponitur, eo ipso debeat esse conformis veritati, et inerrantiae charactere signata.

Nunc autem, quisquis eiusmodi infallibilitatem mente contemplatus fuerit, statim videbit eam non posse refundi in causam quae ex principiis humanae naturae exoriretur, imo nec in aliquod gratiae donum quod instar habitus intrinsecus inhaereret.

Ratio est quia cum nullus sit habitus qui ad usum sui necessitet, nullus etiam habitus esse potest, quantumvis ad verum et bonum infallibiliter determinatus, qui a defectibili intellectu et voluntate hominum auferat potentiam deflectendi a bono vel deficiendi a vero (1). Non ergo in ordine principiorum quomodolibet inhaerentium invenire est praefatae infallibilitatis rationem sufficientem, sed in solo regimine seu influxu Dei. Porro, iste influxus duplici adhuc ratione concipi potest, quatenus esset vel per modum revelationum, vel per modum simplicis assistentiae.

Et primus quidem modus debet omnino excludi. Revelatio enim catholica, cui catholica fides innititur, completa est cum apostolis, et in duplici fonte verbi tum traditi tum scripti semel pro semper clausa, nullum post apostolos additamentum novit. Quapropter ubique et omni tempore creditum est, non fuisse promissum Ecclesiae Spiritum Sanctum (verba sunt Concilii Vaticani, Const. Pastor aeternus, c. 4), *ut eo revelante novam doctrinam patefaceret, sed ut eo assistente, traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodiret et fideliter exponeret.* Sed hic nota diligenter, quid sit revelatio, et revelatio catholica de qua nunc sermo.

Nam revelatio usu theologico, non est qualiscumque manifestatio veritatis divinitus facta, sed talis manifestatio in qua Deus revelans manifestat simul se esse qui manifestat. Hinc, si Deus mihi inspiraret conceptum alicuius veri, quin tamen inspirando patefaceret hunc conceptum esse suum, non esset haec revelatio de qua loquuntur theologi, revelatio nempe quae ad fidem divinam est requisita, et in qua haec ipsa fides fundatur. Simile enim hoc foret ac si Titio mitterem narrationem anonymam, per quam abdita quaedam ei manifestarem, sed non ita procul dubio, ut haberet Titius unde illa crederet ob meam auctoritatem. Et haec quidem de revelatione generatim, prout nunc de revelatione loquimur, annotata velim. — Insuper observandum quid addat revelatio catholica supra revelationem simpliciter dictam. Addit scilicet quod revelatio dirigitur, non ad personam particularem, sed ad Ecclesiam universam tanquam communis eius fidei obie-

(1) « Non enim habitus dat bonitatem cogendo ad illam, aut ita « plene etiam immobiliter sibi subiiciendo potentiam, quod non possit « in oppositum ». Caietanus, in 1^{am}-2^{ae}, Q. 56. a. 3.

ctum simul et fundamentum, ac per hoc, eo modo perficitur ut quoad utrumque elementum mox declaratum, ipsi Ecclesiae sit authentice notificabilis et reipsa notificata vel notificanda. Et talis fuit revelatio facta prius per Prophetas V. T., deinde vero per Christum eiusque apostolos; praeter quam nulla alia talis datur aut dabitur unquam.

Cum ergo dicitur influxus Spiritus Sancti in Ecclesiam docentem non esse per modum revelationum, non solum excluditur revelatio novarum veritatum quibus catholicae fidei depositum obiective accresceret, verum etiam revelatio nova ipsarummet veritatum quae aut explicite aut implicite in deposito apostolico iam continentur; pro quanto scilicet nusquam est aut futura est iterata Dei ad Ecclesiam locutio pro declarando Scripturae sensu vel Traditionis exsistentia. At minime excluduntur inspirationes, illuminationes, aliaque interna adiutoria multiformis gratiae Spiritus Sancti in ordine ad fidelem custodiam et expositionem depositi. Et ratio est quia iuxta observationem paulo supra factam, quamdiu non additur manifestatio veluti reflexa actualis interventus divinae auctoritatis, quaelibet illustratio desuper descendens nequaquam recensetur sub nomine revelationis in sensu theologico huius vocabuli.

Quae igitur cum ita sint, doctrina catholica habet quod divinus ille influxus a quo magisterii ecclesiastici repetitur infallibilitas, consistit in pura, ut aiunt, *assistentia*. Est autem assistentia, quaedam providentia dirigens magisterium et praecavens ne in proponendo revelationem olim factam, in declarando sensum eius legitimum, in explicando res implicite in ea contentas, in notando errores eidem adversantes, a veri tramite unquam deflectat. Et si inquiras quaenam sint positiva media quae huic providentiae deserviunt, respondeo illa esse multiplicia, nec posse a nobis particulatim singillatimque adaequate enumerari. Est in primis traditionalis sensus a maioribus acceptus; sunt studiosissimae sanctorum et probabilium Ecclesiae doctorum scripturales expositiones, cuncta item praesidia quae in usum scientiae theologicae veniunt, adiuvans quoque gratia Spiritus veritatis, et si qua alia ad haec reducuntur. Quae etsi per se sola homines erroris immunes non reddant, addita tamen directione supernae illius Sapientiae quae in sui dispositione non fallitur, et inter multiplices rerum possibiles eventus defectibilibus etiam mediis

ad scopum suum indefectibiliter utitur, iam intelliguntur intento fini plane sufficere, ut scilicet quidquid a supremo Ecclesiae magisterio quacumque tandem ratione proponitur, ipso facto et eo tenore quo proponitur, verbo revelato consonum exsistat atque consentaneum.

His itaque de notione infallibilitatis rite praemissis, veniendum est ad argumenta quibus doctrina catholica communitur. Ut autem ipsa ecclesiastici magisterii infallibilitas in sua appareat connexione cum antecedentibus Dei institutionibus et progressiva evolutione revelationis a primis mundi initiis, liceat demonstrationem a generaliori adoriri principio, et altius a radicibus repetere.

Certe, si vel a priori res consideretur, vix ac ne vix quidem alicui credibile videbitur, Deum generi humano lumen revelationis largitum fuisse, et de pura atque incorrupta eius conservatione efficacibus mediis non providisse. Est enim revelatio in praesenti ordine Providentiae medium prorsus necessarium ad consecutionem finis; aliunde vero, non est admissibilis eiusmodi rerum status in quo ex defectu mediorum nullus omnino hominum finem suum valeret amplius obtinere. — Crescit porro suppositionis impossibilitas, si ratio habeatur absolutae voluntatis qua decreverat Deus instaurare omnia in Christo. Nam antequam Christus veniret, conservatio revelatae promissionis necessaria fuit ad praeparationem adventus eius; et postquam advenit, multo magis debuit veritas quam mundo attulerat, incorrupta apud nos permanere, nisi quis forte adeo desipiat ut dicat accidere potuisse ut post initum duellum cum principe tenebrarum, post totius effusionem sanguinis, post contritionem capitis antiqui serpentis, ipse prostratus inimicus novis recrudescens viribus, haereditatem sui debellatoris funditus vastaret, et insubsistens eius opus ad nihilum redigeret. — Caeterum factis ipsis clare elucet consilium divinae Providentiae in ordine ad revelationis conservationem, quanquam oporteat tempora duo diligenter distinguere: unum in quo revelationes revelationibus addebantur, et multifariam multisque modis loquebatur Deus patribus in prophetis; alterum in quo, ut iam dictum est, manet in perpetuum clausa atque sigillata revelatio, postquam novissime idem ipse Deus locutus est nobis in Filio.

In primis, quantum ad temporis periodum quae currit a mundi initio usque ad Christum, generatim dicendum est quod

ipsae posteriores revelationes ad conservationem praecedentium in suo genuino ac legitimo sensu ordinabantur. Non enim erant de rebus disparatis repetitae illae locutiones Dei quas commemorat Paulus Heb. I-1, sed superveniebant primae revelationi factae in paradiso velut totidem eius confirmationes, declarationes, vel etiam ulteriores explicationes.

Et de oeconomia quidem patriarchali pauca admodum ad nos usque pervenerunt, quamvis in ipsis paucis quae supersunt, non obscura inveniantur testimonia circa successionem illam *sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius,* quibus tanquam organis utebatur Deus ut viva revelationis fax inter humanas generationes semper conservaretur. Certe laudat Ecclesiasticus (XLIV-1 et seq.) viros gloriosos in generatione sua, per quos multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo, dominantes in potestatibus suis, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, quorum nepotes haereditas sancta, et quorum semen in testamentis stetit. Tum eos qui celebriores fuerunt commemorans, summisque prosequens encomiis, praeter ipsum Adam diserte nominat Seth, Enoch, Noe, Sem et Abraham. Rursus de Enoch in epistola Iudae, vers. 14 specialiter legitur: *Prophetavit et septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quibus impie egerunt, et de omnibus duris quae locuti sunt contra Deum peccatores impii.* Noe quoque, 2 Petr. II-5, vocatur *octavus iustitiae praeco;* illius scilicet praeco iustitiae quae per fidem Christi venturi erat, ut explicat Paulus Heb. XI-7; cuius etiam participes effecti fuerant multi qui eius praedicationi prius increduli, postea adveniente diluvio poenitentiam egerant, ac demum in descensu Christi ad inferos e purgatorio carcere sunt liberati, testante Petro ubi ait: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit* (seu evangelizavit), *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca* (1). Incorrupta itaque hactenus manserat divinarum promissionum fides, et mundo ex aquis diluvii resurgente, integrum perstabat supernae revelationis patrimonium.

(1) 1 Petr. III, 18-20.

Sed cum iterum incepissent homines multiplicari dividique in universas terras, ac fieri in gentes et nationes et populos, tunc etiam incepit apud multos obscurari revelatio, et invalescente idololatria, in mythos degenerescere. Cui malo ut obviaret Deus, populum Israel destinavit specialem depositi custodem a quo caeteri cognitionem revelationis verique eius sensus acciperent. Verumtamen modus quo in eo populo usque ad tempus adventus Christi indefectibili fidei conservationi provisum est, omnino reducitur ad praecedentem, quandoquidem Mosaica oeconomia in eodem ordine eademque linea cum patriarchali recensetur, nihilque supra eam addit nisi ulteriorem quamdam sui generis perfectionem. Rem egregie exponit Card. Franzelin, Thes. 3 de Ecclesia, sequentibus verbis.

« Infallibilitatis charisma quod etiam in magisterio Ecclesiae « Veteris Testamenti negare fas non est, ex ipsa propria indole « illius oeconomiae concipiendum esse videtur. Sicut ibi veritas « divina novis continuis revelationibus explicanda erat, ita ex « hoc ipso missio extraordinaria prophetarum, qui nimirum es- « sent ministri revelationis, cum proprio fine illius oeconomiae « intime nexa et conserta intelligitur. Unde ad magisterium divi- « nae religionis pertinebat non solum munus ordinarium sacer- « dotale, sed etiam munus propheticum extraordinarium. Ad hoc « nempe munus propheticum non minus spectabat custodia et « vera declaratio revelationis iam promulgatae, quam illius ul- « terior explicatio et incrementum per novas revelationes. Si « quando igitur magisterium sua culpa deficeret, charisma pro- « pheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum ad infal- « libilem conservationem doctrinae et fidei divinae in Ecclesia « Israel. Hinc prophetae sunt etiam pastores populi (1), et cu- « stodes constituti super muros Ierusalem, qui *tota die et tota « nocte in perpetuum non tacebunt, donec ponat* (Deus) *Ierusalem « laudem in terra* (2). — Infallibilis itaque depositi custodia erat « utique etiam in Ecclesia Mosaica, non tamen per promissam « perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordi- « nario, sicut in Novo Testamento; sed quatenus munus utrum- « que, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiae con-

(1) Zach. XI-4; Ierem. XVII-16 in textu hebraico.
(2) Isai. LXII, 6-7.

« sideratur coniunctum. Hinc Missio prophetarum constituebat « elementum intestinum ac velut partem integrantem pro indole « illius oeconomiae, atque ideo eorum successio, non modo usque « ad reditum ab exilio Babylonico moraliter continua erat et ma- « nifesta, sed etiam sub templo secundo charisma inspirationis « non desiit, ut tum libri per inspirationem scripti, tum facta alia « demonstrant. Quare spectata solummodo perpetuitate, munus « propheticum in V. T. dici posset ordinarium. Sed quoniam hac « appellatione in institutis divinis non solum perennitas, sed po- « tius ordo successionis vel propagationis secundum certam et « fixam legem intelligi solet, prophetiae autem spiritus nulli certae « legi aut medio communicationis alligatus ut donum gratis datum « ubi vult spirat, ideo in illa quoque oeconomia munus prophe- « ticum erat et dici debet extraordinarium. — Ex dictis intelli- « gitur quomodo Deus permittere potuerit veteris sacerdotii prae- « varicationem in magisterio, etiam tum et tum maxime, quando « advenit *finis legis Christus* ut in eo adimplerentur Lex et Pro- « phetae tanquam in fine ad quem ordinabantur, et ab eo tan- « quam a consummatore fidei adimplerentur ultima perfectione « revelationis et institutorum divinorum. Nam sicut qui infallibi- « liter praemonstrabant Christum venturum, erant prophetae ma- « gisterio extraordinario, ita qui monstrabat praesentem, erat ma- « gisterio extraordinario propheta et plus quam propheta, de quo « scriptum erat per priscos prophetas: *Ecce ego mitto angelum « meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.* Unde « Luc. XI-16: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem: ex eo regnum « Dei* (iam praesens) *evangelizatur.* Imo, quod infinite maius est, « ipsum Verbum caro factum, per cuius divinitatem ut per causam « inspirantem, et ad cuius divinitatem ac humanitatem ut ad causam « finalem, loquebantur prophetae verba Domini: ipse inquam iam « Dominus prophetarum, qui est ὁ προφήτης (1) et unus magi- « ster (2), praesens per se et de se testabatur, consummando in

(1) « Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, « dicebant: Quia hic est vere propheta (ὁ προφήτης) qui venturus est « in mundum ». Ioan. VI-14. Et supra, I-21, interrogant Iudaei Ioan- « nem: « Propheta es tu? ὁ προφήτης εἶ σύ; Et respondit, non ».

(2) « Unus est magister vester..., quia Magister vester unus est, « Christus ». Matth. XXIII, 8-10.

« sua divina persona plenitudinem muneris prophetici et magi-
« sterii divini (1). Ipse omni populo demonstratus praecedentibus
« prophetiis Legis et Prophetarum adimpletis, operum et miracu-
« lorum velut divinis sigillis comprobatus, praedicatione Praecur-
« soris designatus, denique ut Filius prae omnibus aliis audiendus
« a Patre coelesti declaratus in solemni magisterii initiatione » (2).
Sic igitur sub antiquo foedere, indefectibilis conservatio revela-
tionis non a solo magisterio eorum qui sedebant super cathe-
dram Moysis repetebatur, sed etiam et potissimum a ministerio
prophetarum qui munus habebant complendi revelationem, si-
mulque corrigendi omnem defectum unde aliqua eius corruptio
obvenisset. Et haec quidem oeconomia maxime congruebat tem-
pori in quo adhuc aperta manebat revelationis via, donec veniret
qui mittendus erat. At vero post Christum eiusque apostolos,
completis iam undequaque fidei revelationibus, ad totius custo-
diam et explicationem depositi provideri debuit de infallibilitate
in ipso magisterio ordinario per iugem assistentiam eius qui
unus est magister Christus, quique omnium prophetarum locum
iam tenens, perenniter docet per suos legatos in perpetua suc
cessione a se institutos.

Et hoc est quod praedictum fuerat per Isaiam, ubi Eccle-
siam invitans ad laetitiam : *Lauda,* inquit, *sterilis quae non pa-
ris.... Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum
extende.... Quia ut mulierem derelictam et moerentem spiritu voca-
vit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus
tuus.... Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne induce-
rem aquas Noe ultra super terram, sic iuravi ut non irascar tibi
et non increpem te. Montes enim commovebuntur et colles contre-*

(1) « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, susci-
« tabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audiès ». Deuter. XVIII-15, et
Act. III-22.

(2) « Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba
« in ipsum, et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in
« te complacui mihi ». Luc. III-22, et infra IX-30: « Et ecce duo viri
« loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias visi in maiestate...
« Et vox facta est de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum
« audite ». — Et Ioan. V-37: « Et qui misit me Pater, ipse testimo-
« nium perhibuit de me; neque vocem eius unquam audistis, neque
« speciem eius vidistis », etc.

miscent, misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.... Et ponam universos filios tuos doctos a Domino.... Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum. Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos, super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges, in splendore ortus tui, etc. ([1]). Quo in loco aperte praedicitur quod Ecclesia Dei quae tunc erat Iudaica, non permaneret amplius in statu abiectionis in quo erat. Praedicitur quod Deus erigeret eam atque dilataret per omnia regna omnesque cognationes ab Oriente ad Occidentem sub Novo Testamento ; quod ipsa docente filios suos, Deus ipse doceret in ea et per eam ; quod verba Dei non exirent unquam de ore eius usque in finem saeculorum. Et haec est promissio immobilis quae praeteriri omnino nequit, non secus ac promissio ad Noe facta de non adducendo amplius diluvio super terram.

Hanc porro promissionem solemni institutione adimplevit Christus, quando post resurrectionem suam ultima verba dicens discipulis : *Data est mihi,* inquit, *omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem saeculi.* — Certe, magisterium ibi noscitur institutum, et magisterium pro obiecto habens revelationem allatam a Christo, prout verba evangelica expresse attestantur ; magisterium deinde in finem usque mundi perenniter duraturum : ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Ubique enim in evangelio, et nominatim apud Matthaeum, συντελεία αἰῶνος consummationem mundi huius praesentis, ultimumque Christi adventum et tempus iudicii universalis significat. Sic Matth. XIII-39, in explicatione parabolae zizaniorum : *Inimicus qui seminavit ea, est diabolus : messis vero, consummatio saeculi est,* συντελεία αἰῶνός ἐστιν ; *messores autem angeli sunt.* Et infra, vers 49, in parabola sagenae missae in mare : *Sic erit in consummatione saeculi,* ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, *exibunt angeli, et separabunt malos de me-*

([1]) Isai. LIV-LX.

dio iustorum. Et alibi, XXIV-3, sedente Christo super montem Oliveti, accedunt ad eum discipuli secreto dicentes: *Dic nobis quando haec erunt, et quod signum adventus tui et consummationis saeculi,* καὶ συντελείας τοῦ αἰῶνος. Nec profecto mutatur sensus ex hoc quod ad eos qui praesentes aderant dirigitur sermo; dirigebatur enim ad praesentes prout in suis successoribus perenniter mansuros, eo vel magis quod ad omnes gentes sine ulla aut locorum aut temporum restrictione sese porrigat huius institutio magisterii. — Quod autem maxime nunc considerandum venit, infallibilitatis charisma aperte signatur his verbis: *ego vobiscum sum.* Nam quid sit Deum esse cum aliquo in certo munere obeundo vel negotio aggrediendo, indubia et frequentissima Scripturae testimonia declarant. Sic, Genes. XXI-22: *Deus tecum est in universis quae agis,* inquit Abimelech ad Abraham, ut significaret omnia ipsi Abrahae prospere succedere. Et infra, XXVI-3: *Eroque tecum et benedicam tibi,* ait Deus ipse ad Isaac in eodem sensu, eademque significatione. Et rursus ad Iacob, XXXI-3: *Revertere in terram patrum tuorum, eroque tecum.* Similiter de Ioseph dicitur Genes. XXXIX-2: *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens, habitavitque in domo Domini sui qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quae gereret, ab eo dirigi in manu illius.* Adhuc. Exod. III-12, dicit Deus ad Moysen: *Ego ero tecum,* ut indicaret ei prosperum missionis successum infallibiliter futurum. Iisdemque verbis ad Ieremiam I-19 utitur: *Bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Vide etiam Iudic. VI-12, Ioan. III-2, etc. Et universim loquendo, ubicumque Deus dicitur fore cum aliquo, toties ea signatur assistentia quae in negotio pro quo promissa est, nullum compatitur lapsum, et omnem praecavet ab intento fine defectionem. Promittitur autem apostolis eorumque in perpetuum successoribus assistentia Christi continua et nusquam interrupta (omnibus nempe diebus), in ordine ad docendum omnia quaecumque in evangelica revelatione continentur. Ergo magisterium apostolicum in finem usque charismate infallibilitatis donatur, ita scilicet ut nusquam possit in ipso docendi exercitio, aut a revelatae veritatis ambitu exorbitare, aut a vero eius sensu quocumque modo deflectere.

Et confirmatur primo ex promissione facta discipulis, Ioan. XIV-16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*

ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere. Nam ibi promittitur Spiritus Sanctus sub ratione Spirtus veritatis, tanquam mansurus cum apostolis εἰς τὸν αἰῶνα, id est, in sempiternum, ut bene vertit vulgatus interpres, eo ipso excludens arbitrariam expositionem protestantium quibus placuit restringere ly αἰῶνα ad primum Ecclesiae aevum, quando adhuc superstites erant apostoli personaliter considerati; id tamen contra omnem exegesis fidem. Etenim, iuxta constantem usum Scripturae Novi Testamenti, ὁ αἰων simpliciter et absolute dictus nusquam in hac restricta acceptione usurpatur, sed initium eius semper est ipsum initium mundi, ut apud Lucam I-70: *Sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius,* ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ, et apud Ioannem IX-32: *A saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati,* ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη; finis vero non est nisi ultima temporis clausura, ut abunde iam apparet ex citatis supra testimoniis, quibus adde illud Lucae I-55: *Recordatus misericordiae suae.... Abraham et semini eius in saecula,* καί τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα. Redit igitur eadem conclusio ac supra, de institutione infallibilis magisterii in Ecclesia Christi, quia impossibile est ut ii quibuscum manet Spiritus veritatis, quamdiu cum eis manet eisque assistit, a veritatis regula aberrent.

Confirmatur secundo, nam certe Apostolus, Eph.IV-11, pastores et doctores in Ecclesia a Christo positos esse dicit, donec veniat sanctorum consummatio quae cum ipsa consummatione saeculi sine dubio coincidit, *ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* At quomodo esset medium fini proportionatum, si et ipsum magisterium quod nos securos facere debet contra circumventionem erroris, obnoxium foret errori, possetque hinc et inde fluctuare secundum oppositos et semper variabiles humanarum opinionum impulsus? Non ergo quoslibet pastores et doctores Paulus significat, sed quibus assistit Christus, quosque ita in veritate firmat ut quisquis ab eorum cathedra doctrinam accipit, eo ipso a circumventione erroris securus exsistat. — Unde et 1 Tim. III-15, idem Apostolus instruens Timotheum quales esse debeant ii qui in Ecclesiae ministerio constituuntur, adeoque de visibili Ecclesia loquens quae visibili hierarchia constat, ipsam Ecclesiam vocat *columnam et firmamen-*

tum veritatis. Ubi nota quod usu tum sacro tum profano, per hanc metaphoram στύλος καὶ ἑδραίωμα, significatur omne sustentaculum quod cum ex se firmum sit, firmitatem etiam ac stabilitatem inconcussam praestat ei quod sustentat. Proinde, cum dicitur Ecclesia columna ac firmamentum τῆς ἀληθείας, id est, non huius aut illius veritatis, sed totius veritatis revelatae (sic enim accipitur in Scripturis veritas per antonomasiam), significatur Ecclesia ut sustentans veritatem, eique impertiens immobilem firmitatem, non quidem quoad se, ut per se evidens est, sed quoad nos, hoc est, secundum quod consideratur veritas ex parte nostra in esse a nobis cognito seu credito. Omnibus ergo modis constat dogma infallibilitatis ecclesiastici magisterii ex Scripturis N. T. (1).

(1) Amplam tibi collectionem testimoniorum ex Patribus tum Graecis tum Latinis suppeditabit Sardagna, Tract. 3, n. 153 seq. — Irenaeus, l. 3 c. haeres. c. 4 : *Non oportet apud alios quaerere veritatem quam facile est ab Ecclesia sumere* (ab illa utique Ecclesia in qua, ut ipsemet Irenaeus cap. praec. dixit, potiorem principalitatem Romana Sedes obtinet), *cum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos ; quae autem sunt Ecclesiae cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem.* — Athanasius, epist. ad Epictetum, n. 3 : *Et tametsi oportebat illorum qui haec commenti sunt stultitiam pluribus arguere et confutare, attamen satius fuisset epistolam huc desinere..., sed sufficit his dumtaxat verbis ad illa respondere : Haec catholicae Ecclesiae non sunt, neque ea est Patrum sententia.* — Chrysostomus, Hom. 11 in 1 Tim. n. 1 : (Ecclesia) *non sicut illud Iudaicum templum. Hoc enim est quod fidem continet et praedicationem ; veritas enim est Ecclesiae columna et firmamentum.* — Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 18, n. 23 : *Catholica vocatur* (Ecclesia)... *quia universe et absque defectu docet omnia quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus.* — Et similia habent Eusebius, l. 1 de Praeparat. ev. c. 3, Alexander Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, Isidorus Pelusiota, epist. 238, etc.

Ex Latinis Tertullianus, de Praescript. c. 21 : *Constat omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritate deputandam, id sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit : omnem vero doctri-*

At opponet fortasse quispiam : Si in verbis evangelicis superius adductis (Matth. XXVIII-18, Ioan. XIV-16) continetur institutio magisterii in successoribus apostolorum perenniter duraturi, adeoque si dirigitur sermo Christi ad apostolos prout repraesentantes totam in futurum Ecclesiam docentem, sequitur profecto, eamdem missionem, eamdem infallibilitatem, eadem charismata in successoribus esse agnoscenda ac in apostolis ipsis, quandoquidem successores semper sunt una persona iuridica cum iis quibus succedunt, iisdemque prorsus gaudent praerogativis. Atqui in apostolis fuit tale charisma quod singulis singillatim acceptis conferebat infallibilitatem, imo eos constituebat

---

nam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum, et apostolorum, et Christi et Dei. Cyprianus, de Unitate Ecclesiae, n. 6 : *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* — Hilarius- l. 7 de Trin. n. 4 : *Magna vis est veritatis, quae cum per se intelligi possit, per ea tamen ipsa quae ei adversantur elucet, ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturae suae quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur. Omnes quidem illa secum atque intra se vellet manere, nec ex tranquillissimis sinibus suis alios aut abiicere aut perdere, dum indigni fiunt tantae matris habitaculo ; sed discedentibus ex ea haereticis vel abiectis, quantum amittit occasionis largiendae ex se salutis, tantum adsequitur ad fidem expetendae de se beatitudinis... Haeretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt, sed dum haeretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, Ecclesiae triumphus ex omnibus est, dum eo haeresis contra alteram pugnat, quod in haeresi altera Ecclesiae fides damnat.* — Ambrosius, l. 7 in Luc. c. 11, vult ut fidem nostram ad Ecclesiam conferamus, *quae in illo altissimo omnium locata monte, hoc est Christo, non potest tenebris et ruinis huius mundi abscondi, sed fulgens candore solis aeterni, luce nos gratiae spiritalis illuminat.* — Augustinus, l. contra epistolam fundamenti, c. 5 : *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.* Et Enarrat. in Psalm. 30, n. 8 : *Contradicunt linguae multae, diversae haereses, diversa schismata personant, linguae multae contradicunt veraci doctrinae ; tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.* Et multa alia in eodem sensu habent caeteri. Vide Hieronym. in cap. 60 Isaiae ; Fulgent. epist. ad Probam, c. 5 ; Greg. Magn. l. 9 in Iob, c. 6, etc. etc.

organum Spiritus Sancti ad novas revelationes, ut colligitur ex Ioan. XVI, 12-15. Ergo idem successoribus promissum censeri deberet. Quod cum aliunde manifeste falsum esse constet, et diserte contradicat iis quae superius praemissa sunt de consummatione revelationis, relinquitur dicendum quod verba evangelica non possunt intelligi dicta apostolis ut suos successores repraesentabant, et quod nulla pro his promissio ibi continetur.

Respondeo: *Dist. mai.* Sequitur agnoscendum esse in successoribus ipsum charisma ordinarium quod verba evangelica in utroque textu directe saltem et primario significant, *conc. mai.* Sequitur agnoscenda esse in successoribus charismata etiam extraordinaria quae personaliter apostolis concessa sunt et de quibus, directe saltem ac primario, in ambabus auctoritatibus allatis nulla fit mentio, *neg. mai.* Contradistinguo minorem et nego consequentiam. Et sane ex multis Scripturae testimoniis suo loco afferendis, tam charisma personalis infallibilitatis in singulis seorsum apostolis, quam charisma deputationis ad novas revelationes, positive demonstratur fuisse extraordinarium, adeoque non comprehensum in his quae futura erant εἰς τον αἰῶνα, vel ἕως τῆς συτελείας τοῦ αἰῶνος. Insuper, si utramque auctoritatem Matth. XXVIII-18 et Ioan. XVI-16 in seipsa consideres, videbis nihil aliud directe saltem ibi exhiberi, praeter institutionem unius hierarchiae in apostolis initiatae et in finem usque permansurae, cui in solidum confertur charisma infallibilitatis, et talis quidem infallibilitatis quae diserte respicit magisterium revelationis iam factae, nedum de novarum revelationum promulgatione aliquid insinuetur. Huiusmodi ergo charisma, et non aliud diversum, vi horum verborum in haeredibus manere intelligendum est, et eadem ratione eodemque titulo quo ipsi collegio primitus collatum fuit. Nec ad praesens refert, quid praerogativae fuerit in Christi apostolis seorsum et personaliter consideratis. Imo nec refert an ordinaria collegii infallibilitas dependeat necne, ab ordinario infallibilitatis charismate quod in collegii capite Petro exsistens, ad Petri successores ex Christi instituto proveniret. Haec enim ex aliis testimoniis demonstrantur, et ad aliam partem huius tractatus pertinent, ubi scilicet de potestatis subiecto et determinata regiminis forma. Nunc autem de sola exsistentia potestatis infallibilis magisterii in Ecclesia et hierarchia a Christo

instituta generatim inquirimus; quam quidem exsistentiam omnia hactenus adducta documenta abunde demonstrant (1).

Caeterum ex dictis tum in praesenti, tum supra in Quaest. 3. satis superque intelligitur quod authenticum et infallibile revelatae veritatis magisterium se habet intra ipsos Ecclesiae fines tanquam immobile principium unitatis necnon et omnimodae incorruptionis fidei. Non tamen ita evidenter apparet quid praestet relate ad eos qui foris sunt, et hoc superest ultimo investigandum.

§ 3.

In primis, per se manifestum esse debet, magisterium ecclesiasticum non pro solis fidelibus fuisse institutum, sed pro omnibus hominibus etiam non christianis, ut de infidelitatis tenebris transferantur in admirabile lumen Dei, iuxta illud Evangelii: *Praedicate omni creaturae,* et iterum: *Docete omnes gentes.* Nec est ulla omnino ponenda differentia, nisi quod relate ad fideles seu baptizatos, magisterium hoc coniungitur cum iurisdictione, ut ab initio notatum est et infra magis declarabitur; relate vero ad caeteros nondum Ecclesiae aggregatos, rationem habet simplicis magisterii quo fidei christianae doctrina authentice proponitur (2). Unde in Concilio Vaticano dicitur quod ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus (ac per hoc ab iis etiam qui nondum fidem amplexi sunt), posset agnosci. Et infra, idem Concilium docet, ecclesiasticam cathedram veluti signum levatum in nationes, et ad se invitare qui nondum crediderunt, et filios suos certiores facere firmissimo niti fundamento

(1) Cf. omnino Franzelin, de Traditione et Scriptura, Thes. 5, § 3.

(2) « Suprema potestas magisterii etiam ad infideles non baptizatos « extenditur; non enim voluntaria tantum charitate, quae potest et de- « beret esse cuiusvis Christiani, sed vi muneris pastoralis suprema po- « testas magisterii comprehendit omnes terrae populos docendos ex « mandato et institutione Christi. Iurisdictionis vero suprema potestas « est in universam Ecclesiam, id est, in omnes qui sunt per baptismum « Ecclesiae obstricti, non autem in alios. Illa ergo ex Christi institutione « et iure divino latius extenditur quam haec ». Franzelin, de Eccl. Thes. 5.

fidem quam profitentur. Et hinc etiam est quod opus evangelizationis apud paganas gentes Ecclesia *ex proprio officio* indesinenter prosequitur, ita scilicet ut quicumque eius ministri ad extrema terrae evangelium portant, totidem sint legati et praecones infallibilis illius magistrae quae iuxta apostolicum dictum, graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitrix est.

Nunc autem, praeter eos ad quos per ipsos Ecclesiae ministros pervenit Ecclesiae doctrina et praedicatio, multi sunt qui in revelatione christiana utcumque instituuntur per haereticos, schismaticos, seu quoslibet alios qui Ecclesiae magisterium non agnoscentes, causa sunt vel directa vel indirecta diffusionis verbi revelati. Nec dubitare fas est quin eiusmodi doctrinae revelatae propositio, tametsi multis adulterata erroribus, adhuc possit esse sufficiens in ordine ad eam fidem quae totius iustificationis ac salutis radix est et fundamentum. Et sane dictum est supra, cum de potestate ordinis ageretur, nihil omnino prohibere quominus haec ipsa ordinis potestas adsit in haereticorum vel schismaticorum sectis velut bonum a domo Dei ablatum, quod illegitime quidem stante separatione retinetur, adhuc tamen verissime habetur, et ita quidem habetur ut ritu consecratorio transmitti possit et perpetuari. Imo vero, apprime id congruere consilio salvificae Dei providentiae quae ita res disponere voluit, ut salutis fontes non necessario intra terminos paradisi Ecclesiae clauderentur, sed foras etiam erumpere possent, in sanctificationem utique plurimorum qui propter invincibilem ignorantiam a peccato impiae separationis exsistunt immunes. Nunc autem, si sacramenta sunt fontes salutis, multo magis salutis principium est fides. Nam defectum sacramenti semper supplet votum etiam mere implicitum; defectum autem fidei nullum votum supplere valet, quia fides est necessitate medii necessaria determinate in re, et non tantum disiunctive in re vel in voto. Denique sine vera fide actuali theologica, nulli unquam adulto, etiam per sacramentum contigit iustificatio. Si ergo vera sunt ea quae fuerunt dicta de sacramentis secundum quod possunt extra Ecclesiam transferri, et sub conditione invincibilis ignorantiae ex parte suscipientium (ut supra), prodesse ad salutem: multo magis necesse est ut extra Ecclesiam esse quoque possit sufficiens fidei propositio, possintque reperiri veri credentes vera fide infusa, etiam inter eos qui ab haereticis vel schismaticis vel quibuslibet aliis quovis modo sunt

edocti. Sed et statim addo non difficile esse huius rei rationem afferre, si prae oculis habeantur principia quae in materia de virtute divinae fidei alias sunt tradita.

Equidem verum est quod infallibile Ecclesiae magisterium est regulare medium ab ipso Deo positive institutum ut in sua integritate proponatur revelatio, et absque ulla erroris admixtione seu falsorum dogmatum corruptela. At minime hinc sequitur, propositionem revelationis alia via factam cum motivis credibilitatis respective sufficientibus (1), esse eiusmodi, ut ex ea nequeat sequi sufficiens fidei theologicae conceptio. Undecumque enim in notitiam veniat factum divinae locutionis, semper habetur id quod est praerequisitum ut propter Dei auctoritatem veritas revelata credatur. Imo nihil ad praesens refert, quod simul cum dogmatibus veris proponantur dogmata falsa atque haeretica. Nam etsi impossibile sit ut qui in uno puncto reiicit revelationem divinam sufficienter sibi propositam, in altero eam recipiat ex vero fidei motivo, (quia si in uno vere admittitur Dei auctoritas, consequens est ut admittatur quoad omnia, et si in uno reiicitur, consequens est ut in caeteris quoque non vere homo ei inhaereat, sed inhaereat potius proprio arbitrio sub titulo colorato auctoritatis Dei): adhuc tamen omnino possibile est ut si alicui proponantur articuli veri simul et falsi tanquam a Deo revelati, veris quidem articulis assentiatur vera fide supernaturali infusa, falsis autem per accidens adhaereat, non fide supernaturali quae est ad verum infallibiliter determinata, sed fide ut aiunt existimata, eaque mere naturali, et fidei infusae nequaquam contrarie opposita. Hinc sequitur, iustificationis viam adhuc aperiri hominibus bonae voluntatis, et dispositione animi paratis credere quidquid Deus revelavit: aperiri, inquam, per ipsissimam propositionem revelationis ab haereticis vel schismaticis factam, dummodo haec propositio retineat saltem minimum illud veritatis, quod necessitate medii explicite credendum docet Apostolus ubi ait: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit,* videlicet: quia est ut finis supernaturalis, seu ut nobiscum communicationem habens supra naturae ordinem, et quia provisor est mediorum necessariorum ad dictum supernaturalem finem asse-

(1) De his cf. tractatum de Virtutibus.

quendum (1). Et hoc modo sectae a legitima sponsa et domina separatae adhuc *ancillantur* ei in ordine ad generandos haeredes regni, non solum in ministratione sacramentorum, ut ex typo Balae et Zelphae ancillarum Iacob pulchre ostendit Augustinus in libris de baptismo, verum etiam in ipsa propositione fidei, quantumvis multiplicium admixtione errorum corrupta atque adulterata (2).

Quae igitur cum ita sint, iam quaeritur utrum praedicta fidei propositio quae de reliquiis veritatis per ministros haereticos fit hominibus bonae conscientiae ante Deum, dicenda sit ab Ecclesiae cathedra aliqualiter descendere, et ita quidem descendere, ut usque nunc beneficus magisterii infallibilis influxus in praedicationem heterodoxam residuae orthodoxiae iugiter extendatur. Et non videtur de hac re esse ullatenus ambigendum.

Nam in primis, quidquid revelatae veritatis in suo discessu a domo Dei sectae asportaverunt, totum tulerunt a deposito illo, cuius incorruptae custodiae usque ad separationis tempus sola efficaciter invigilaverat infallibilis Ecclesia. Unde enim apud priscos protestantes retentio quatuor evangeliorum et plerorumque Scripturae librorum? Unde dogmata Trinitatis, incarnationis, et redemptionis? Unde confessio remissionis peccatorum, resurrectionis carnis, et vitae aeternae? Si rationes intrinsecas quae eorum principiis congruant efflagites, certe nullam invenies, cum hodiedum demonstrationem inspirationis Scripturae a qua una tanquam a regula fidei profitentur se pendere, frustra quaerant. Sed in iis quae ab Ecclesiae catholicae magisterio adhuc catholici didicerant, primi Reformationis auctores voluntariam selectionem introduxerunt prout ferebat rebellionis necessitas, alia reiicientes, alia vero retinentes in quibus et suos

(1) Expositionem huius textus vide, *de Virtutibus,* ad Quaest. 1 S. Thomae (2^a-2^{ae}), art. 7.

(2) Huius rei aliquale exemplum sumere licet ex iis quae sub ipsa cruce gesta sunt, cum latro mirabiliter ad fidem Christi conversus, Dominum gloriae eum confessus est dicens: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Propositionem enim revelatae veritatis videtur accepisse ab iis qui Christo illudentes dicebant: *Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus... Dixit enim quia Filius Dei sum.*

instituerunt. Simili quoque modo, unde apud Moscovitas caeterosque Orientales schismaticos plerique articuli fidei nostrae? Numquid non ipsimet originem suae possessionis attestantur, cum septem priora oecumenica concilia, a Nicaeno I ad Nicaenum II, in inviolabilem normam sibi praestituere affectant? De his ergo veritatibus non aliter sentiendum ac de ipsis sacramentis, quatenus ubicumque sunt, ab Ecclesia sunt verbi revelati custode et magistra, ut hic quoque proportionaliter applicentur Augustini verba de baptismate: « Quasi vero ex hoc « generet (pars Donati) unde separata est, et non ex hoc unde « coniuncta est. Separata est enim a vinculo charitatis et pa« cis, sed iuncta est in uno baptismate. Itaque est una Eccle« sia, quae sola Catholica nominatur, et quidquid suum habet « in communionibus diversorum a sua unitate separatis per hoc « quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illae. Neque « enim separatio earum generat, sed quod secum de ista tenue« runt. Quod si et hoc dimittant, omnino non generant » ([1]).

At non satis est quod residuum veritatis revelatae apud sectas exsistens, de fundo infallibilis magisterii sit originaliter acceptum. Nam adhuc in qualemcumque huius residui conservationem multum influit iugis Ecclesiae Catholicae praedicatio, quae tanta celebritate resonat in mundo, et cuius universali diffamationi deservit vel ipsa portarum inferi acerrima contradictio, secundum illud Cantic. IV-16: *Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum et fluant aromata illius.* Huiusce enim perseverantis influxus signa non aequivoca nostris etiam diebus perspicere est tam in protestantismo quam in schismate orientali. In protestantismo quidem, ubi videmus eos qui rationalismo in dies invalescenti resistere tentant, mutuari a nobis, unde christiani nominis absoluta praecaveatur abdicatio ([2]). In schismate quoque orientali, ubi summae theologicae quae in usum veniunt, ex nostris manualibus seu enchiridiis fere de integro compilatae inveniuntur, quoad ordinem, methodum, et ipsa etiam argumenta ([3]). Nec mirum sane si quanto tenacius iis punctis

([1]) August. de bapt. l. 1, c. 10.

([2]) Huiusmodi sunt in Anglia ii qui *altae ecclesiae* membra dicuntur, et vulgo recensentur nomine *Puseytarum*.

([3]) Vide primam partem huius operis, ubi de nota unitatis.

haerent in quibus originalis atque haereditaria ruptura consistit, tanto facilius quoad ea quae nobiscum habent communia, etiam inconscii a soliditate confessionis catholicae sustentaculum quaerant. Caeterum, si corrueret columna illa ac firmamentum veritatis, si quiesceret solemnis illa fidei praedicatio quae ex alto nostrae cathedrae per omnem terram indesinenter sonat, quam cito in separatis confessionibus funditus concideret insubsistens ac dearticulata christianae doctrinae particula quae hactenus supervixit!

In summa, quisquis influxum infallibilis magisterii Ecclesiae ad eos solos restringeret, ad quos directe pervenit praedicatio eius, vehementer sane falleretur, quia haec ipsa praedicatio etiam in causa est cur per extraneos quoque ac dissidentes fiat ad multos ea fidei propositio, quae viae salutis eis aperiendae adhuc sufficiens sit. Atque hinc tandem colligere licet, qua ratione in praefato ecclesiastico magisterio vere consummetur quidquid ab initio fuerat a Deo publice provisum pro diffusione revelatae veritatis in genere humano, ut statim per modum conclusionis ostendo.

Diligenter porro notandum quomodo de iis tantum quae *publice* provisa sunt, sermo sit. Ut enim Augustinus dicit, de Vera Relig. c. 25: « Quoniam divina Providentia non solum « singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi hu- « mano tanquam publice consulit, quid cum singulis agatur, « Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt. Quid au- « tem agatur cum genere humano, per historiam commendare vo- « luit et per prophetiam ». Non ergo de illis mediis loquimur, quae ad singulos privatim adveniunt. Ista enim ultra omnem modum diversificantur, et ab inexhausta Dei potentia quae etiam communibus legibus non alligatur pendent, adeoque fugiunt in sua multiformitate cognitionem nostram, ut hic quoque locum habeat dictum prophetae: *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur* (1). Sed id unum nobis relictum est, ut scilicet generales cernamus Providentiae vias in humani generis gubernatione, et *communia ac regularia* media per quae vel directe vel indirecte, et vel de proximo vel de longinquo provenit ad particulares personas revelati verbi co-

(1) Psalm. LXXVI-20.

gnitio. Nunc autem, hoc videmus fuisse pro hominum salute a primordiis mundi provisum, ut scilicet revelatio semper pura atque incorrupta in aliqua visibili societate populi Dei conservaretur, tanquam in matrice fidei et germano ac genuino fonte, ex quo deinde per multiplices canales et rivulos quaquaversus proflueret, multorum licet admixtione heterogeneorum elementorum adulterata. Non enim, iuxta superius praemissa, ad fidem quae salutis initium est, absoluta necessitate requiritur ut in sua integritate revelatio innotescat. Et tamen, nisi doctrina coelestis cum puritate omnimoda in originali saltem alveo perseveraret, quid iam aliud foret in mundo, quam corruptio addita corruptioni, et sine remedio in dies invalescens alteratio? Non ergo sibi tantum, sed toti mundo depositum servabant, qui fuerunt ab initio in privilegiata conditione populi Dei. Atque hinc habebis quid respondeas rationalistis reprehendentibus nos, quasi ab universo praescinderemus in historia universali, dum scilicet in solis patriarchis et populo Hebraeorum ordinem religionis et divinorum explicationem consiliorum usque ad Christum prosequimur ([1]). Quippe, in hac successione sanctae civitatis, quantumvis numero exiguae, ipsa erat generalis via pro caeteris etiam gentibus praeparata ab illo summo Deo qui non frustra dixit per Apostolum, se velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire. Non frustra, inquam, neque fallaciter, quanquam viae in particulari multo magis nos lateant quam tria illa difficilia de quibus Sapiens, Prov. XXX, cum ignorare se dicit *viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari.* Loquendo itaque de solis communibus ac generalibus mediis, in quibus semper eminuit inviolabilis custodia verbi revelati in successione populi Dei, apparet profecto qua ratione in Ecclesiae catholicae magisterio suam habeant consummationem. Est enim hoc magisterium per-

([1]) « En histoire, tous les fondements sur lesquels nous construi-« sons aujourd'hui sont posés. Que l'on compare le discours de Bossuet « sur l'histoire universelle et l'Essai de Voltaire sur les mœurs, on « verra tout de suite combien ces fondements sont nouveaux et pro-« fonds... N'allons pas comme Bossuet, *oublier l'univers dans une his-« toire universelle*, et subordonner le genre humain à un petit peuple « confiné dans un canton pierreux auprès de la Mer Morte ». Taine, l'ancien régime, l. 3, c. 1, § 3.

petuum et perenne, per totum orbem se actu expandens, de quo demum vere accipitur id quod scriptum est: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

Ergo est paradisus quem purissima caelestis doctrinae aqua irrigat. Est et regio extra paradisum sita ad quam pervenit aqua paradisi, licet non in sua puritate. Sed nec qualicumque modo perveniret, nisi in ipso paradiso suam semper retineret sinceritatem. Et felix quidem Ecclesiae paradisus, quem describit Isaias dicens: *Et quae erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et iunci. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus, et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi* [1]. Quibus verbis significabat propheta, nullum erroris monstrum intra ipsos Ecclesiae fines accessum unquam habiturum, sed omnimodam ibi fore ab incursibus spiritus mendacii securitatem. Atqui huius securitatis causa et principium futurum erat infallibile magisterium, de quo iam videndum est ad quae se extendat, et quae sit amplitudo obiecti eius.

THESIS XVII.

Potestas infallibilis magisterii pro obiecto primario habet res fidei et morum quae in deposito catholicae revelationis formaliter explicite vel formaliter implicite continentur. Secundario vero extenditur ad alias etiam veritates in se non revelatas, quae tamen requiruntur ut revelationis depositum integrum custodiatur, et nominatim quidem ad multiplices propositionum censuras et ad facta dogmatica.

Demonstrata igitur exsistentia potestatis magisterii infallibilis, de eius obiecto specialius iam agendum est. Distinctio autem fit inter ea quae *primario,* et ea quae *secundario* ad

[1] Isai. XXXV, 7-9.

ipsum pertinent: primario, id est ratione sui; secundario, id est ratione connexionis cum obiecto principali. Nam, « sicut « dicere solent theologi, Pontificem (vel Ecclesiam) habere po- « testatem directam in res spirituales, indirectam vero saltem, « in res temporales quando oportet de iis etiam disponere in « ordine ad finem salutis spiritualis cui temporalia omnia de- « bent subordinari et deservire: sic (proportione quadam) di- « cendum est posse ipsum quasi potestate et assistentia directa « decernere circa doctrinas revelatas, quasi indirecte vero circa « doctrinas naturali lumine cognoscibiles, quando harum etiam « cognitio deservit ad doctrinam salutis et theologicam stabi- « liendam et iudicandam ». Ita Lugo, de fide, Disp. 20, Sect. 3, n. 111. — Porro de ipso obiecto primario prior esse debet consideratio.

§ 1.

In primis accurate exponendi sunt termini quoad tres conditiones in assertione positas. Sermo est de iis quae continentur in deposito catholicae revelationis, et formaliter in eo continentur saltem implicite, et denique res fidei et morum consueverunt appellari. — Dico: *quae continentur in deposito catholicae revelationis.* Est autem hoc depositum in Scripturis et sine scripto traditionibus quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Ita Tridentinum, Sess. IV de Can. Script. — Dico praeterea: *continentur formaliter,* id est, non tantum virtualiter sicut conclusiones quae per discursum et ratiocinationem deducuntur ex principiis, sed etiam secundum propriam formam propriamque veritatem, ita ut dici debeant in se et secundum se a Deo revelata, ac per hoc, ad materiale fidei theologicae obiectum pertinere [1]. — Dico tandem: *res fidei et morum consueverunt appellari,* locutione scilicet consecrata a Tridentino, Sess. IV, Decret. de editione et usu sacrorum librorum, ubi prohibetur ne quis suae prudentiae innixus, « *in rebus fidei et morum* « *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium,* Sacram « Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum

[1] Cf. de Virt. infus. de obiecto fidei.

« quem tenuit et tenet Sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare « de vero sensu et interpretatione sanctarum Scripturarum, aut « etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam « sacram audeat interpretari ». Quo in loco Concilium ipsa limitatione adiecta significavit, non omnia in Scripturis contenta sub appellatione rerum fidei et morum esse recensenda. Hoc autem quo sensu debeat intelligi, paulo diligentius est declarandum, nam in recenti illa quaestione cui finem imposuit Encyclica Leonis XIII *Providentissimus Deus,* errabant plures et de Scripturae inspiratione non recte sentiebant, quia distinctionem a Tridentino suppositam non recte erant assecuti.

Ut autem ab altiori principio res repetatur, considerandum quod non omnia revelata eodem modo ad fidei obiectum pertinent. Non quod aliquibus revelatis magis, aliquibus vero minus applicetur revelantis auctoritas, sed quia ratio propter quam res revelatae sub intentione revelantis cadunt, non aequaliter in omnibus est. Quaedam enim sunt de quibus principaliter vult nos instruere Deus, alia vero sunt quae magis minusve proximam ad haec principalia connexionem habent. Et haec differentia, etsi non faciat ut aliqua sint credibiliora quam alia, multoque minus ut aliqua possint prae aliis discredi, ad sensum protestantium ponentium fundamentales quosdam articulos de quibus solis esse debeat fides: facit tamen ut aliqua sint magis necessaria cognitu, adeoque et magis necessaria creditu fide illa explicita quae in obiectum suum fertur, non sub generalissima nota rei revelatae a Deo, quaecumque tandem illa sit, sed etiam sub determinatis notis talis veritatis, cuius ex consequenti determinatam praesupponit cognitionem ac notitiam. Et sane evidens omnino est, nequaquam esse possible ut explicite cognoscantur et credantur, praesertim ab omnibus, omnia et singula quae in integro revelationis deposito quocumque modo sunt contenta. Oportet igitur agnoscere differentiam inter revelata, secundum quod alia prae aliis magis pertinent ad principale illud in quod tota vergit intentio Dei revelantis, et ad quod refertur specialis illa ratio veri quae supernaturalis fidei obiecto propria est. Quapropter in ipsismet rebus quae fuerunt revelatae a Deo directa intentione, introducitur distinctio inter veritates necessitate vel medii vel simplicis praecepti cognoscendas, et veritates quasi secundarias quae solum ad penitiorem et expolitiorem notitiam oeconomiae

salutis faciunt, quanquam illae omnes, diverso quidem gradu, ad christianae doctrinae aedificationem pertineant. Multo igitur magis attendenda erit distinctio rerum quae concomitanter tantum, et propter connexionem mere materialem cum reliquis, in Scriptura divinitus inspirata reperiuntur, ut sunt adiuncta physica, geographica, genealogica, aliaque id genus plurima quae secundum se ad christianae doctrinae aedificationem nihil conferre possunt. Voluit siquidem Deus, cuius providentia disponit omnia suaviter, ut historia sacra pertinens ad praeparationem, annuntiationem, praefigurationem adventus Christi Redemptoris, humano et connaturali modo exararetur. Unde inspirando sacros historicos, accommodavit se modo consueto quo alias solet historia confici, praesertim cum propositum intentionis esset ut in iisdem libris, simul cum formalitate Scripturae Sacrae, haberetur quoque formalitas documentorum quibus idem accederet auctoritatis genus ac aliis quibusvis transactorum temporum monumentis: idque in ordine ad iudicium credibilitatis cuius fundamenta naturali rationi innotescere debent. Ideo hi libri fuerunt scribendi in eadem forma ac caeteri libri historici, et sic etiam dicendum de apostolicis epistolis. Et hinc est quod in illis, praeter ea quae *directa intentione* a Deo inspirante suggesta sunt, quaedam alia inveniuntur quae pure *per concomitantiam*. Quae etsi eo modo et sensu quo fuerunt a Deo inspirata, res fidei dicenda sint, non tamen res fidei facientes ad aedificationem doctrinae christianae. Unde tandem sequitur, non opus fuisse speciali providentia ad incorruptam eorum conservationem in editionibus seu versionibus Scripturae, nec etiam speciali magisterio ad eorumdem propositionem et authenticam interpretationem in populo fidelium.

Proinde infallibilis magisterii primarium obiectum dicimus esse veritates illas in deposito revelationis formaliter contentas, quae quocumque tandem modo ad christianae doctrinae aedificationem pertinentes, brevi formula *res fidei et morum* simpliciter et sine addito solent appellari. Fidei, inquam, et morum. Non quod in hac loquendi ratione res morum non sint etiam fidei, sed quia id prae caeteris proprium et speciale habent, ut ad mores informandos spectent. Distinctio itaque nihil aliud insinuat nisi quod quaedam ita sunt fidei, ut nulla alia formalitas in eis consideretur, cum debeant tantummodo credi; quaedam vero alia exhibent regulam divinitus revelatam actuum humanorum, ac per

hoc, non credenda tantum, verum etiam practicanda proponuntur. Aliis demum verbis, distinctio fit inter speculativa et practica in uno eodemque revelationis deposito quod fidei divinae propria materia est.

His igitur praemissis, assertio facile demonstratur. — Magisterium enim Ecclesiae tantum patet quantum patet commissio a Christo accepta. Sed haec commissio per se et directe extenditur ad eas veritates omnes et solas quae sensu hactenus declarato, res fidei et morum appellantur. Ergo illae omnes et solae ratione sui ad obiectum magisterii pertinere dicendae sunt.

Dico primo, *omnes*. Nam testimonia superius allata evincunt Christum Ecclesiae suae dedisse potestatem cum promissione perennis assistentiae, ad docendum omnia quaecumque suis mandaverat apostolis. Quaecumque, inquam, mandaverat, tum tradendo propriam legem ac doctrinam, tum confirmando revelationem Veteris Testamenti quam non solvere venerat, sed adimplere. Quibus ea quoque annumeranda sunt quae apostoli, Spiritu Sancto dictante, postea erant accepturi, iuxta illud ipsius Christi, Ioan. XVI, 12-14: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Constat enim, in eadem omnino linea venire quidquid traditum est a Christo, sive per semetipsum dum in carne cum apostolis conversabatur, sive per Spiritum Sanctum quem se eis missurum ad complendam revelationem Novi Testamenti, disertis verbis promiserat. Ergo ex his omnibus unum integratur depositum verbi revelati, cuius Ecclesia docens constituitur custos et magistra.

Haec tamen non sic accipias velim, quasi oportuisset omnes et singulas particulatim veritates in praedicto deposito exsistentes, semper fuisse in manifesta atque explicita huius magisterii praedicatione. Hic enim in mentem revocanda distinctio paulo supra introducta circa res ipsas quae ad christianae doctrinae aedificationem pertinent, pro quanto scilicet alia dogmata sunt quae primam veluti contignationem aedificii constituunt, alia vero quae instar ulterioris apparatus se habent. Et de prioribus quidem non est dubium quin debuerint a primis initiis ac deinceps, ex-

plicita, constanti, atque universali praedicatione per ecclesiasticum magisterium palam proponi. Sunt enim substantia evangelii, cuius praedicandi officium simul et praeceptum a sua origine habuit Ecclesia. Et de his omnino intelligitur notissimus Vincentii Lirinensis locus, ubi postquam generaliter exposuit qua de causa oporteat canoni Scripturarum auctoritatem adiungere ecclesiastici magisterii (1), addit: « In ipsa item catholica Ecclesia « magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod « semper, quod ab omnibus creditum est ». At de posterioribus non eadem ratio currit, quoniam nonnisi ad expolitiorem intelligentiam revelatae oeconomiae faciunt. Unde nihil prohibet quominus non ita aperta instantique praedicatione ab apostolis tradita sint, aut non per modum rati et expressi dogmatis ad omnes Ecclesiae partes ab initio pervenerint. Nihil praesertim prohibet quominus in profundo Scripturarum velut gemmae in conchis latitaverint, vel adhuc ex parte lateant, donec diligenti studio et inquisitione suo tempore manifestata, per ipsum deinde authenticum magisterium proponantur. Et ideo Lirinensis inquirens utrum in Ecclesia Christi profectus haberi possit religionis: Habeatur, inquit, et maximus. « Nam quis ille est tam invidus ho« minibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita « tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem « ad profectum pertinet ut in semetipsam unaquaeque res ampli« ficetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud trans« vertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque pro« ficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam « totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, « scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem sci« licet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur ani-

(1) « Hic forsitan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum « canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei « ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scri« pturam Sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu uni« versi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque « alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae « erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, « aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter « Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus. Pelagius, Coele« stius, aliter postremo Nestorius, etc. ». Lirin. Common. 1, c. 2.

« marum religio rationem corporum, quae licet annorum processu « numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant « permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis « maturitatem, sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant ado- « lescentes, ut quamvis unius eiusdemque hominis status ha- « bitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, « una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna « iuvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot « virorum, et si qua illa sunt quae aevi maturioris aetate pa- « riuntur, iam in seminis ratione proserta sunt, ut nihil novum « postea proferatur in senibus quod non in pueris iam ante la- « titaverit ». Et hanc legem evolutionis quae omnibus viventibus organismis dominatur, videmus etiam verificari in Ecclesia Christi, quae sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, « nihil « in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat « necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat « aliena, sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter « sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et « inchoata, accuret et poliat; si qua iam expressa et enucleata, « consolidet, firmet; si qua iam confirmata et definita, custodiat ». Non ergo sic dicimus Ecclesiam totius verbi revelati magistram, quasi circa omnia et singula semper debuerit aut nunc debeat magisterium eius de facto exerceri, sed quatenus nihil est revelatum circa fidem et mores, ad quod sese non extendat, et quidem directe, potestas a Christo accepta, progressiva licet lege in actum reducenda secundum necessitates temporum, opportunitates circumstantiarum, et praevias doctorum ac probabilium magistrorum disquisitiones. Et sic verissime dicitur potestas magisterii pro obiecto primario habere omnes veritates ad fidem et mores pertinentes quae in apostolico deposito formaliter continentur.

Dico autem secundo, *solas* illas veritates ad obiectum primarium pertinere. Etenim nihil supernaturalis potestatis cuiquam competit aut competere potest, nisi secundum positivam Dei institutionem atque commissionem. Quo posito, vel sermo est de iis quae ita sunt extrinseca deposito fidei et morum, ut nullam ad ipsum habeant relationem, et ista tam evidenter sunt extra ordinem commissionis divinae, ut minime necesse sit ad specialia argumenta descendere. Vel sermo est de veritatibus illis quae etsi in se non revelatae, adhuc tamen ad revelatas

res fidei et morum talem habitudinem servant, ut earum determinatio pro convenienti atque integra depositi custodia requiratur, et sic, vere quidem comprehenduntur in commissione quam Ecclesia accepit a Christo, non tamen, ut in terminis apparet, primario et ratione sui, sed solum secundario et ratione alterius, prout expressum est in posteriori propositionis parte, de qua iam diligentius pertractare oportet.

§ 2.

Principio observandum quod veritas infallibilis magisterii circa res formaliter revelatas est evidentissime dogma fidei ab Ecclesia ipsa non sufficienter solum, verum etiam superabundanter propositum, cum sit fundamenti instar in manifesta atque expressa eius praedicatione, et se habeat velut quoddam praesuppositum ad omnem ulteriorem actum magisterii, quo sub anathemate aliquid intimatur fide divina credendum. Unde Card. Franzelin, de Trad. Thes. XII, Schol. 1: « Haec infallibilitas ad « ipsum revelatum dogma fundamentale fidei catholicae pertinet, « atque hinc eius negatio non solum haeresis est, sed etiam radix « omnium haereseon ». At de extensione infallibilis auctoritatis ad ea de quibus sermo est in praesenti, non omnino eadem ratio est. Non quod non sit veritas in se certissima, sed quia hactenus non praesto sunt omnes conditiones necessariae ut recenseatur inter dogmata quae *citra haeresim* respui non possunt [1]. Certo

[1] Hic in memoriam revocabis distinctionem inter infidelitatem et haeresim; quae distinctio etiam quoad eos qui christiani sunt, valet. Nam si quis discrederet veritatem quam ipse certo cognovit a Deo revelatam, peccatum infidelitatis admitteret, non tamen haereseos, si forte haec veritas nondum fuisset ut revelata, ab Ecclesia definita atque proposita. Quippe haeresis addit supra infidelitatem in communi, recessum in rebus fidei divinae a regula ecclesiastici magisterii, ut iam alias dictum est. Et licet nihil distet inter haeresim et simplicem infidelitatem per ordinem ad amissionem infusi habitus fidei, multum tamen interest quod attinet ad coniunctionem cum visibili corpore Ecclesiae. Sola enim haeresis notoria habet per se vim praecidendi aliquem a compagine corporis, non autem dissensus etiam notorius circa aliquam veritatem quae hactenus non fuit ab Ecclesia expresse proposita hoc determinato modo, videlicet tanquam *fidei divinae* dogma ab omnibus firmiter constanterque tenendum.

enim certius nondum facta est de ea tanquam de veritate *revelata in se*, ac per hoc, tanquam de dogmate *fide divina* credendo, eiusmodi Ecclesiae propositio quae ad intentum requireretur et sufficeret. Nam licet aliqui theologi videantur supponere contrarium, dum adversae doctrinae notam haereseos affigunt, cum tamen in hac sua opinione alios sibi consentientes non habeant, eo ipso apparet nondum adesse *in debita saltem notorietate*, quidquid ad formalem haeresim constituendam foret necessarium. Bene ergo Card. Franzelin ubi supra: « Haec infallibilitatis extensio, omnibus theologis consentientibus, veritas est theologice ita certa, ut eius negatio error esset gravissimus, vel ex plurium sententia etiam « haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non « sit » ([1]).

Generale autem argumentum in eadem fere forma conficitur ac supra. Etenim, tam late patet infallibilis auctoritas ecclesiastici magisterii, quam late patet commissio accepta a Christo, quando Christus apostolis eorumque successoribus mandavit docere revelatam a se doctrinam, eamque incorruptam in animis fidelium custodire; quando insuper ad hoc ipsum promisit eis assistentiam suam usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVIII, 20), et permansionem Spiritus veritatis in aeternum (Ioan. XIV, 16). Quam quidem commissionem uno verbo complexus est Apostolus, cum in persona Timothei ipsam Ecclesiam docentem alloquens dixit: *Bonum depositum custodi per Spiritum*

([1]) « Communiter doctores fatentur certum esse Ecclesiae iudicium « in censuris (*propositionum*) statuendis. Bannez dicit esse errorem, vel « errori proximum dicere, posse Ecclesiam in eo iudicio errare. Mal- « derus dicit haereticum esse qui id pertinaciter affirmaret. Coninck « dicit esse valde probabilem hanc Malderi sententiam. Turrianus dicit « esse errorem dicere quod in his censuris decernendis possit Pontifex « errare... Ego etiam id puto, vel esse erroneum vel errori proximum, « quia infallibilis Spiritus Sancti assistentia Ecclesiae promissa non vi- « detur limitanda ad ea solum dogmata quae tanquam de fide (*divina*) « proponuntur et creduntur ab Ecclesia, sed debet extendi ad omnia « quae fideles ex praecepto Ecclesiae credere tenentur » (*fide scilicet ecclesiastica de qua dicetur infra, suo loco*). Ita Lugo, de Fide, Disp. 20, Sect. 3, n. 108.

Sanctum qui habitat in nobis (1). Atqui commissio eiusmodi certo certius infert collationem doctrinalis auctoritatis sese extendentis ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent, et ad earum custodiam, defensionem, propositionem atque explicationem requiruntur. Ergo ad haec etiam, quamvis non primario, sed secundario tantum, infallibile Ecclesiae magisterium dicendum est sese extendere.

Maior est manifesta; minor vero exemplis declaratur. Et sat evidens exemplum primo sumi potest de illis opinionibus in dies exorientibus, quae etsi non contradictorie dogmatibus fidei opponantur, tamen ad ipsius fidei corruptionem plus minusve disponunt, vel quia nexu logico cum haeretica doctrina cohaerent, vel quia temere impetunt ea quibus suis velut propugnaculis atque antemuralibus fides protegitur, vel quia quamcumque aliam continent astutiae serpentinae fraudem. Etenim veritas oppositionis quam eiusmodi opiniones habent ad fidei sinceritatem, non est veritas in se revelata, utpote non formaliter contenta in deposito Scripturae vel divinae Traditionis, sed est veritas quae per collationem et discursum caeteraque media theologicae disciplinae unice innotescit. Aliunde vero eius notitia potest esse, et de facto saepe est requisita ad fidei incolumitatem, ut scilicet sciatur quid vitandum, quid respuendum sit, ne fides ipsa periculo pateat. Unde Apostolus, Coloss. II-8: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Et Concilium Vaticanum nos monet in fine Constitutionis *Dei Filius,* non satis esse haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt. Hic igitur exemplum habes veritatum non revelatarum quae ad depositi custodiam et defensionem requiruntur.

Simili quoque modo manifestum est quod ad infallibilem eorum quae fidei sunt propositionem, multoties exigitur determinatio infallibilis circa facta extra ambitum revelationis exsi-

(1) 2 Tim. I-14. — « Quis est hodie Timotheus nisi... specialiter « totum corpus praepositorum, qui integram divini cultus scientiam vel « habere ipsi debent vel aliis infundere? Quid est *depositum custodi?* « Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus ho- « minibus superseminent zizania, etc. ». Lirinens. Commonit. I, c. 22.

stentia. Puta, determinatio circa talem editionem sive versionem, an sit conformis originalibus Scripturis, et hac de causa authentica. Nam alias, solam scripturam in abstracto, aut verius, scripturam quae olim fuit in originalibus manuscriptis, non quae nunc est in manibus nostris, infallibiliter proponere posset Ecclesia. Item, determinatio circa hanc vel illam loquendi formam, an sit idonea ad exprimendum dogma. Nam quid ad me quod infallibiliter sentias, si id quod infallibiliter sentis potes fallibiliter exprimere? et tamen, quod haec vel illa formula, sive graeca, sive latina, sive alterius linguae, recte exprimat veritatem a Deo revelatam, id certe non est in ipso fidei deposito contentum. Et eodem modo dicendum de aliis pluribus quae pro nunc diserte non enumerantur, nam allata iam exempla sufficiunt ad manifestationem generalis principii, satisque ostendunt qua ratione veritates non revelatae possint requiri ad custodiam vel propositionem revelatorum, ita ut ad eas quoque debeat infallibile Ecclesiae magisterium, iuxta amplitudinem institutionis et promissionis Christi, sese extendere.

Sed nunc oportet venire ad magis particularia, id est ad singulas categorias rerum quae sub praesenti consideratione cadunt. Et quia communiter recensentur duae principales, quae sunt censurae propositionum, et facta dogmatica, de his per ordinem singillatim agendum est, novis argumentis generalem doctrinam confirmando, et potissimum quidem argumento deducto ex constanti praxi atque usu Ecclesiae.

Ecclesiae infallibilitas quoad censuras propositionum. — Qua in re nonnullae notiones sunt necessario praemittendae.

Censura doctrinalis active sumpta, est sententia per quam notatur propositio tanquam aliquo saltem modo fidei opposita vel nociva. Passive accepta, est nota ipsa quae dictae propositioni inuritur. Porro vix dicere opus est, minime nunc tractari de censuris quae scientifice a privatis doctoribus pro sua rerum theologicarum peritia imponuntur, sed de illis solis quae ex cathedra feruntur a supremo Ecclesiae magisterio. Distinguitur autem censuratio categorica, et censuratio in globo. Censuratio categorica est quando unicuique propositioni sua propria affigitur nota. In globo, quando pluribus propositionibus recensitis, notae conglobatim apponuntur, non determinando quae cui conveniat. Exemplum censurae categoricae est in Bulla *Auctorem*

fidei, qua damnantur propositiones Synodi Pistoriensis. Exempla vero censurae in globo suppeditant decreta Concilii Constantiensis contra Huss et Wicleff (1), Bulla Leonis X *Exurge Domine* contra Lutherum (2), Bulla Clementis XI *Unigenitus* contra Quesnellum (3), etc. Hunc posteriorem modum deridebant Iansenistae mentientes idem valere censuras in globo, ac si quis iudex centum reos de diversis criminibus convictos, una communi sententia pronuntiaret puniendos mulcta pecuniaria, exsilio, carcere, patibulo, etc., respective. Sed quam inepte, nemo est qui non videat. Manifestum enim est quod in exemplo adducto, nullum effectum habere potest sententia, nisi cognoscatur in individuo quis exsilio, quis carcere, quis patibulo puniendus sit. At non ita in praesenti. Sicut si mater diceret filiis: cavete ab his herbis quae omnes continent aliquod veneni genus, non frustra profecto id diceret, et haberent filii obediendo matri, unde incolumes se servarent, tametsi de speciali veneni genere quod singulae cuique herbae proprium est, nihil fuerit eis indicatum. Proinde, ut similitudo a Iansenistis adducta qualicumque modo

(1) « Haec sancta Synodus praefatos articulos quadraginta quinque « examinari fecit... Quibus examinatis fuit repertum prout in veritate « est, aliquos et plures ex ipsis fuisse et esse notorie haereticos.... alios « non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos et blasphemos, quosdam « piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios et seditiosos... « Propterea in nomine D. N. I. C. haec Sancta Synodus... praedictos « articulos et eorum quemlibet... hoc perpetuo decreto reprobat et « condemnat. Et... inhibemus, omnibus et singulis catholicis sub ana- « thematis interminatione ne de caetero dictos articulos vel ipsorum « aliquem audeant publice praedicare, dogmatizare, tenere, etc. ». Conc. Constantiense, Sess. VIII.

(2) In hac Bulla, post recitatas 41 propositiones Martini Lutheri, subiungitur: « Matura deliberatione, praedicta auctoritate omnipotentis « Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostra, praefatos « omnes et singulos articulos seu errores, tanquam respective haereticos « aut scandalosos aut falsos aut piarum aurium offensivos... damnamus, « reprobamus, atque omnino reiicimus, etc. ».

(3) Post recitatas 101 propositiones Quesnelli, addit Pontifex: « Omnes « et singulas propositiones praeinsertas tanquam falsas, captiosas, male « sonantes... scandalosas, temerarias... seditiosas... erroneas, haeresi « proximas, ac demum haereticas... respective, hac nostra perpetuo va- « litura constitutione declaramus, damnamus et reprobamus, etc. ».

veniret ad rem, deberet potius in hunc modum verti: puta, si iudex publicaret edictum denuntians certos homines nominatim designatos tanquam vitandos ac fugiendos, utpote qui scelesti sint, et digni qui exsilio, fune, rota, capite plectantur, respective. Quippe censura propositionum non se habet instar condemnationis qua poenae addicitur reus, sed per modum qualificationis qua aliquid notatur ut pravum, et ex consequenti ut respuendum. Constat autem non semper requiri ut species pravitatis in individuo innotescat, et finem adhuc posse obtineri si vel in generali sciatur, unicuique propositioni convenire aliquam e notis globatim appositis. — Sed sive de censuris in globo agatur, sive de categoricis, singularum notio explicita est theologo necessaria, et ideo de singulis per ordinem nunc dicendum venit.

Supremum gradum in censurarum catalogo obtinet *propositio haeretica,* ad quam duae conditiones requiruntur. Prima est ut contradictorie opponatur alicui veritati a Deo formaliter revelatae. Altera est ut haec ipsa veritas qua talis, vel definitione solemni vel ordinario magisterii exercitio iam fuerit ab Ecclesia sufficienter proposita. Utrumque constat ex dictis de haeresi (1). Et siquidem de prima conditione ratio habeatur, manifestum est quod definiendo propositionem esse haereticam, non excurrit Ecclesia extra ordinem formaliter revelatorum. Cum enim affirmatio positivi et negatio contradictorii inter se convertantur, semper proponitur ipsa a Deo revelata veritas, sive sub forma canonis quo exhibetur id quod est a Deo dictum, sive sub forma censurae qua notatur id quod est contradictorie ei oppositum. At si de altera conditione sermo sit, apparet non eamdem esse rationem, quia factum antecedentis et sufficientis propositionis ex parte Ecclesiae minime computatur inter revelata. Unde dicendum est quod ipsa suprema censura haereseos aliqualiter adhuc cadit sub secundario infallibilitatis obiecto de quo in praesenti, quamvis principaliter sub primario.

Ad propositionem haereticam proxime accedit *propositio erronea.* Et hic sciendum est quod error generatim est deviatio certa a regula certa. Sicut autem philosophus pro regula habet prima principia per se evidentia in quae resolvuntur omnes ve-

(1) Vide supra, pag. 394 in nota.

ritates ordinis rationalis, ita fideli in quantum huiusmodi, certa regula est id quod tanquam divinitus revelatum ab Ecclesia fuit propositum. Et ideo erroneitas nihil aliud nunc erit quam oppositio et pugnantia alicuius doctrinae seu propositionis cum revelatis dogmatibus quae ut talia in manifesta Ecclesiae praedicatione sunt. Verum, hoc generali modo accipiendo errorem, omnis propositio haeretica est erronea, imo eminenter talis. Unde quando error sumitur ut ab haeresi condistinctus, necesse est ut dicat aliquid minus haeresi, videlicet certam ad doctrinam fidei oppositionem, cui tamen nonnihil deest quominus haeresis dici possit. Sic enim contingere solet, ut si qua nominis ratio communiter conveniat pluribus velut hierarchice subordinatis, ipsum commune nomen ordini infimo specialiter reservetur, sicut patet de hoc nomine *angelus,* et de hoc nomine *animal,* aliisque pluribus ([1]); et sic etiam est in praesenti. — Porro oppositio illa a supremo haeresis gradu utcumque deficiens quae propositioni erroneae propria est, duobus modis intelligi potest. Primo, ita ut sit *solum mediata,* pro quanto dicta propositio est nec plus nec minus contradictoria alicuius conclusionis theologicae quae ex dogmate fidei et principio naturaliter certo deducitur ([2]). Alio

([1]) « Est hoc in more positum sermoneque maiorum, ut nomen « generis speciei illi absolute tribuant, quae est in eo genere imper- « fectissima. Sic Aristoteles in praedicamentis dispositionem seiunxit ab « habitu, cum tamen dispositio alias habitus ipsius genus sit. Virtus « quippe, quam habitum esse nemo est qui nesciat, dispositio est per- « fecti ad optimum. Ac ne plura exempla quae sunt prope innumera « referamus, illud est passim vulgi etiam ore contritum, quo animalis « vocem, cum omnium animantium communis sit, interdum pro his « solum accipiunt in quibus nihil aliud quam vis animantis apparet. A « qua consuetudine ne Paulus quidem abhorruit, cum animalem homi- « nem dixit, quasi brutum expertemque rationis... Ex quibus facile in- « telligimus, erroneas propositiones contra catholicas fuisse divisas, et « inferiore quodam gradu quam haereticas, fuisse. Error itaque qui et « minus quiddam quam aperta haeresis, et catholicae doctrinae tamen « contrarius est, propositio erronea vocatur ». Melchior Canus, de locis, l. 12, c. 10.

([2]) Exemplum habes in propositionem 37 Pistoriensium, quae « sic « intellecta, tanquam ad validum usum potestatis absolvendi non sit « necessaria ordinaria vel subdelegata iurisdictio... falsa... *erronea* ». Ne-

modo, ita ut sit *ad minus mediata* quatenus propositio negat doctrinam quae certissime quidem cohaeret cum principiis fidei, certissimeque ex iis colligitur, sed insuper iudicatur a plerisque formaliter etiam revelata, et ut talis ab Ecclesia definibilis, quanquam hactenus de facto definita non sit (1). — Itaque in ipsa erroneitate sunt duo veluti gradus qui quandoque ab invicem contradistinguuntur, et quandoque non. Ubi autem contradistinguuntur, propositio habens superiorem gradum dicitur *haeresi proxima;* quae inferiorem, *erronea* simpliciter. Sic in Bulla Unigenitus, condemnantur propositiones Quesnelli ut falsae, captiosae, erroneae, haeresi proximae, etc. Sed in multis aliis documentis, puta in Bulla Auctorem fidei, nusquam ponitur haec nota *haeresi proxima,* quamvis aliqualiter insinuari videatur per eam quae pluries occurrit, *ad minus erronea.* Et haec quidem ideo dixerim, ne quis erroneitatis censuram ad eas solas propositiones restringat, quae in se obiective consideratae, nihil plus sunt aut esse possunt quam contradictoriae conclusionum theologicarum.

Nunc autem, missis nimiis subtilitatibus, satis patet quid sit propositio *sapiens haeresim* vel *suspecta de haeresi.* « Utraque ansam « dat timendi ne lateat haeresis; neutra dat fundamentum suffi- « ciens alicui iudicandi absolute esse haeresim vel errorem. Dat « tamen fundamentum sufficiens ad suspicandum vel timendum « quod auctor illius propositionis habeat apud se haeresim ali- « quam vel errorem ex quibus illa propositio oriatur. Hoc tamen « fundamentum non consistit in indivisibili, sed habet latitudi- « nem secundum magis et minus », et iuxta hanc latitudinem,

---

cessitas enim iurisdictionis ad validam absolutionem, conclusio est theologica quae deducitur ex principio formaliter revelato: Poenitentiae scilicet sacramentum esse per modum iudicii institutum.

(1) Exemplum sumi potest de ipso praesentis disputationis obiecto, id est. de propositione negante infallibilem Ecclesiae auctoritatem in censuris propositionum. Quae quidem infallibilitas certissime colligitur ex principiis revelatis, sed et a plerisque habetur ut formaliter quoque revelata, tametsi nondum fuerit tanquam fidei divinae dogma authentice proposita, ut dictum est supra. Et ideo Pius IX in litteris apostolicis *Gravissimas inter*, sententiam Frohschammer *omnino erroneam,* et ipsi fidei, Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicit et declarat.

saporem haereseos a suspicione distingues (1). Item sine difficultate intelligitur propositio *male sonans* vel *piarum aurium offensiva*. Nam prior peccat aequivocatione seu abusu vocum diversarum ab usu communi quo solent a fidelibus usurpari, non servans formam sanorum verborum quam commendat Apostolus. Posterior vero, etsi usurpet voces in propria et usitata earum significatione, id tamen dicit quod, utpote indecens et indignum in materia religionis, natum est fidelium reverentiam minuere et pietatem offendere (2). Caeterum, si quae inveniantur in hac parte sententiarum diversitates, et parvi momenti sunt, et ad modos loquendi potius quam ad rem ipsam spectare videntur.

Maior esset, specie quidem tenus, de nota *temeritatis* discrepantia. Sed omnis oppositio cessabit si cum Melchiore Cano consideres, propositionem temerariam duobus modis usurpari solere, communiter scilicet et proprie. — Communiter quidem, ut omnis propositio quae insolenter et nimium audacter sese erigit absque fundamento contra receptam in Ecclesia sententiam, temeraria quoque appelletur, etiamsi aliunde sit haeresis vel error manifestus. Et hoc modo sumitur temeritatis nota in Bulla Auctorem fidei, ubicumque propositiones damnantur ut temerariae simul et erroneae; ut temerariae nempe, propter contemptionem superbam communis sensus Ecclesiae: ut erroneae vero, propter oppositionem saltem mediatam cum revelatis catholicae fidei dogmatibus. — Nunc autem sensu magis particulari et restricto usurpatur censura temeritatis ubi asseveratio ut temeraria notari potest, ut haeretica vel erronea vel sapiens haeresim non potest. Id porro accidit quando in aliqua propositione non negatur obiectum fidei directe vel indirecte, neque in re ipsa vel in vocibus fit suspicio contra fidem, sed solum circa materiam quae etsi nec formaliter nec virtualiter revelata, nihilominus spectat ad theologiam vel pietatem, temere reiicitur communis sensus doctorum et fidelium (3). Et hoc modo censura temeritatis inferior est praeceden-

(1) Lugo, de fide, Disp. 20 Sect. 3 n. 88.

(2) Id. ibid. n. 92-94.

(3) Exemplum habes in propositionibus 31 et 32 Pistoriensium. — « Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officio- « rum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum « tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere: te-

tibus. Merito tamen inter theologicas censuras computatur, « quia « licet propositio mere temeraria non neget fidem nec conclusionem « theologicam, negat tamen temere et imprudenter aliquid ad « theologiam spectans et ad doctrinam communem circa res quae « spectant ad pietatem et salutem. Quam doctrinam et commu- « nem fidelium sensum multum refert indemnes servare, et coer- « cere effrenatam pro libito opinandi libidinem, et temere asse- « rendi quidquid cuilibet arridet, ex quo paulatim gradus fit ad « audendum etiam circa alia, quae propius ad fidem accedunt. « Sunt enim haec omnia quasi antemuralia quae doctrinam fidei « muniunt, quibus ablatis facilior patet aditus ad fidem ipsam « vel alia fidei proxima oppugnanda. Quare, propter connexio- « nem aliquam, licet non necessariam nec evidentem quam cum « fide habent, exigunt peculiarem reverentiam ne facile et temere « contemnantur. Qui enim hodie communem Patrum vel docto- « rum sensum circa aliquid non revelatum spernit, cras spernet « communem Patrum sensum in aliquo Scripturae loco interpre- « tando, et dicet eos omnes in eius intelligentia deceptos fuisse, quod « proprium est haereticorum dicentium verba Scripturae esse iuxta « cuiusque sibi melius sapientis sensum accipienda » (1).

Notae aliae vix declaratione indigent. *Schismatica* est propositio quae promovet schisma, vel illud generare potest aut ad illud inducere. *Seditiosa,* quae ab obedientia principibus civilibus debita retrahit, aut ad tumultus in republica excitandos conducit. *Scandalosa,* quae praestat occasionem ruinae spiritualis, inclinando ad peccata vel avocando ab exercitio virtutum, qualis v. g. fuit illa enumeratio incommodorum auricularis confessionis, in qua, ut notat Canus, tanto cum Germaniae scandalo Erasmus versatus est. *Blasphema,* quae iniuriam et irreverentiam contra Deum continet. *Iniuriosa,* quae iniuriam habet contra eos quorum honori merito consulit Ecclesia, prohibens et severe puniens libellos famosos contra principes etiam saeculares aut contra personas publicas, contra ordinem aliquem religiosum, contra Praelatos, Car-

---

« meraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia praeser- « tim Latina vigenti et probato mori iniuriosa. — Item. praescriptio « vetans ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve appo- « nantur; temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori iniuriosa ».

(1) Lugo, de fide, Disp. 20, Sect. 3.

dinales, et alios. *Impia,* qua verus Dei cultus evertitur vel minuitur, etc. — Sed cum haec perspicua sint, unum est quod ultimo loco annotare praestat, videlicet: unam eamdemque propositionem subiacere posse pluribus censuris, quia sub pluribus respectibus fidei vel moribus nociva esse potest, et hac de causa plures continere pravitatis species.

Nunc autem, infallibilitatem supremi magisterii Ecclesiae in his censuris ferendis, (praeter generale argumentum paulo supra deductum ex commisso munere custodiendi depositum, illudque contra omnes corruptionis causas in animis fidelium integrum atque purum conservandi), invicte demonstrat vel ipsa Ecclesiae praxis. Ab antiquis enim temporibus consuevit Ecclesia, non solum censurare propositiones, verum etiam imponere fidelibus obligationem adhaerendi hisce censuris, id est firmiter credendi eas omnes et singulas convenire notatis propositionibus, et eo quidem modo quo eis convenire declarantur. Sic Concilium Constantiense imposuit Hieronymo de Praga sequentem professionem: « Ore et corde profiteor in omnibus et per omnia... prout « ipsa Romana Ecclesia et Apostolica Sedes et hoc sacrum Con« cilium profitentur, et specialiter quod praedictorum articulorum « (Huss et Wiclef) plures sunt notorie haeretici..., *quidam vero « blasphemi, alii erronei, alii scandalosi* ». Et in Bulla *Inter cunctas,* Martinus V confirmans decreta Constantiensia facta in materia fidei contra haereticos, iubet interrogari quemlibet suspectum: « Utrum credat, sententiam sacri Constantiensis Concilii « super 45 Ioannis Wiclef, et Ioannis Huss 30 articulis superius « descriptis latam, fore veram et catholicam: scilicet quod su« pradicti 45 articuli Ioannis Wiclef et Ioannis Huss 30 non sunt « catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, *quidam « erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi* ». Et similiter in omnibus constitutionibus dogmaticis Romanorum Pontificum, quibus vel in globo vel categorice censurantur propositiones Lutheri, Baii, Quesnelli, Pistoriensium, etc., semper auctoritate apostolica sub poenis a iure statutis mandatur ne quis de dictis propositionibus aliter unquam sentire praesumat, quam in ipsis perpetuo valituris constitutionibus declaratur, idque nulla distinctione facta inter supremam censuram haereseos et censuras inferiores. — Quo posito, sic arguere licet: Imposita a suprema Ecclesiae auctoritate obligatio credendi assensu firmo

atque irrevocabili veritatem censurarum quibus damnatae non tantur propositiones, est vera obligatio quae coram Deo conscientiam adstringit, iuxta illud Matth. XVI-19 : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis.* Hoc enim in loco (collato cum Matth. XVIII-18) aperte edocemur minime posse accidere ut Ecclesia unquam ligare attentet id quod in rei veritate ligare non potest. Atqui nulla esse potest vera per se obligatio firmiter credendi id quod a fallibili auctoritate est determinatum. Ergo ex ipsa praxi, ipsoque usu Ecclesiae obligatorio modo proponentis assensui fidelium censuras doctrinales, certissime deducitur infallibilitatem magisterii eius ad illas quoque absque exceptione sese extendere. Quod demum confirmatur, ut supra iam dictum est, ex summo et universali omnium theologorum consensu. — Sed de his nunc satis, iam pergamus ad reliqua.

Infallibilitas Ecclesiae quoad facta dogmatica. — De his factis nunc agitur, quorum determinatio interest ad custodiam depositi, et ad regulae fidei et morum convenientem applicationem.

Quidam distinguunt tres classes : dogmaticorum, hagiographicorum, et historicorum. « Multa sunt per se ad philosophiam, « ad philologiam, ad humanam empiriam pertinentia, sine quo- « rum infallibili certitudine nec ipsa veritas revelata infallibiliter « proponi et explicari, nec quid credendum sit intelligi posset. « Praeterea facta in se minime revelata frequenter ita supponun- « tur vel ipsi explicationi revelationis, vel erroribus huic oppo- « sitis, ut in quibusdam adiunctis dogma revelatum custodiri, « contra erroneas detorsiones defendi, vel sine periculo applicari « nequeat, quin iudicium de dogmate revelato et de errore op- « sito comprehendat etiam huiusmodi facta in se non revelata. « Huc pertinent facta quae dici solent *dogmatica,* quando quae- « ritur de genuino sensu textuum humanorum in determinatis « libris, quatenus in eo contextu concordent vel opponantur de- « posito fidei. Facta *hagiographica* verae sanctitatis et aeternae « gloriae hominum defunctorum, qui solemni iudicio proponantur « universae Ecclesiae cultu religioso prosequendi. Facta deinde « per se *historica,* ex. gr., legitima celebratio determinati Con- « cilii, etc. » ([1]). Verum eiusmodi classificatio ad modum loquendi

([1]) Franzelin, de Tradit. Thes. 12, Schol. 1.

pertinet. Caeterum, quaecumque hic recensentur, convenienter venire possunt sub nomine *factorum dogmaticorum,* quatenus habent singula connexionem aliquam cum dogmate vel custodiendo, vel applicando, vel rite proponendo. Iis autem interim praetermissis quae specialem non offerunt difficultatem, de duobus tantum dicam de quibus alicui dubium occurrere posset, an et qua ratione infallibili Ecclesiae definitioni subiaceant.

I. — Primum pertinet ad sensum librorum, sensum scilicet ab auctoribus intentum, quatenus concordet vel opponatur regulae fidei. Sed nota diligenter quod sensus ab auctore intentus dupliciter sumi potest. Primo pro sensu qui forte latebat in mente eius dum scribebat, et sic non est sensus auctoris formaliter in quantum huiusmodi, nec subiacet iudicio Ecclesiae. Secundo pro sensu qui est in libro expressus, quemque verba prae se ferunt, et sic est sensus intentus ab auctore qua tali, de quo solo sermo est in praesenti. Porro quaestio ista celebritatem habuit quam maximam tempore Iansenismi, cum scilicet damnatis a Summis Pontificibus Iansenii propositionibus, ad illam cavillationem recurrerunt Ianseniani, ut dicerent propositiones quidem esse damnabiles atque haereticas, sed eas de facto non contineri in Iansenii libro, imo esse a sensu eius alienas; et hoc modo distinguentes inter ius et factum, specie quidem tenus videbantur acquiescere decretis Ecclesiae quoad ius, re autem ipsa omnia eludebant. Hinc Alexander VII per constitutionem *Dum ad sacram Petri sedem,* haec declaravit: « Quinque propositiones « ex libro praememorati Cornelii Iansenii episcopi Yprensis, cui « titulus est *Augustinus* excerptas, ac in sensu ab eodem Cor« nelio Iansenio intento damnatas fuisse, definimus et declara« mus ». Postea vero, constitutione *Regimini apostolici,* sequens formularium subscribendum edixit: « Ego N. constitutioni In« nocentii X.... et constitutioni Alexandri VII.... summorum pon« tificum me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Ian« senii libro cui nomen *Augustinus* excerptas, et in sensu ab « eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones « Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, et « ita iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia » (1). Constanter autem restiterunt Iansenistae, denegantes Ecclesiae

(1) Cf. Denzinger, Enchir., n. 970.

auctoritatem, praesertim infallibilem, iudicandi de facto, id est de sensu auctoris ut supra, variisque subterfugiis rebellionem suam dissimulare tentaverunt, donec tandem omni cavillationi praecluserit viam constitutio Clementis XI *Vineam Domini*. — Duo ergo hic declaranda veniunt: auctoritas iudicandi, et infallibilitas in iudicando.

Et auctoritas quidem iudicandi de sensu auctoris in ordine ad regulam fidei orthodoxae, tam evidenter continetur in potestate magisterii, ut nihil evidentius esse possit. Certe iubentur fideles vitare hominem haereticum (Tit. III-10), et cavere a falsis prophetis qui veniunt ad eos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (Matth. VII-15); vitare, inquam, hominem haereticum seu cavere a falsis prophetis, non tam in propria persona consideratis, quam in scriptis quae venenum haereticale diffundunt. Nunc autem quomodo vitarent, quomodo caverent fideles, nisi ab ea auctoritate cui fidei procuratio concredita est, ii qui vitandi sunt notarentur? Et isti rursus quomodo notarentur, nisi de eorum sensu posset authentice iudicare Ecclesia, et tanto quidem meliori iure, quanto magis dissimulant, magisque se occultare pertentant? Quapropter minime audiendi sunt qui ad eludendum argumentum desumptum ex praxi veterum Conciliorum (puta Concilii III ubi damnata sunt scripta Nestorii, et Concilii V ubi proscripta fuere tria capitula seu scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, et Ibae), dixerunt Ecclesiam posse quidem talia exercere iudicia ex notorietate facti, quando errores sunt a suis auctoribus in confesso; secus vero, minime. Falsissimum quippe est quod Ecclesia eos solos haereticos notare habeat, quorum errores sunt notorii. Quin imo, istos utpote publice cognitos non ita signare opus est, sed magis eos quorum sermo ut cancer clanculum serpit; quibus etiam auferenda est pellis ovina et hypocrisis larva qua periculosissimi seductorum exsistunt. Unde Dominus in evangelio: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Quasi diceret: Non hic quaestio est de notorietate et de confessione horum hypocritarum, sed quanto magis negant, tanto magis eos detestari oportet et publicare sententiam. Ubi namque videbitis eos abducere discipulos post se, dividere etiam catholicos, et multos secum trahere ita ut quid creditu opus sit vix appareat, tunc vel maxime interponendum iudicium. Et hoc est bonum necessario procurandum fidelibus cum nihil magis neces-

sarium sit sanitati, quam ut sciatur domus in qua est pestis, noscanturque ii ex quorum contagione trahitur. Quod si secus sentiatur, iam inermis est Ecclesia contra haereses, quia haereses non ex sese et sponte sua pullulant, sed semper aliqua est persona vel aliquis liber qui eas ex inferno ubi conceptae sunt, in lucem edit [1]. Dicendum ergo quod in munere docendi Ecclesiae commisso, manifeste includitur potestas iudicandi de sensu librorum per ordinem ad depositi custodiam.

Addo autem infallibilitatis praerogativam huic potestati procul dubio esse annexam. Et primo quidem ratione generali, quia praerogativa infallibilitatis afficit ipsum supremum Ecclesiae magisterium in tota latitudine suae extensionis. Si ergo potestas de qua in praesenti, nihil aliud est quam pars ecclesiastici magisterii, oportet ut quoties a suprema auctoritate definitiva sententia exercetur, infallibiliter exerceatur. — Secundo ratione speciali, quia tales occurrere possunt circumstantiae, praesertim si liber aliquis ab aliqua factione assumatur in tesseram et symbolum, ut ad providendum incolumitati fidei necesse sit devenire ad formalem definitionem circa ipsum libri sensum, non solum notando errorem veluti in abstracto, verum etiam imponendo credendum quod liber notatum errorem contineat, et hoc titulo, sit in perpetuum anathematizandus. Atqui nulla esse potest auctoritas ad imponendum assensum firmum atque irrevocabilem circa id quod fallibiliter definiretur, ut constat. — Denique ratio apodictica sumitur ex praxi Ecclesiae. Sic enim statutum est in Bulla Clementis XI *Vineam Domini:* « Ut quaevis in posterum « erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ec- « clesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam « et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, « quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant: hac « nostra perpetuo valitura constitutione, obedientiae quae prae- « insertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo si- « lentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis « propositionibus Ianseniani libri sensum quem illarum verba « prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut « haereticum, non ore solum, sed et corde recipi ac damnari de-

[1] Ita fere Bossuet, *De l'autorité des jugements ecclésiastiques où sont notés les auteurs des schismes et des hérésies.* Opp., Tom. 37.

« bere, nec alia mente, animo aut credulitate supradictae for-
« mulae subscribi licite posse, ita ut qui secus aut contra quoad
« haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo
« vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam praefatarum apo-
« stolicarum constitutionum transgressores omnibus et singulis
« illarum censuris et poenis omnino subiaceant, eadem auctori-
« tate apostolica decernimus, declaramus, statuimus et ordina-
« mus ». Ex quibus constat fuisse de facto impositam a su-
prema auctoritate obligationem credendi assensu absoluto atque
irrevocabili factum dogmaticum sensus a Iansenio intenti in
libro *Augustinus,* et ideo redit de integro argumentum supra
propositum quoad infallibilitatem Ecclesiae in censuris proposi-
tionum.

II. — Aliud quoque factorum genus est, ad infallibile Ec-
clesiae iudicium pertinens, de quo nonnulla hic dicenda et bre-
viter notanda occurrunt. Hoc genus factorum est de vera san-
ctitate et aeterna gloria eorum quos definitiva sententia cano-
nizat Ecclesia (1); et de his per prius considerandum est an et
quomodo cum dogmate seu doctrina fidei et morum habeant
connexionem. Dico autem esse in primis connexionem cum re-
velato dogmate de cultu et invocatione sanctorum. Et sane, ve-
ritas est in apostolico fidei deposito formaliter contenta, quod
Sancti cum Christo regnantes sunt colendi, et quod ad eorum
suffragia atque intercessionem recurrere nos oportet, ut hoc etiam
modo servetur ea quae in Symbolo docetur Sanctorum commu-
nio (2). Atqui haec revelata veritas omnino non posset conve-

(1) Adverte hic discrimina inter *canonizationem* et *beatificationem.* Plura recensetur a Benedicto XIV, l. 1, c. 43, et alibi passim: quod beatificatio ut plurimum, non universalem, sed particulares respiciat ecclesias; quod facultatem dumtaxat, non vero praeceptum cultus importet. Essentialis tamen et potissima differentia uno verbo enuntiari potest: quod beatificatio non sit supremum, definitivum, et ultimum ecclesiasticae auctoritatis de sanctitate Beati iudicium.

(2) Non in divina Traditione tantum, verum etiam in Scriptura de sanctorum invocatione indubia testimonia sunt. « Ab antiqui Testamenti
« auctoritatibus incipiendo, Iacob patriarcha, dum filiis suis benedicebat,
« inquit Gen. XLVIII-16: *Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat*
« *pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum*
« *meorum Abraham et Isaac.* Moyses orando Deum, sic locutus est,

nienter applicari aut humano modo ad praxim deduci, nisi determinati quidam Sancti cultui fidelium proponerentur, definitione prius facta de eorum gloria et beatitudine per formalem vel aequipollentem canonizationis sententiam. Quod quidem adeo manifestum visum est ipsis quoque heterodoxis, ut veteres Protestantes inter alia argumenta quibus catholicum de cultu sanctorum dogma explodebant, usi sint etiam hac ratione, quod scilicet in primitiva Ecclesia nullum invenirent canonizationis vestigium, cum tamen ad sanctorum cultum rite ac legitime exercendum necesse fuisset publice pronuntiare, *qui vere Divi essent hoc honore digni.* Ita Ioannes Dallaeus apud Benedictum XIV, l. 1, c. 12, falso quidem asserens nullum in primis temporibus reperiri canonizationis morem (1), sed recte perspiciens nexum

« Exod. XXXII-13: *Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuo-*
« *rum quibus iurasti per temetipsum.* Salomon Deum exorabat ut remi-
« niscerétur misericordiarum David, 2 Paralip. VI-42: *Memento mise-*
« *ricordiarum David servi tui.* Tres pueri a Nabuchodonosor condemnati
« ut inter ignes vitam amitterent in fornace, misericordiam Dei implo-
« rabant propter merita sanctorum, Dan. III-35: *Neque auferas miseri-*
« *cordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum*
« *tuum, et Israel sanctum tuum...* et 2 Mach. XV-12, Onias et Ieremias
« iam defuncti exhibentur et proponuntur uti Deum exorantes pro po-
« pulo. — Adduntur Novi Testamenti auctoritates. Sanctus enim Ioannes
« petit a Deo pacem et ab angelis; quod est idem ac dicere, Deo porrigi
« preces ut pacem tribuat, et angelis ut eam impetrent, uti legitur
« Apocal. I-4. Viginti item quatuor seniores qui venerabundi et prostrati
« sistebant coram Agno, quid aliud agebant, quam fidelium orationes
« Deo repraesentabant? Apocal. V-8. Cum Petrus Apostolorum princeps
« se post obitum suum promiserit operam navaturum ut documentorum
« a se traditorum reminiscerentur, ut ex epist. 2, I-15: *Dabo autem*
« *operam et frequenter habere vos post obitum meum ut horum memoriam*
« *faciatis*, fieri absque dubio id non poterat, nisi per suam apud Deum
« intercessionem ». Benedictus XIV, de canoniz. l. 1, c. 12.

(1) Primis temporibus, antequam ad solos Summos Pontifices causae beatificationum et canonizationum exclusive deferrentur, processus canonizationis hoc modo se habebat. Primo episcopi in suis dioecesibus cultum publicum decernebant erga martyres vel etiam confessores approbatos; in quo quidem aliqua erat beatificationis ratio, nondum tamen canonizatio, cum episcopale praeceptum nec possit propriae dioecesis terminos praetergredi, nec praesertim ad robur supremi ac definitivi

facti de quo est canonizatio cum dogmate catholico. Quin imo dicendum est hanc connexionem adesse cum toto complexu dogmatum de christiana seu evangelica morum regula, quae non theoretice tantum fidelibus est proponenda per doctrinam, verum etiam concrete per exempla, id est per authenticorum vitam sanctorum in quibus ad terendam salutis viam exemplum nobis simul et praesidium divinitus praeparatum atque collocatum est. Igitur propter has et alias rationes quas brevitatis gratia praetermitto (1), minime dubium esse potest quin facta illa quae ab aliquibus hagiographica dicuntur, vere *dogmatica* appellari possint; circa quae cum plena infallibilitatis praerogativa exercetur suprema Ecclesiae auctoritas.

Et praeter unanimem catholicorum Doctorum consensum, paucissimis forsitan dubiae notae exceptis (2); praeter alias ra-

---

iudicii pertingere. At postea, accedente sensim sine sensu universalis Ecclesiae approbatione seu consuetudine, a Summis Pontificibus expresso vel tacito consensu confirmata, idem ille cultus qui in particularibus locis decreto particularium episcoporum inceperat, ad canonizationis terminos perveniebat. Haec quippe universalis Ecclesiae consuetudo in eiusmodi observationibus, solemni iudicio aequipollet, et pro suprema lege semper fuit habita, ut videre est apud Augustinum passim.

(1) Cf. Bened. XIV, de canonizat. l. 1, c. 12.

(2) Plus quam sexaginta enumerat Benedictus XIV, l. 1, c. 43, quorum alii sunt iuris canonici interpretes, alii theologiae magistri ex omni schola; qui etiam praesentem veritatem tam certam habent, ut plures sententiam oppositam censeant haereticam, alii vero, etsi non haereticam, at certe gravi censura dignam. — Sunt qui existimarunt S. Thomam non ita certum fuisse quod Ecclesia non possit errare in canonizatione sanctorum, quia Quodl. 9, Q. 5, a. 16. dicit: *Pie credendum est quod nec etiam in iis iudicium Ecclesiae errare possit.* Ad quod in primis respondeo quod etiamsi S. Thomas remansisset ambiguus circa solutionem huius quaestionis, nihil tamen certitudini conclusionis deperiret. Non enim inauditum est, imo saepe visum in Ecclesia Dei, quod doctrina quae primum ut probabilis vel probabilior tenebatur, postmodum, re magis eliquata, certissima evaderet, etiam ante solemnem Ecclesiae definitionem. Respondeo secundo. Doctorem angelicum nequaquam dubium fuisse in hac re, cum non dicat *pie credibile,* sed *pie credendum,* et allata argumenta pro parte negante absque ambiguitate solvat, argumentum vero pro parte affirmante positum tanquam recte concludens, ut assolet, relinquat insolutum.

tiones speculativas omnibus factis dogmaticis communes quae hic quoque locum habent, et ab initio iam expositae fuerunt, praecipuo rursus argumento nunc sit ipse Ecclesiae mos et usus. Adhibent enim Pontifices in actu canonizandi solemnia illa verba *decernimus, declaramus, definimus,* quibus uti solent quoties veritatem firmiter tenendam fidelibus imponunt. Formulam consuetam dabit tibi Benedictus XIV, l. 1, c. 36, § 9: « Ad hono-« rem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei ca-« tholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate D. N. « I. C., beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura « deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac « de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, « Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe ex-« sistentium consilio, Beatum N. sanctum esse decernimus et de-« finimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus: statuentes ab Ec-« clesia universali illorum memoriam .. pia devotione recoli debere. « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Quin et exempla sunt canonizationum, puta S. Udalrici a Ioanne XV in Concilio Lateranensi peractae, ubi expresse additur excommunicationis poena contra eos qui declarationi sanctitatis refragarentur, ut videre est apud Benedictum XIV, l. 1, c. 45, n. 27. His porro omnibus consideratis, praesto est concludere quod canonizationis decreto ita ligantur fideles, ut de canonizatorum sanctitate nefas eis sit dubitare. Id autem, ut saepe dictum est, esse non posset nisi infallibile Ecclesiae magisterium ad hanc quoque materiam sese extenderet.

Nec recte contra praedicta opponeretur illa protestatio qua olim Pontifices, antequam ad canonizationis iudicium procederent, protestari solebant in hanc formam: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos praesentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere contra fidem aut Ecclesiam catholicam sive honorem Dei.* Gratis enim et sine ullo fundamento asserit Launoius protestationem eiusmodi fuisse quamdam confessionem fallibilitatis in actu canonizandi, cum ne verosimiliter quidem ad hunc sensum trahi possit. Aliud quippe est fallibilem se fateri, et aliud dicere se non praetendere aliquid statuere contra fidem. Proinde, ut pluribus ostendit Benedictus XIV, l. 1, c. 44: « Verborum sensus hic rectus et le-« gitimus esse videtur: protestor me non decernere cultum sanctis,

« qui Deo debetur, esse impendendum: quod quidem esset contra « fidem et Ecclesiam catholicam, et contra honorem Dei. Et pro- « testatio hoc modo declarata similis est protestationi septimae « Synodi, in qua Patres declararunt se sanctorum imaginibus « colendis latriam non asserere soli Deo debitam... Sed claris- « sime praedicta innititur explicatio bullae canonizationis S. Udal- « rici editae a Ioanne XV, quam Mabillonius primum indubitatae « fidei monumentum scribit de canonizatione a Papa impetrata. « En verba bullae: *Communi consilio decrevimus memoriam illius* « (id est S. Udalrici) *affectu et devotione fidelissima venerandam,* « *quoniam sic adoramus et colimus reliquias martyrum et confes-* « *sorum, ut eum cuius martyres et confessores sunt adoremus.* « *Honoramus servos ut honor redundet in Dominum, ac pro-* « *inde nos qui fiduciam nostrae iustitiae non habemus, illorum* « *precibus ac meritis apud clementissimum Deum iugiter adiu-* « *vemur.* Si igitur, ne populus in cultu sanctis deferendo er- « ret, Pontifices de servanda catholica veritate ac Dei honore « tuendo protestati sunt, quid habet id, quaeso, commune cum « timore quem dicuntur Pontifices habuisse errandi in cano- « nizatione sanctorum, opinando se in eo iudicio falli potuisse? » Uno demum verbo, nihil aliud per praefatam protestationem insinuabatur, nisi discrimen canonizationis qua canonizandus referebatur in album amicorum Dei, a gentilium apotheosi qua homo defunctus inter deos recensebatur.

Multo minus valeret obiectio desumpta ex reliquiis quae cultui fidelium proponuntur, et tamen supposititicae esse possunt. Nulla enim, et ne longinqua quidem, cum praesenti negotio paritas est. Etenim, praeterquam quod sancti coluntur cultu absoluto, reliquiae vero cultu tantum relativo, (ita scilicet ut cultus delatus reliquiae falsae semper terminetur principaliter ad personam cuius reliquia existimatur), manifestum per se est, nullam exsistere Ecclesiae definitionem circa authenticitatem quarumcumque reliquiarum in particulari, nec proponi fidelibus firmiter credendum quod hoc numero corpus, vel haec numero ossa vere sint illius sancti sub cuius nomine coluntur. Quippe, cum iste cultus sit mere relativus, ut dictum est, semper sufficit de facto ipso historica certitudo, imo et simplex probabilitas, quin oporteat unquam magistrale aliquod iudicium in huiusmodi rebus intervenire. — Tertio observabis quod simplex inscriptio in Mar-

tyrologio nequaquam sufficit ad canonizationem etiam aequipollentem. Hinc, si his quae modo dicta sunt, opponantur errores qui aliquando in Martyrologium Romanum irrepserunt: qui opponat scire debet, nihil in eo esse commune cum re de qua nunc agimus. « In Martyrologio Romano inscripta quidem sunt nomina « eorum qui fuerunt solemniter per summos Pontifices canoni- « zati, de quibus utique nullus error inveniri potest. Sed inscripta « quoque in eo reperiuntur aliorum nomina qui in album San- « ctorum nunquam a summis Pontificibus relati sunt, sed tantum « vel formaliter vel aequipollenter *beatificati* dici possunt, sive « per Romanos Pontifices, sive Episcoporum iudicio iuxta anti- « quam disciplinam; circa quos quatenus aliquis error irrepsisset, « vel adhuc permaneret..., nemo est qui non videat, ex hoc ad « rem praesentem nihil inferri posse. Aliquid nempe ex hoc ar- « gumento evinceretur, si descriptio in Martyrologio Romano, « spectata sua natura et indole, *canonizationem* formalem vel ae- « quipollentem importaret, etiamsi qui sunt descripti, non fuis- « sent antea vel formaliter vel aequipollenter *canonizati*. At id « nunquam poterit probari, nam ex alibi dicendis constabit, per- « tractatam alias fuisse in S. R. C. quaestionem: *Quid importet « descriptio in Martyrologio, et utrum ad quamdam canonizationis « an ad quamdam beatificationis speciem referri possit;* nec eam « usque adhuc potuisse resolvi » ([1]).

Denique animadvertes secernendam esse quaestionem de vera sanctitate et aeterna gloria personae vel formaliter vel aequipollenter canonizatae, a quaestione de veritate historica factorum quae in Sanctorum legendis, ut aiunt, referuntur: puta quod S. Catharina confutaverit gentiles philosophos, quod corpus eius in montem Sinai ab angelis delatum sit; quod S. Alexius fuerit civis Romanus in paterna domo per septemdecim annos post peregrinationem ad loca sancta delitescens, et non potius orientalis quidam peregrinus qui ab Edessa sese in Urbem contulerat, etc., etc. Haec enim, ut constat, non comprehenduntur in canonizationis obiecto, neque sub infallibili Ecclesiae iudicio cadunt. Quanquam in huiusmodi quoque, hominem vere christianum cautum esse oporteat; nam contemnere, vel secluso etiam contemptu, reiicere absque gravi fundamento traditiones historicas quae in

([1]) Bened. XIV, l. 1, c. 43, n. 14.

Ecclesia recipiuntur, damnabili temeritate non caret, ut dictum est supra, ubi de censuris propositionum.

Plura adhuc adiici possent circa ea ad quae secundario extenditur infallibilis Ecclesiae auctoritas; in quibus tamen nihil novi reperiretur, quoniam idem semper praesto est principium, eademque valent argumenta. Nihil igitur restat nisi ut comparemus utrumque magisterii obiectum de quo hactenus fuit sermo, pro quanto primarium est de formaliter revelatis a Deo, secundarium vero de iis quae in se minime revelata, connexionem tantum cum revelatis habent. Hinc enim sponte sua enascitur quaestio, an eadem indiscriminatim fide credenda sint omnia quaecumque per ecclesiasticam definitionem assensui fidelium proponuntur, et ad hoc pertinet sequens propositio, in qua etiam de ratione exercitii magisterii valde necessaria continetur observatio.

THESIS XVIII.

Quidquid ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam a Deo revelatum proponitur, fide divina credendum est, et pertinaciter obnitens incurrit haeresim. Caetera vero ab eodem magisterio definita, non divina, sed ecclesiastica fide videntur esse credenda. Unde non sunt per se materia circa quam formalis haeresis esse possit, quanquam huiusmodi definitionibus ex ipsius iuris divini praecepto plenum intellectus et voluntatis obsequium debeatur.

§ 1.

Quod omnia et singula a supremo Ecclesiae magisterio proposita tanquam divinitus revelata, fide divina credenda sint, et quod pertinaciter obnitentes haeresim incurrant, tam evidenter sequitur ex natura fidei divinae et ex praedeclarata ratione haereseos, ut speciali demonstratione minime nunc opus sit. Sed et hoc ipsum manifestissime pertinet ad fundamentale dogma catholicae confessionis, nuperrime etiam a Concilio Vaticano contra liberalistas nostri aevi confirmatum his verbis: « Porro *fide divina* « *et catholica* ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto « vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio,

« sive ordinario et universali magisterio *tamquam divinitus re-* « *velata* credenda proponuntur » (1). Non ergo est cur in hoc diutius immoremur, sed peculiarem declarationem duo tantum puncta videntur requirere. Unum est de duplici modo quo divina fides ab Ecclesiae magisterio proponi solet. Alterum est de criterio cognoscendi ea quae in solemnibus Conciliorum vel Pontificum decretis pro divinis dogmatibus definitis haberi debent.

Et quoad primum specialiter observandum venit quod *subiectio illa quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda non est ad ea quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur.* Ita Pius IX in litteris apostolicis ad archiepiscopum Monacensem (2). Et hoc idem Synodus Vaticana loco mox citato pro temporum necessitate censuit inculcandum.

Et re quidem vera, propositio regulae credendi ad ordinarium Ecclesiae munus spectat, eadem plane ratione qua ad ordinarium munus solis illuminatio terrae, iuxta dictum Christi: *Vos estis lux mundi.* Sed id quod ordinarii muneris est, non potest coarctari ad actus extraordinarios, cuiusmodi sunt solemnes definitiones quae nonnisi occasione data suborti erroris vel natae controversiae ut plurimum eduntur. Ergo propositio regulae credendi est per prius in magisterio totius Ecclesiae per orbem dispersae, ita ut illud omne quod in tota Ecclesia tanquam divinitus revelatum praedicatur, eo ipso et independenter ab omni conciliari vel pontificia definitione, ad fidem catholicam cui opponitur haeresis, pertinere dicendum sit. Sed et recte talis praedicationis signum minime aequivocum asseritur esse consensus constans et unanimis theologorum catholicorum. Signum, inquam, et nihil plus quam signum, cum theologi qua tales ad Ecclesiam docentem minime pertineant. Signum tamen certum et minime aequivocum, quia praedictae unanimitatis in tradendo aliqua velut fidei divinae dogmata, nulla esse potest sufficiens ratio praeter universalem ipsiusmet Ecclesiae praedicationem.

(1) Const. *Dei Filius*, cap. 3.
(2) Enchirid. n. 1536.

Et confirmatur primo eadem doctrina, quia quisquis legerit catalogum haeresum apud Augustinum vel Epiphanium, statim videbit quod plerisque earum ipso Epiphanii et Augustini tempore, nulla adhuc opponebatur solemnis definitio; sed ideo pro haeresibus habebantur, quia satis est certa et notoria contrarietas ad ea quae quotidiano magisterii exercitio per totam Ecclesiam docentur tanquam ad fidem pertinentia. Confirmatur secundo, quia nemo sane dixerit, errorem Arianum non transiisse in haeresim nisi post definitionem Nicaenam, Nestorianum post definitionem Ephesinam, et sic de aliis. Imo vero, statim ut Arius, Macedonius, Nestorius dogmatizare inceperunt, traducti sunt et denuntiati ut haeretici. Confirmatur denique tertio, quia de ipso fundamentali dogmate infallibilitatis Ecclesiae, item de morte termino viae post quem nullus datur poenitentiae locus, non est quod sciam, ad hanc usque diem expressa definitio alicuius oecumenici concilii vel Pontificis, nec tamen ullus dixerit haec duo citra notam haeresis vel negari vel in dubium adduci posse. Quippe, ut supra dictum est, occasionaliter tantum solent fieri solemnes definitiones; at vero regularis propositio credendorum omnibus occasionibus prior esse debet, et ab eis independens.

Sed quoad praefatas solemnes definitiones, quaeres fortasse quibus notis internosci queant ea quae sunt de ipso *fidei divinae* obiecto iudicia. Respondeo eas esse multiplices, semper tamen cognitu faciles. Prima, et ea quidem manifesta, si ipsis terminis proponatur doctrina tanquam a Deo revelata, uti factum est in duabus ultimis definitionibus de immaculata Deiparae conceptione et de Romani Pontificis infallibilitate: *Definimus doctrinam quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam,* etc. ([1]). *Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur,* etc. ([2]). — Altera, si contrarium asserentes pro haereticis iudicentur. Cuius rei exempla habes ex Concilio Lateranensi IV, cap. Damnamus, de Summa Trinitate: *Si quis igitur doctrinam praefati Ioachim in hac parte defendere vel approbare praesumpserit, tanquam haereticus ab omnibus habeatur.* — Tertia, si de-

([1]) Bulla *Ineffabilis Deus.*
([2]) Vatic. Const. *Pastor aeternus*, cap. 4.

finitio fieri dicatur de fidei veritate, ut in Concilio Florentino: *In nomine Sanctae Trinitatis... diffinimus ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur.* — Quarta, si non secus ac in Symbolo, Ecclesiae fides declaretur, sicut in Lateranensi IV, cap. Firmiter: *Credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus,* etc., et in Vaticano: *Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum,* etc. — Quinta, cum in hanc formam decretum praescribitur: *Si quis hoc vel illud senserit, anathema sit,* locutione desumpta ab Apostolo, Gal. I-8, contra eos qui haeretica pravitate evangelium Christi subvertere volebant.

Corrigenda ergo opinio, aut verius, praeiudicium eorum qui putant non definiri tanquam de fide nisi ea quae anathematismis continentur, cum et ipsa Tridentina Synodus quae anathematismi formam ex antiquiorum Conciliorum usu adhibuit, hoc unum discrimen inter capita doctrinae et canones ponere soleat, quod per capita doctrinae quid fideles debeant tenere et sequi, per canones vero quid vitare et fugere, edicatur (1). Observandum tamen, ea tantum in huiusmodi decretis ut fidei dogmata definiri, quae directum definitionis obiectum sunt, non autem rationes seu argumenta per modum demonstrationis praemissa, nec etiam ea quae tanquam conclusiones et consequentiae revelati principii proponuntur, aut indirecte solum explicationis gratia reperiuntur adiecta. « Porro autem, inquit Melchior Canus, de locis l. 5, c. 5, « quae in conciliorum vel pontificum decretis, vel explicandi « gratia inducuntur, vel ut obiectioni respondeatur, vel etiam « obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum de quo « erat potissimum controversia: ea non pertinent ad fidem, hoc « est, non sunt catholicae fidei iudicia. Exempli causa ponamus « aliquod, quod positum in una re, transferri per multas possit. « Quod in cap. *Firmiter* dicitur angelos esse incorporeos, id non « fidei decretum est, cum post decretalem illam nonnulli et phi-

(1) « Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi « quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit « Sanctae Synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant, non solum « quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant ». Trident. Sess. 6, ad calcem ultimi capitis de iustificatione. Similia habet Sess. 14 ad calcem cap. 3 de Extrema Unctione, Sess. 22, cap. 9, etc.

« losophi et theologi, falso quidem, sed citra haereseos notam « contrarium asseruerint. At enim, ut explicaret Synodus id quod « fides catholica tenet, Deum esse creatorem omnium visibilium « et invisibilium, adiecit corporalium et incorporalium. Quas par « ticulas exponendi, non definiendi gratia adiectas esse constat. « Ac quemadmodum Concilium sumpsit id quod et verum et « longe longeque plurimum probabile erat, angelos ut invisibiles, « ita quoque incorporeos esse, sic forte et illud accepit, angelos « et mundum simul esse congenitos. Non enim eo tempore hoc « agebatur, ut Gregorii Nazianzeni et aliorum hunc sequentium « opinio damnaretur. Nec ego tamen is sum qui opinationem « hanc tueri in praesentia velim. Sed id ago, non omnia quae « etiam absolute et simpliciter in conciliis affirmantur, fidei de- « creta esse ». Nec contra hoc valet, si quis obiiciat aliquando futurum esse dubium, an aliqua res in particulari pertineat necne, ad definitionis obiectum. Revera enim nullum ibi inconveniens esse potest, neque est novum, sed fere commune in huiusmodi materiis, et solum sequitur quod praeter ea quae certo et indubie definita sunt, unanimique consensu a theologis ut talia retinentur, quaedam alia erunt nonnisi probabiliter ad definitorum ordinem pertinentia. Quae quidem ex consequenti, quod attinet ad gravissimam haereseos censuram, pro nondum definitis censer debebunt, quoniam hic quoque suam applicationem habet generale principium; obligatio dubia, obligatio nulla, utique in eo ordine et intra eos limites in quibus est dubia.

Qua igitur ratione, quibusve sub conditionibus *fidei divinae assensus* sit certissime et absque possibili controversia praestandus veritatibus ab ecclesiastico magisterio propositis, satis ut opinor, in aperto est. Nunc autem paulo difficilior suboritur quaestio de illis aliis a suprema item auctoritate definitis, quas supra diximus in se non revelatas, sed tantum connexas cum revelatis.

§ 2.

Ante omnia oportet secernere ea quae in confesso sunt apud omnes, ab iis quae adhuc sub iudice manent.

Id in primis certissimum: firmiter esse credenda ab omni christiano omnia quaecumque in genere censurarum vel factorum dogmaticorum (ut supra), a supremo Ecclesiae magi-

sterio definiuntur. Speciatim vero, quod attinet ad censuras, credendum est damnatam propositionem vere esse erroneam, temerariam, etc., prout notatur. Et si censura sit cumulativa, credendum est omnibus et singulis aliquam ex appositis notis convenire, licet *quae cui* conveniat, sub indeterminatione relictum sit. Sed et vix opus est addere quod ex consequenti tenemur propositiones notatas ex animo reiicere, et quidem sub poena incurrendi peccatum quod ad haereseos gravitatem plus minusve accederet, secundum maiorem minoremve censurae gravitatem, prout declaratum reperitur in Concilio Vaticano, Const. *Dei Filius*, sub finem (1). Id, inquam, certissimum; et ad probationem abunde sufficiunt documenta allata in propositione praecedenti. — Nunc secundo, pro certo pariter habendum est, obligationem qua tenemur firmiter adhaerere praefatis Ecclesiae definitionibus, esse obligationem ex ipsius iuris divini praescripto ortam. Manifeste enim intervenit ibi Dei auctoritas in iubendo, cum praeceptum divinum sit iubens nos audire Ecclesiam, iuxta illud Christi in evangelio: *Qui vos audit, me audit,* et rursus: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* — Nihilominus tertio, facile adhuc in hoc consentient omnes, quod ad hanc usque diem pro haeretico proprie dicto aliquis minime haberi potuit, praecise quia et in quantum dictis definitionibus, sive quoad censuras (ab erroneitate et infra), sive quoad facta dogmatica refragatus sit. Nam etiamsi interim admitteretur dictas censuras vel facta dogmatica esse quoad se *obiecta fidei divinae,* certo tamen certius nondum *ut talia* cum sufficienti saltem notorietate ab Ecclesia proposita fuerunt. Et quia ad formalem haeresim utrumque praedictorum requiritur, quidquid nunc in speculatione opinentur aliqui theologi, haec eorum opinio in ordine practico et reali nullius valoris esse potest, sed redeunt ea quae superius dicta sunt circa ipsam Ecclesiae infallibilitatem in his ferendis iudiciis (2). — Insuper

(1) « Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, « nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve « accedunt, omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et « decreta quibus pravae eiusmodi opiniones ab hac Sancta Sede pro- « scriptae et prohibitae sunt ».

(2) Supra, Thes. 17, § 2.

quarto, certum quoque apud omnes erit, quod ad satisfaciendum in praxi obligationi adhaerendi definitionibus quae nunc in considerationem veniunt, sufficit ut quis conformet mentem suam menti Ecclesiae, credendo propter auctoritatem Ecclesiae eo modo quem intendit Ecclesia, adeoque cum dispositione animi ad credendum etiam fide divina, si forte natura rei id patiatur vel requirat.

Unde tandem quinto, in solo speculationis campo praesens vertitur disputatio. Quaeritur enim utrum ea quae secundario tantum ad infallibile Ecclesiae magisterium diximus pertinere, includantur necne (quantum est ex natura rei) in obiecto fidei divinae: ita scilicet ut aliquando possent determinate proponi ab Ecclesia tanquam fide divina credenda, et iam ex nunc implicite saltem sic credantur, quoties elicimus generalem fidei actum de iis omnibus quae Deus nobis revelavit. Aliqui theologi affirmativam videntur sequi opinionem (1). Sed multo verior et rationabilior videtur sententia opposita, docens res huiusmodi non esse secundum se credibiles fide divina, sed *fide ecclesiastica tantum:* quae etsi sub gravi obliget, ut dictum est modo, non tamen ea fides est cum qua directam oppositionem habet, vel infidelitas infusum fidei habitum corrumpens, vel haeresis a visibili corporis Ecclesiae compagine ipso facto (si notoria sit) hominem praecidens (2).

Et ratio a priori est, quia illud tantum divinae fidei obiectum esse potest, quod a Deo dictum seu revelatum, continetur formaliter explicite vel implicite in deposito ab apostolis Ecclesiae tradito. Sed nullo unquam verosimili argumento ostendetur

(1) Ii sunt qui cum S. Ligorio, Theol. Mor. de Leg. n. 104 opinantur materiam haereseos esse, si quis v. g. neget propositionem esse vere erroneam, vel temerariam, etc., prout ab Ecclesia notatur.

(2) In hac sententia est Card. Franzelin, de Trad. Thes. XII, Schol. 1: « Infallibilitas Ecclesiae, inquit, creditur fide divina propter « auctoritatem Dei revelantis. Sententia quae per infallibilem definitio- « nem Ecclesiae proponitur ut vera, non tamen revelata, creditur pro- « pter revelatam auctoritatem proponentis. Unde hanc quam aliqui ap- « pellant fidem ecclesiasticam, possumus dicere fidem mediate divi- « nam ». Videtur tamen multo aptior prior appellatio, quia fides qua credo auctoritatem proponentis, non est in directa linea fidei qua credo sententiam propositam non a Deo revelatam.

quod in hoc apostolico deposito formaliter contenta dici possint ea de quibus sermo est in praesenti: puta, quod haec propositio quae non contradictorie opponitur veritati revelatae, notam erroneitatis vel temeritatis mereatur; quod talis et non alius sit sensus libri Iansenii; quod vulgata versio sit authentica, id est, conformis originalibus Scripturis; quod vox *transsubstantiatio* aptissime nominet conversionem quae in mysterio Eucharistiae credenda est, et vox *consubstantialis* unitatem qua personae divinae unum sunt; quod S. Augustinus, aut S. Gregorius, aut alii ad hanc usque diem per canonizationem in album sanctorum relati, vere cum Christo regnent in coelis, et caetera huiusmodi. Quisquis autem dixerit veritatem aliquam nunc primum incipere contineri formaliter implicite in divinae revelationis deposito, quando et quia ab Ecclesia definitur, idque in vi generalis promissionis divinae assistentiae quae utique pertinet ad revelationem traditam per apostolos: iste rem dicet incredibilem, quam nulla rationum subtilitate persuadebit, uti melius apparebit infra in solutione argumentorum.

Praeterea, si criteria superius tradita ad dignoscendas fidei divinae definitiones in memoriam revoces, statim videbis ea in praesentibus materiis nullibi occurrere. Nusquam enim in ecclesiasticis documentis proponitur credendum tanquam revelatum dogma, vel sub interminatione incurrendae haereseos, quod notatae propositiones sint vere erroneae, male sonantes, piarum aurium offensivae, etc. — Item, ubi Tridentinum Sess. IV definit authenticitatem vulgatae, non eodem loquendi modo utitur quo paulo supra usus fuerat definiendo canonem Scripturarum, ana thematismi forma adhibita. Sed mutato tenore, simpliciter « statuit « et declarat ut haec ipsa vetus et vulgata editio.... pro authentica « habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat « vel praesumat ». — Item, cum Clemens XI in constitutione *Vineam Domini* asserit strictam obligationem qua damnatus in quinque propositionibus Ianseniani libri sensus ab omnibus Christi fidelibus, non ore solum, sed et corde recipi ac damnari debet, nusquam insinuat fide divina tenendum esse quod praefatae quinque propositiones in eodem libro, sensu ab auctore intento sint contentae. Insuper eos qui secus senserint, tenuerint, vel praedicaverint, declarat esse transgressores apostolicarum constitutionum, singulisque earum censuris ac poenis subiacere,

haereticos vero eos ex hoc capite minime denuntiat (1). — Sic etiam Concilium Vaticanum ubi supra, cum observatione praemissa de eo quod non satis sit haereticam pravitatem devitare, cunctos admonet de officio servandi decreta Sanctae Sedis quibus pravae opiniones ad haeresim plus minusve accedentes proscriptae sunt, procul dubio remittit nos, primario saltem ac principaliter, ad certas decretorias constitutiones in quibus proponuntur quaedam firmissime tenenda, sed non tanquam fidei divinae dogmata, quibus reiectis, haeretica pravitas incurritur. Alias non subsisteret amplius distinctio inter obligationem devitandi haereticam pravitatem, et obligationem servandi praedictas constitutiones vel decreta. — Unde tandem non otiose S. Synodus, de iis agens quae fide divina catholica credi debent, adiecit hanc limitationem: *et ab Ecclesia tanquam divinitus revelata proponuntur,* hac ipsa determinatione apposita innuens, alia quoque proponi ab Ecclesia, quae utpote non divinitus revelata, fidei divinae obiectum nec sunt nec esse possunt.

Quare recte dicentur res huiusmodi credendae fide ecclesiastica, modo loquendi iam communiter admisso tempore controversiae Ianseniana (2). Nam sicut fidem humanam dicimus illam quam adhibemus hominibus, et fidem divinam quam adhibemus Deo, ita fidem ecclesiasticam quam adhibemus Ecclesiae: ubi scilicet intervenit Ecclesiae auctoritas in dicendo. In dicendo, inquam, non iam per modum proponentis id quod dictum a Deo est, sed per modum edicentis propriam sententiam propriumque iudicium, ita nimirum ut haec eadem Ecclesiae auctoritas sit ratio cui ultimo nititur assensus intellectus. Sed haec iam clarius apparebunt ex responsionibus ad rationes adversariorum.

Dicunt primo: *Ad fidem divinam sufficit ut veritas aliqua formaliter implicite contineatur in revelationis deposito. Sed omne id quod ab Ecclesia definitur, etsi forte ante definitionem nondum dici poterat contentum in deposito ab apostolis tradito, ipso tamen definitionis facto incipit in eo contineri, quia iam incipit se habere ut particulare implicitum in universali propositione a Deo revelata:*

(1) Enchirid. n. 1317.

(2) Cf. Fénelon, deuxième instruction pastorale sur le cas de conscience.

Quidquid docetur a supremo Ecclesiae magisterio cui assistit Spiritus Sanctus, est verum (1).

At in primis respondeo quod cum tali argumento frustra diceretur clausum cum apostolis divinorum dogmatum depositum. Re enim vera, omni die dogmata dogmatibus addi possent haud secus ac in Veteri Testamento, quando obiectum materiale fidei divinae crescebat per successionem temporum, non quidem quoad substantiam articulorum, at certe quoad explicationem eo modo qui exponi solet in materia de virtutibus.

Sed hoc interim praetermisso, et directe ad argumentum respondendo dico: Ut aliqua propositio particularis formaliter implicite in propositione universali contineatur, semper necesse est ut habeat idem cum ea praedicatum, et eiusdem plane determinationis. Sicut in hac propositione: omnis homo est moriturus, continetur formaliter implicite ista: Titius vel Socrates est moriturus, non autem sic vel sic moriturus. Et in hac alia: omnia sacramenta N. L. conferunt gratiam, continetur ista: hoc particulare N. L. sacramentum confert gratiam, non vero: hanc vel illam specialem gratiam confert. Recte igitur Tridentinum tanquam fidei divinae dogma definire potuit quod matrimonium ratum et non consummatum, per solemnem professionem alterius coniugum dirimitur. Supposita enim solutione huius matrimonii ex antecedenti decreto legis canonicae, propositio a Concilio definita formaliter continebatur cum eadem determinatione praedicati, in hac generali revelata: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelo.* Ibi namque habes aliquod particulare quod fuerat solutum ab Ecclesia; cui proinde iuxta Christi revelationem competebat praedicatum: *solutum et in coelo,* hoc est, in conscientia et coram Deo. At non ita est in praesenti. Nam in revelata propositione universali: quidquid docetur a supremo Ecclesiae magisterio est verum, praedicatum *verum* maximam habet latitudinem. Videlicet, est verum vel veritate attestationis factae a Deo et propositae ab Ecclesiae, vel veritate attestationis factae a sola Ecclesia cum assistentia Spiritus Sancti. Ergo propositio particularis quae sub hac generali formaliter continetur, non potest habere maiorem determinationem in praedicato; ac per hoc, in revelatione infallibilitatis Ecclesiae minime continetur

(1) Ita fere Lugo, de fide, Disp. 1, Sect. 13, n. 275.

quod haec vel illa sententia definita ab Ecclesia sit determinate vera veritate attestationis a Deo ipso factae, sicut necesse esset ad legitimitatem conclusionis.

In summa, aliud est revelare inerrantiam ecclesiastici magisterii, et aliud est revelare id quod per hoc magisterium docetur. Itemque, alius est assensus quo credo infallibilem auctoritatem Ecclesiae propter revelationem Dei, et alius assensus quo credo v. g. factum dogmaticum propter revelatam infallibilem Ecclesiae auctoritatem. Sed et revelatio huius auctoritatis nequaquam in causa esse potest cur fides quam loquenti Ecclesiae adhibeo, sit plus quam pura et simplex fides ecclesiastica. Quippe, ad hanc quaestionem: cur credis factum dogmaticum? adaequata et sufficiens responsio est: quia infallibilis Ecclesiae auctoritas illud definivit. Et si amplius interroges: cur credis infallibilem Ecclesiae auctoritatem? iam non quaeris in linea recta de motivo mei assensus in factum dogmaticum, sed solum de motivo assensus praevii et praesuppositi. Quaeris enim undenam praesupposuerim exsistentiam infallibilis illius auctoritatis, quam ut rationem credendi factum dogmaticum nunc assumo. Proinde, ex hoc quod fide divina credere debeam Ecclesiae auctoritatem, non sequitur quod possim fide pariter divina credere ea quae in se a Deo minime revelata, propter Ecclesiae auctoritatem credo. Recole dicta in introductione de resolutione actus fidei, et cum proportione ratiocinare [1].

At dices secundo: *Nihil ex iis quae ab infallibili Ecclesiae magisterio definita sunt, citra haeresim respui potest, quia ex hoc ipso quod respueretur, negaretur quoque Ecclesiae infallibilitas quae est a Deo revelata. Sed quidquid non potest respui citra haeresim, fide divina credendum est. Ergo fidei divinae obiectum sunt omnia quaecumque quolibet modo a supremo magisterio ecclesiastico proponuntur.*

Respondeo trasmittendo maiorem, distinguendo minorem, et negando consequentiam. Dico trasmittendam esse maiorem, quia revera ad materiam haereseos non sufficit divina revelatio, sed requiritur etiam sufficiens Ecclesiae propositio, omnia intelligendo iuxta ea quae iam saepius in superioribus fuerunt de-

[1] Vide etiam *de Virtutibus*, ubi fidei divinae obiectum determinatur.

clarata. Et haec ratio est cur ipsa infallibilitas Ecclesiae quoad eas materias quae non sunt nisi de secundario obiecto magisterii eius, nondum recensetur inter propositiones illas quarum contradictoriae notandae sunt ut haereticae (1). Fatendum tamen est quod desiderata usque nunc conditio posset aliquando dari, et propter hoc, transmittendam maiorem esse dixi potius quam negandam.

Nunc autem vitium est, ut videtur, in minore quam hoc modo distingues: Fide divina credendum est id quod non potest respui citra haeresim quae directe incurratur ex reiectione talis obiecti, **conc.** Citra haeresim mere concomitantem, **neg.** Porro etiamsi daretur incurrendam fore haeresim ex negatione facti dogmatici ab Ecclesia definiti, hoc non esset propter reiectionem ipsius facti dogmatici secundum se, sed solum propter concomitantem negationem infallibilitatis Ecclesiae in huiusmodi iudiciis ferendis; quae quidem infallibilitas posset ut fidei dogma definiri, quanquam hactenus expresse definita non sit. Et ideo caute dictum est in thesi, res de quibus sermo est in praesenti, materiam haeresis esse non posse *per se et ratione sui.*

Dices iterum tertio: *In Bulla Martini V « Inter cunctas », eodem tenore praescribitur fides omnium definitorum ab Ecclesia, puta tam dogmatis praesentiae realis, quam censurationis propositionum Hus et Wiclef etiam infra haeresim. Sicut enim iubetur interrogari suspectus, « utrum credat quod post consecrationem « sacerdotis in sacramento altaris non sit panis materialis et vinum « materiale, sed idem per omnia Christus qui fuit in cruce passus, « et sedet ad dexteram Patris »: ita et eodem modo interrogari debet, « utrum credat Ioannem Hus et Hieronymum de Praga « fuisse haereticos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse per- « versos.... Item utrum credat quod 45 articuli Ioannis Wiclef, et « Ioannis Hus 30, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie « haeretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum « aurium offensivi, etc. » Sed fides praescripta pro dogmate praesentiae realis est sine dubio fides divina. Ergo eadem fide credenda sunt et caetera.*

Respondeo negando suppositum maioris, quia in interrogationibus Bullae *Inter cunctas* non est quaerenda lex et norma

(1) Vide supra, Thes. 17, § 2.

credendi, sed tantum catalogus rerum de quibus examinari debuerunt quicumque suspecti erant errorum Hus et Wiclef: ut scilicet declararent quid de articulis in Concilio Constantiensi iudicatis animo tenerent, catholice vel secus. Unde ex verbis *utrum credat* quae singulis interrogationibus praemittuntur, nulla conclusio est, praesertim quia vox *credere* sumitur ibi sensu generalissimo tam in bonam quam in malam partem, pro qualibet voluntaria convictione, imo etiam haereticali opinione, prout apparet v. g. ex interrogatione 12ª, in qua eodem quoque tenore legitur: « Utrum credat et asserat quod in nullo casu sit licitum « iurare », et ex 37ª: « Utrum credat quod liceat laicis utriusque « sexus libere praedicare verbum Dei », et 38ª: « Utrum credat « quod singulis sacerdotibus libere liceat praedicare verbum Dei, « ubicumque, quandocumque, et quibuscumque placuerit, etiamsi « non sint missi ». Omnibus ergo modis evanescit argumentum quod ex hac parte sumeretur.

Dices denique quarto: *Fides de qua sermo est in praesenti, debet ad aliquam virtutem supernaturalem seu infusam revocari, et non apparet ad quam revocari possit, nisi ad primam e tribus theologicis. Sequitur ergo fidem istam esse fidem, non ecclesiasticam, sed divinam, quia ad nullam aliam habitus fidei theologicae sese extendit aut extendere potest.*

Respondeo concedendo antecedens, et negando consequentiam quae dupliciter peccat. Primo quia supponit quod una virtus non potest se extendere ad plures actus specie differentes. Deinde quia negat distinctionem a theologis communiter receptam inter primarium uniuscuiusque virtutis actum et actus secundarios qui ad primarium referuntur. Ad rem S. Thomas 1-2, q. 54, a. 4: « Habitus ad operationem ordinatus de quo nunc princi- « paliter intendimus, est perfectio quaedam potentiae. Omnis « autem perfectio proportionatur suo perfectibili. Unde sicut po- « tentia, cum sit una, ad multa se extendit secundum quod con- « veniunt in aliquo uno, id est in generali quadam ratione obiecti, « ita etiam habitus ad multa se extendit secundum quod habent « ordinem ad aliquod unum, puta ad unam specialem rationem « obiecti.... Si igitur consideremus habitum secundum ea ad quae « se extendit, sic inveniemus in eo quamdam multiplicitatem. « Sed quia illa multiplicitas est ordinata ad aliquid unum ad « quod principaliter respicit habitus, inde est quod habitus est

« qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi « ad multa se extendat. Non enim unus habitus se extendit ad « multa nisi in ordine ad unum ex quo habet unitatem ». Et hoc modo unaquaeque virtus, sicut praecipit ea quae ordinem habent ad suum principalem actum, ita et inclinat ad ea. Quemadmodum igitur virtus theologica fidei, omnibus consentientibus, se extendit non solum ad ipsum actum credendi revelata a Deo, sed etiam ad actus praeparativos, puta ad iudicium credibilitatis, cuius obiectum est aliquid visum, adeoque specie diversum ab obiecto credendo: sic se extendit quoque ad eos actus qui fidem divinam propriis veluti moeniis circumvallant, vel eius convenienti exercitio deserviunt, et universim loquendo, ad plenam mentis obedientiam erga eam auctoritatem cuius est vice Dei societatem credentium regere, et in unitate continere: idque non tantum quoad definitiones proprie dictas, verum etiam quoad illa alia decreta inferioris ordinis de quibus iam superest ultimo loco in sequenti propositione dicendum.

THESIS XIX.

Ad potestatem magisterii pertinet postremo censurare doctrinas censuris ordinis practici, tanquam quae tuto vel non tuto teneri ac tradi possint. Et quamvis eiusmodi decisiones non sint ex natura rei irreformabiles, neque a suprema auctoritate doctrinali, sed a Pontificiis Congregationibus ut plurimum procedant, adhuc tamen ut se eis subiiciant, ex conscentia catholici obstringuntur.

Omnia quidem quae hactenus considerata fuerunt, spectabant definitiones a supremo et infallibili Ecclesiae magisterio ex tota plenitudine potestatis edictas. Nunc sermo est de aliis decretis ad doctrinam pariter pertinentibus, quae tamen non sunt a suprema auctoritate proferente iudicium definitivum ex potestatis plenitudine, atque idcirco non continent infallibilem in ordine speculativo propositionem veritatis. Cuiusmodi sunt potissimum decreta doctrinalia Sacrarum Congregationum, de quibus declarat Pius IX in litteris apostolicis ad archiepiscopum Monacensem *Tuas libenter*, quod si agatur de illa subiectione qua in

conscientia ii omnes catholici obstringuntur qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, *opus est ut se subiiciant etiam decisionibus quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur* (1). Porro de hoc genere decretorum ita praeclare disserit Card. Franzelin, de Traditione, Thes. XII, Schol. 1.

« Sancta Sedes Apostolica cui divinitus commissa est cu-
« stodia depositi, et iniunctum munus ac officium pascendi uni-
« versam Ecclesiam ad salutem animarum, potest sententias
« theologicas vel quatenus cum theologicis connectuntur, praescri-
« bere ut sequendas, vel proscribere ut non sequendas, non
« unice ex intentione infallibiliter decidendi definitiva sententia
« veritatem, sed etiam absque illa, ex necessitate et intentione,
« vel simpliciter, vel pro determinatis adiunctis prospiciendi se-
« curitati doctrinae catholicae. In huiusmodi declarationibus, licet
« non sit doctrinae veritas infallibilis, quia hanc decidendi ex
« hypothesi non est intentio, est tamen infallibilis securitas,
« quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est,
« nec absque violatione debitae submissionis erga magisterium
« divinitus constitutum fieri potest ut eam amplecti recusent. —
« Auctoritas igitur magisterii a Christo instituta in Ecclesia
« quoad rem de qua nunc agimus, dupliciter spectari debet.
« Primo, ut singulis actibus est sub assistentia Spiritus Sancti
« ad infallibilem definitionem veritatis, seu ut est *auctoritas in-*
« *fallibilitatis.* Secundo velut extensive, ut magisterium idem agit
« auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen
« tota eius intensione si ita loqui fas est, nec ultimatim defi-
« niendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum
« et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae; quam aucto-
« ritatem possumus forte dicere *auctoritatem providentiae doctrina-*
« *lis.* — Auctoritas infallibilitatis non potest a Pontifice commu-
« nicari aliis veluti suis ministris ut suo nomine agentibus. At
« auctoritas inferior providentiae doctrinalis, ut eam appellavimus,
« non quidem independens, sed cum dependentia a Pontifice
« communicabilis est, et ab ipso Pontifice communicatur maiori
« vel minori extensione, quibusdam Sacris Congregationibus
« Cardinalium.... Nos vero existimamus, huiusmodi iudicia, etiam

(1) Enchirid. n. 1537.

« citra definitionem ex cathedra, posse esse ita comparata, ut « postulent obedientiam quae includat mentis obsequium: non « quidem ut credatur doctrina infallibiliter vera aut falsa, sed « ut iudicetur doctrinam in tali iudicio contentam esse securam, « et nobis ex motivo sacrae auctoritatis, cuius munus indubita- « tum est prospicere securitati doctrinae, mentis obsequio ample- « ctendam, ac contrariam reiiciendam ».

Fit igitur distinctio inter decreta quibus veritas speculativa infallibiliter definitur, et decreta quibus securitati doctrinae prospicitur, quin deveniatur ad formales definitiones quae non semper expediunt, aut certe non sunt semper necessariae. Porro, ut haec distinctio melius intelligatur, adiumento esse poterit sequens consideratio. Sane vero, distinguunt omnes in re morali speculativam veritatem vel falsitatem alicuius propositionis, ab eius securitate vel non securitate practica. Aliud quippe significo cum dico sententiam moralem esse veram vel falsam, aliud vero cum dico eam esse practice tutam vel non tutam. Et similis distinctio locum quoque habet circa doctrinas in ordine ad legem credendi. Doctrina enim pro qua est solida probabilitas quod fidei regulae non opponitur, speculative loquendo erit forte theologice falsa, hoc est, si accipiatur secundum relationem ad regulam fidei in se obiective consideratam. In ordine vero ad liceitatem opinandi praedicta doctrina est certo certius tuta, et tuto illam amplecteris, quia non habet oppositionem saltem prudenter attendibilem, cum norma illa contra quam non est licitum quidquam opinari. Et e converso, doctrina quae ita probabilissime opponitur regulae fidei, ut vel nullo modo, vel nonnisi tenuiter probabile sit eam non esse a dicta regula deviantem, speculative loquendo erit forsitan indifferens; loquendo autem in ordine ad liceitatem opinandi, non est tuta nec libera, quia gravissimis rationibus pravitate infecta apparet, quin stent ex opposito nisi rationes leves quae virum prudentem movere non possunt. Ideoque iam non habes unde tibi efformes conscientiam, ut libere possis amplecti talem opinionem.

Dico ergo nos exinde manuduci posse ad intelligendum *quid sit edere decretum quo non speculativa veritas definitur, sed securitati doctrinae prospicitur*. Nihil enim aliud est quam decernere authentice, aliquam doctrinam esse tutam, hoc est consonam regulae fidei, ea saltem probabilitate quae sufficiat ut quis possit

illam amplecti; vel e contra, aliquam doctrinam non esse tutam, seu esse discordem a regula fidei, idque iterum tali saltem probabilitate, quae non habeat adiunctam sufficientem probabilitatem de opposito. Et quia in huiusmodi, ipsa decisio legitimae auctoritatis semper affert pondus praevalens, doctrina quae declaratur non tuta, ipso facto evadit vere talis, amittitque innocuitatem, etiamsi aliunde illa non destitueretur. Atque hinc tandem fit ut ex natura rei non requiratur infallibilitatis auctoritas, ad hoc ut iure meritoque exigatur interior mentis obedientia (1). Sicut igitur, quando infallibile Ecclesiae magisterium definit propositionem aliquam esse erroneam, tenemur credere illam esse vere erroneam in se, prout definitur: ita quando Sacrae Congregationes declarant doctrinam quamdam tuto tradi non posse, tenemur iudicare doctrinam hanc esse, non dico in se erroneam aut falsam aut si quid aliud eiusmodi, sed simpliciter non tutam, eique tanquam non tutae amplius non adhaerere. Et si declarent doctrinam aliam tuto negari non posse, tenemur iudicare doctrinam hanc esse, non solum tutam, verum etiam ut tutam, (et non dico ut in se certam praecise vi decisionis), sequendam atque amplectendam.

Sed in rigore loquendo, id quod nunc tutum non est, praesertim in sensu composito decisionis, potest postea evadere tutum, si forte auctoritas competens, re iterum discussa et novis perpensis rationibus, aliam decisionem ediderit. Quod enim possit absolute contingere ut alia decisio edatur elidens priorem, per se est manifestum. De natura enim est decisionum quae nunc in considerationem veniunt, ut non sint sententiae definitivae atque irreformabiles. Aut potius, quod maxime considerandum est, talis est materia seu obiectum earum, ut nequidem proprie et formaliter dici posset decisio posterior reformare praecedentem,

(1) Nec valet si dicas quod auctoritas fallibilis tam potest errare in declarando doctrinam ut tutam vel non tutam, quam in declarando eam veram vel non veram. Hoc, inquam, non valet, et disparitas est in aperto. Nam auctoritas definiens nunquam facere potest veram vel falsam doctrinam secundum se, sed per se faceret securam vel non securam, in casu in quo independenter a decisione, talis non exsisteret. Quippe, in concurrentia decisionis legitimae auctoritatis, omnes rationes in oppositum amittunt probabilitatem quoad liceitatem opinandi.

quoniam reformationi locus non est, nisi illud idem quod decisum est prius, opponatur ei quod deciditur posterius. Atqui illud quod nunc non est tutum, attento praesenti statu rationum, potest postea fieri tutum, novis rationibus accedentibus; et ideo decisio declarans tutum id quod prius tuto teneri non posse fuerat edictum, non esset stricte loquendo reformatio sententiae, sed nova declaratio non contraria priori.

Haec possunt confirmari ex iis quae acciderunt in causa Galilaei, quantum ad decretum Sacrae Congregationis Indicis (26 Maii 1616), in quo sententia Copernici de motu diurno et annuo terrae declarabatur *contraria Scripturae Sacrae* (1). Nam theologi Romae exsistentes, et ipse Bellarminus qui inter Cardinales S. Officii procul dubio eminebat, non dubitabant asserere praefatam Copernici sententiam non fuisse censuratam ut Scripturae contrariam, nisi quia nulla afferebatur demonstrativa aut certe gravis ratio, legitimans metaphoricam interpretationem eorum Scripturae locorum quae sensu proprio fuerant hactenus universaliter accepta; caeterum, Cardinales Inquisitores in ea dispositione esse ut liberam ac licitam opinionem edicerent, statim ac demonstratio ipsa esset allata (2). In hoc ergo dico

(1) Nota bene quod in causa Galilaei, solum decretum Indicis anni 1616, ad rem de qua nunc agitur facere potest, minime vero quidquid actum est in Congregatione S. Officii anno 1633, quia tunc non fuit editum decretum ad doctrinam pertinens, sed tantum institutus processus criminalis contra particularem personam. Id enim tunc actum, quod agebatur in omnibus aliis inferioribus tribunalibus Inquisitionis, in quorum sententiis nemo unquam videbit decisiones doctrinales vim legis habentes, sed meras decisiones iudiciarias per quas non conficitur lex, sed ad particulares personas applicatur. In sententia autem adversus Galilaeum lata, Cardinales Inquisitores unice fundantur supra memoratum Indicis decretum, quod ideo dixi esse in praesenti materia exclusive attendibile. — Vide documenta apud *de l'Epinois;* item *Revue des questions scientifiques*, Tom. 9, pag. 259; Tom. 14, pag. 267 seq.

(2) « Ex vestris coryphaeis non semel quaesitum est utrum haberent « aliquam pro terrae motu demonstrationem. Nunquam ausi sunt id « asserere. Nil ergo obstat quin loca illa in sensu litterali Ecclesia in- « telligat, et intelligenda esse declaret, *quandiu nulla demonstratione « contrarium evincitur; quae si forte aliquando a vobis excogitetur*, quod « vix crediderim, *in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare*,

haberi exemplum opinionis quae tunc non erat tuta, et nunc est, quia nunc pro motu terrae adinventae sunt graves illae rationes, quae tunc nondum praesto erant. Sed nec mirum videri debet si eo praesertim tempore quo undique prodibat pruritus contorquendi Scripturam in quoslibet sensus, et protestantes totam christianitatem conturbabant suis arbitrariis interpretationibus: non mirum, inquam, si Sacra Congregatio Indicis proscripserit *tali censura ordinis practici* (1), eam opinionem pro qua nulla adhuc gravis ratio militabat, quaeque idcirco absque sufficienti fundamento opponebatur sensui litterali in quo a communi philosophorum pariter ac theologorum Scriptura fuerat in retroactis saeculis intellecta. — Illud ergo quod contigit in materia per se astronomica, et nonnisi indirecte ad res fidei pertinente, posset etiam contingere, *licet longe longeque difficilius,* in materia per se et directe theologica.

Pronum igitur est concludere cum Caramuel, theologo Ordinis S. Benedicti et Galilaei coaetaneo: « Ego, inquit in « *Theologia morali fondamentali,* auctoritatem practicam a spe- « culativa distinguo, et licet condendi articulos fidei.... pote- « statem, soli Pontifici ex cathedra loquenti concedam, condendi « practicos articulos.... auctoritatem concedo Dominis Eminen- « tissimis quos ad Ecclesiae regimen practicum assumpsit San- « ctissimus Dominus noster ». Et alibi: « Quando aliqua sen-

---

« *loca illa in sensu figurato et improprio intelligenda esse,* ut illud poetae: « Terraeque urbesque recedunt ». Ex epistola Honorati Fabri in Basilica Vaticana Poenitentiarii ad quemdam Copernicani systematis fautorem, apud Franzelin, de Traditione, Thes. XII, Schol. 1, Coroll. 5. — Vide etiam ibidem alia documenta in eumdem sensum collineantia, *ex sententia Cardinalis Bellarmini.*

(1) Videlicet, eo ipso quod non a supremo Ecclesiae magisterio haec decisio edebatur, debebat intelligi et sic de facto ab omnibus intelligebatur: *Contraria Scripturae Sacrae,* ita scilicet ut non esset probabile probabilitate sufficiente ad liceitatem opinandi, quod sententia Copernici, contraria Scripturae non esset. Quod idem est ac declarare doctrinam *tuto teneri non posse,* ea loquendi forma quae iam apud Sacras Congregationes in usu est. — Obedientia autem huiusmodi decisionibus debita non excludit, ut patet, quominus quis inquirat, et legitimae auctoritati proponat rationes quae forte novam decisionem provocare possent, modo in omnibus salva sit ad S. Sedem subiectio-

« tentia ab Eminentissimis Dominis condemnatur, practice con-
« demnatur. Propositio sic condemnata perdit omnem extrin-
« secam auctoritatem, et redditur improbabilis practice ». Et sic omnia constant: quod scilicet decreta Congregationum non sint decreta in ordine speculativo infallibilia, et quod nihilominus debeatur eis interior etiam obedientia mentis. Quippe, ut ait Card. Franzelin loco supra citato, *sacra auctoritas providentiae doctrinalis vi muneris sui sufficientissimum est motivum ex quo possit, et si forma decreti id exigat, debeat pia voluntas imperare consensum.*

Et de potestate quidem magisterii, hactenus satis.

QUAESTIO XI.

DE POTESTATE IURISDICTIONIS

Deinde dicendum est de potestate iurisdictionis. Et primo quidem consideranda est haec potestas in generali, tam quoad eius existentiam, quam quoad materiam in qua exercetur.

THESIS XX.

Ecclesiae suae contulit Christus liberam atque independentem ab omni humana dominatione iurisdictionem, quae non interni tantum, verum etiam externi fori est, comprehendens in ordine ad finem regni coelorum, triplicem illam quae omni perfectae societati competit potestatem: legislativam scilicet, iudiciariam, et coactivam.

§ 1.

Iam pervenimus ad eam potestatis rationem quae esse debet in Ecclesia secundum quod consideratur ut societas perfecta, imo et suprema, supremum habens finem communi omnium actione et tendentia prosequendum. Quippe, ut ab initio iam dictum est, nulla omnino cuiuscumque conditionis societas est aut esse potest, sine regendi auctoritate quae efficaci similique moveat singulos ad commune propositum impulsione. Et si societas sit perfecta, perfectam quoque in ea oportet esse auctoritatem regiminis, id est, in suo saltem ordine independentem, et ad omnia imperii iura sese extendentem. Et si insuper, non modo perfecta societas sit, verum etiam suprema inter humanas societates, eo ipso necesse est ut eius iurisdictio nulli omnino humanae potestati, quacumque tandem ratione et modo, etiam mere indirecto, subiaceat.

Haec sunt principia quae praesentem materiam regunt, quaeque non immerito diceres per se evidentia: principia, inquam,

axiomatum instar ab omnibus recipienda, et non minus certa in se, quam in sua applicatione ad Ecclesiam Christi. Est enim Ecclesia veri nominis societas, ut ex praedemonstratis liquet. Est deinde societas cui soli concredita est ultimi finis procuratio. Denique finis ille ultimus, nedum sub alio fine contineatur, omnes potius alios fines sibi subalternat. Proinde, cum ex proprio fine unaquaeque societas propriam speciem propriumque gradum obtineat, nequaquam esse potest quod Ecclesia Christi se habeat ut pars respectu societatum quae temporalem finem prosequuntur, sed est quoddam totum per se completum et independens, ac per hoc, *societas perfecta* (1). Insuper, non patitur quamcumque

(1) Cardinalis Tarquini. Iuris eccl. publ. Inst. n. 6. societatem perfectam eam esse dicit, *quae non sit alterius pars, quaeque finem non habeat ad alterius finem* (*in eodem scilicet genere*) *ordinatum, adeoque sit in suo genere independens et in se completa; unde consequitur quod media ad sui conservationem, propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debeat.* Nota tamen quod media necessaria dupliciter considerantur, vel ad esse simpliciter, vel ad bene esse. Et siquidem sermo sit de iis quae necessaria sunt solum ad bene esse, non est contra rationem societatis perfectae, quod ea aliquando habeat ex ministerio seu famulatu alterius societatis. Sicut ad bene esse Ecclesiae, subinde requiritur talis coactio quam Ecclesia per seipsam exsequi non valet. Sed non ideo destruitur ratio societatis perfectae, tum quia media de quibus agitur non sunt de simpliciter necessariis, tum quia a societate civili tanquam a societate indirecte subordinata iure repeti atque exigi possunt, ut suo loco dicetur. Et ad hoc pertinet distinctio de duplici modo quo societas perfecta habere potest media ad sui conservationem et defensionem : realiter scilicet et virtualiter; virtualiter autem dico, quatenus *ab alia societate ea repetere proprio iure possit, neque illa facultatem habeat aut ea negandi, aut suo iudicio rem dirimendi.* Ita Tarquini, op. cit. n. 42. — Ultimo observandum quod notio hactenus declarata, est notio societatis stricto sensu perfectae. Nunc autem ampliatur haec notio ad eas communitates quae etsi sint pars alicuius totius, adhuc tamen ipsiusmet totius cuius sunt pars, proportionalem referunt imaginem, sicut in iure canonico, singulae dioeceses sub singulis episcopis habentur ut communitates perfectae, et in certis constitutionibus politicis, singulae provinciae unius regni sub singulis senatibus vel parlamentis. Sed haec est secundaria et minus propria acceptio quae nunc vix debet attendi, et non veniet in usum nisi infra, ubi de iurisdictione episcopali et subiecto potestatis legislativae in ecclesiastica hierarchia.

ad societates caeteras subordinationem, sed est superioris ordinis societas, ac per hoc, *suprema* (1). Multiplici igitur titulo oportet ut verum ac proprie dictum habeat forum in quo liberrime omnia iura imperii exerceat, idque per ordinem ad spiritualem aeternae beatitudinis finem, qui est proprius finis a divino eius Fundatore ei assignatus.

Nihilominus in oppositum stant illi omnes qui sub iurisdictione Status, indiscriminatim ponunt quidquid in humana communitate intra terminos externi ac publici fori continetur, hac scilicet ratione ducti, quod publicum forum Caesaris est, et in tantum quidem, ut omnia quaecumque in eo aguntur, subordinationem habere debeant ex natura rei ad finem et commodum temporalis societatis. Monstruosus sane error e paganismo redivivus, qui in medio aevo propugnatorem habuit Marsilium Patavinum, postmodum vero Edmundum Richer, deinde Febronium, deinde ultra-gallicanos illos qui in civili cleri constitutione anni 1790 sua principia ad plenum effectum deduxerunt. Horum porro

(1) Alius est conceptus societatis *perfectae* et societatis *supremae*, quia etsi societas suprema eo ipso sit societas perfecta, non tamen e converso omnis societas perfecta est suprema. Quippe, ratio societatis supremae removet omnem omnino subordinationem, sed ratio societatis perfectae ut sic, removet tantum subordinationem directam, non autem indirectam. « Directa vocatur, quae est intra finem et « terminos eiusdem potestatis; indirecta, quae solum nascitur ex di- « rectione ad finem altiorem, et ad superiorem ac excellentiorem pote- « statem pertinentem. Propria enim potestas civilis de se solum directe « ordinatur ad convenientem statum et temporalem felicitatem humanae « reipublicae pro tempore vitae praesentis, et ideo etiam potestas ipsa « temporalis appellatur.... Quia vero felicitas temporalis et civilis ad « spiritualem et aeternam referenda est, ideo fieri potest ut materia ipsa « potestatis civilis aliter dirigenda et gubernanda sit in ordine ad spi- « rituale bonum, quam sola civilis ratio postulare videatur. Et tunc, « quamvis temporalis princeps eiusque potestas in suis actibus directe « non pendeat ab alia potestate eiusdem ordinis, et quae eumdem « finem respiciat: nihilominus fieri potest ut necesse sit ipsum dirigi vel « corrigi in sua materia a superiori potestate gubernante homines in « ordine ad excellentiorem finem et aeternum, et tunc illa dependentia « vocatur indirecta, quia illa superior potestas circa temporalia, non « per se aut propter se, sed quasi indirecte et propter aliud interdum « versatur. Suarez, Defensio fidei, I. 3, c. 5.

haeredes sunt moderni Statistae, et minime a suis antecessoribus differunt, nisi quod cynismo et cruditate et inverecundia suarum asseverationum, eos etiam superare videantur. Non erubescunt diserte asserere, se nihil aliud in religione videre nisi mysterium civilis convictus, pro quanto scilicet, societas civilis nequit consistere sine fortunarum inaequalitate, nec fortunarum inaequalitas sine idea religiosa, quae pauperis appetitum refrenet et invidiam erga divitem coerceat (1). Hinc sub Caesare oportet esse religionem velut necessarium politiae et dominationis instrumentum (2). Hinc rectus ordo per se postulat id quod ubique extra catholicismum reperitur, nempe resignationem religiosae auctoritatis in manu civilis principatus, ex ipso iure et titulo principatus (3). Concedunt tamen religionem ipsam a iurisdictione

(1) « Quant à moi (Napoléon), je n'y vois pas (dans le christianisme) « le mystère de l'incarnation, mais le mystère de l'ordre social. La « religion rattache au ciel une idée d'égalité qui empêche le riche « d'être massacré par le pauvre.... La société ne peut exister sans « l'inégalité des fortunes, et l'inégalité des fortunes sans la religion ». Apud Taine, Origines de la France contemporaine, Tom. ult.

(2) « Un bon politique l'entretiendra (la religion) pour se servir « d'elle et l'appliquer aux fins civiles. De même un ingénieur qui ren- « contre près de son usine une grosse source jaillissante. Il n'entreprend « point de la tarir, mais il ne lui permet pas de s'égarer.... Il n'entend « pas qu'elle reste oisive ; tout au rebours, il la recueille, il la canalise, « il la dirige, il l'aménage et la fait travailler dans ses ateliers.... Dans « l'Eglise catholique, l'autorité qu'il faut capter et utiliser est celle du « clergé sur les fidèles et du Souverain Pontife sur le clergé ». Taine, op. cit.

(3) « Puisque les deux autorités (religieuse et civile) peuvent se « heurter, prévenons leurs conflits..., faisons-nous notre part nous-mêmes, « et ne souffrons pas que l'Eglise empiète sur l'Etat.... Les choses al- « laient mieux dans l'antiquité.... Dans la Turquie et dans tout l'Orient, « l'Alcoran est en même temps loi civile et évangile religieux. Ce n'est « que dans le christianisme que le pontificat s'est trouvé ainsi séparé « du gouvernement civil. Et cela même n'est arrivé que dans une branche « du christianisme. Sauf dans les pays catholiques, partout en Angleterre, « en Russie, dans les monarchies du Nord, dans une partie de l'Al- « lemagne, la réunion des deux pouvoirs, la direction religieuse aux « mains du Souverain est un fait accompli. On ne saurait gouverner « sans elle.... C'est dommage qu'on ne puisse trancher la difficulté

Status eximi, quamdiu in solitario conscientiae sanctuario relegata manet. At statim ac in lucem publicitatis exit, statim ac plura individua in communem finem associat, seseque visibilibus atque externis actibus manifestat, illico subdita efficitur (1). Quippe, Status est unicus atque universalis proprietarius exterioris illius territorii in quo conscientiae individuales inter se communicant. Proinde, sicut nemini integrum et liberum est absque licentia domini in eius fundo venari, piscari, iter facere, coetus agere, concionari, etc., ita independenter a Status concessione atque inspectione, nullum magisterium, nulla demum gubernatio (2). Quin imo, si contingat aliquem cultum quoad doctrinam ac disciplinam a Statu probari et legali exsistentia donari, eo ipso Status assumit officium invigilandi ne ministri eius devient a norma quae in civili actu incorporationis inscribitur, et iam dogmata eius, canones. hierarchia, liturgia, et si quid aliud eiusmodi, fixam illam obtinent formam quam Statui placuit ei concedere (3).

« comme Henri VIII d'Angleterre ». Napoléon, apud Taine, op. cit.... « — Il est curieux de suivre la longue vie et survie de cette idée capitale depuis l'antiquité jusqu'à aujourd'hui.... Les lois romaines, « dit Portalis, plaçaient tout ce qui regarde le culte dans la classe des « choses qui appartiennent essentiellement au droit public (id est ad « ius civile) ». Taine, ibid.

(1) « Tant qu'une croyance reste muette et solitaire, enfermée dans « l'enceinte d'une conscience individuelle, l'Etat se s'en occupe pas. « Mais dès qu'elle sort de cette clôture. parle en public, associe plusieurs individus pour un objet commun et par des actes visibles, elle « est sujette ». Taine, op. cit.

(2) « (L'Etat) propriétaire unique et universel du terrain extérieur « par lequel les consciences solitaires communiquent entre elles, intervient à chacun de leurs pas pour leur tracer ou leur barrer la route. « Cette route sur laquelle elles cheminent passe chez lui et lui appartient. Ainsi la surveillance qu'il exerce sur leurs démarches est et « doit être quotidienne, et il l'exerce au mieux de ses intérêts, au « mieux de l'intérêt civil et politique, de façon que la préoccupation « de l'autre monde soit utile et ne soit pas nuisible aux affaires de « celui-ci ». Id., ibid.

(3) « Par cela seul que l'Etat agrée leur doctrine et leur discipline « (des cultes), il entend les maintenir intactes, et empêcher que leurs « ministres ne puissent corrompre la doctrine confiée à leur enseignement, ou secouer arbitrairement le joug de la discipline, au grand

Consequitur ergo, nullam esse in Ecclesia potestatem vere et proprie legislativam, nam leges veri nominis, utpote edictae atque ordinatae in regimen communitatis perfectae ab eo qui ipsius perfectae communitatis curam habet, de sui ratione esse non possunt nisi a potestate publica. A fortiori sequitur, tollenda esse atque removenda omnia quaecumque legiferae facultati sunt annexa, id est potestatem iudicia exercendi et poenas in contumaces decernendi. Sequitur denique, Ecclesiam non habere forum externum sibi proprium, quia in iis omnibus quae publici iuris sunt, a civili foro dependet, et si qua gaudeat libera actione directiva, hoc non est nisi intra domesticos veluti parietes et per modum privatae institutionis, erga privatas suorum fidelium conscientias. Sed nec omittunt pro horum confirmatione, ad evangelica testimonia nos remittere. Christus enim dixit regnum suum non esse de hoc mundo. Dixit etiam regnum Dei intra nos esse, id est, intra conscientiae latebras residere. Iussit ministros suos abhorrere ab omni dominatu, voluitque ut arma nostrae militiae carnalia non essent, sed in obsecrationibus, persuasionibus, aliisque similibus mediis unice consisterent.

Sed contra est quod ista purum materialismum seu atheismum sonant, nisi forte importent aliquid etiam peius, videlicet positivam suprematiam rerum humanarum et temporalium respectu divinarum et aeternarum, sive subordinationem sollicitudinis finis ultimi ad commodum et interesse vitae praesentis, conformiter ad principia eorum qui dicunt utendum esse Deo ut fruamur mundo, non autem utendum mundo ut fruamur Deo. Et omnia quidem quae adversus tam enormem errorem in praesenti adserimus, possent ex ipso iure naturali consequente constitutionem Ecclesiae (prout in prima parte declarata et demonstrata fuit), simpliciter et sine ampliori discussione praesupponi.

« préjudice des particuliers et de l'Etat. C'est pourquoi dans le statut « légal par lequel il s'incorpore une Eglise et prend acte de ce qu'elle « est, il écrit en termes précis ce qu'il exige et permet qu'elle soit. « Désormais ses dogmes et ses canons, sa hiérarchie et son régime « intérieur, ses subdivisions et circonscriptions territoriales, ses sources « de revenu régulières et casuelles, son enseignement et sa liturgie « sont des choses définies et des cadres fixes ». Id., ibid.

Verumtamen, ad maiorem rei evidentiam, oportet ad diserta revelationis testimonia descendere, et sophismatibus adversariorum paucis respondere.

§ 2.

Duo sunt in evangelio principalia testimonia quae ad rem praesentem faciunt. Primum in quo dicitur Petro: *Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Alterum in quo hoc idem iisdem fere terminis dicitur toti collegio apostolico: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis supra terram erunt soluta et in coelo.* Ubi per prius observandum est, nihil referre in praesenti, qua ratione potestas quae soli Petro primum attribuitur (Matth. XVI-19), ad totum deinde corpus pastorum extendatur (Matth. XVIII-18). Ratio est quia de forma gubernii nunc non agimus, sed solum de potestate ipsa ad Ecclesiae regimen a Christo instituta, quaecumque tandem sit organica constitutio subiectorum potestatis, monarchica scilicet, vel aristocratica, vel mixta. Nunc autem nihil sane evidentius, quam quod potestas in utroque Matthaei loco expressa, propria Ecclesiae potestas sit. eodem prorsus modo quo potestas ligandi et solvendi in iis quae ordinem temporalem spectant, propria potestas civilis societatis est, eaque semper eadem semperque invariata, in quacumque regiminis aut reipublicae forma. Abstrahendo igitur ab his quae non sunt huius loci, dico quod potestas in praefatis testimoniis diserte Ecclesiae assignata, est primo potestas veri imperii, cum omnibus iuribus potestati publicae inhaerentibus; deinde potestas ab omni dominatione seu suprematia humana perfecte independens; tertio potestas quam nulla alterius fori possessio aut circumscriptio valeat unquam qualitercumque limitare.

Dictum est in superioribus, quod regnum caelorum in evangelio generaliter dicitur coordinatio creaturarum rationalium sub Deo fine supernaturali, et quod hoc regnum, vel constat iis qui finem semel adepti in ipsa finis possessione et fruitione conquiescunt, vel constat hominibus adhuc a fine elongatis, qui tamen

iam sunt in via ad ipsum, per characterem et professionem christianitatis. Primo modo regnum coelorum non est nisi in futura vita. Altero modo regnum coelorum in terris est; sed nec dubium esse potest quin hoc posteriori modo accipiatur, quando conferuntur a Christo claves cum potestate ligandi et solvendi super terram. Non ergo differt regnum de quo nunc agitur, ab aliis regnis seu societatibus, secundum genericam rationem societatis hominum qui in terra sunt et in terra vivunt. Sed primo differt fine et origine, quia immediate est a Deo auctore gratiae, et ad Deum in vita aeterna possidendum tanquam ad metam sibi praefixam, totum quantum est ordinatur, hacque de causa nomen regni coelorum iure meritoque sibi adsciscit et vindicat. Differt secundo, gradu seu praecellentia, quia ut dicitur in Bulla *Unam Sanctam*, societatem fine spiritualem praecedere dignitate societatem fine terrenam, oportet tanto clarius nos confiteri, quanto spiritualia temporalibus antecellunt, coelestia terrestribus. Differt denique amplitudine et universalitate, quia cum civilia regna seu respublicae numero multiplicentur secundum diversitatem regionum et populorum, regnum coelorum a Christo in terra fundatum unum numero est atque indivisum, omnes gentes omnesque progenies in se tum iure tum facto comprehendens, prout declaratum est ubi de nota catholicitatis. Et hae quidem differentiae sunt quae inter regnum coelorum et civiles respublicas notantur, nullaque alia praeter istas.

Quo posito, quaero quid nomine *clavium regni coelorum* (Matth. XVI-19) potuerit significari. Et nihil occurrit nisi potestas iurisdictionis seu auctoritas imperii in hoc ipso coelorum regno ex Christi institutione proveniens, ut clare aperteque ostendit constans usus metaphorae in Scriptura [1], communis consuetudo

[1] « Isai. XXII, describitur depositio unius summi Pontificis, et « institutio alterius his verbis: *Vade, ingredere ad eum qui habitat in « tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi, et dices ad eum: Quid tu « hic?* Et infra: *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo depo- « nam te. Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim filium Helciae, « et induam illum tunica tua, et potestatem tuam dabo in manu eius, et « erit quasi pater habitantibus Ierusalem, et domui Iuda. Et dabo clavem « domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudat, et « claudet et non erit qui aperiat.* Hic aperte per claves intelligitur prin- « cipatus ecclesiasticus. Quo etiam pertinet illud Isai. IX: *Factus est*

etiam in rebus profanis (1), denique adiecta *de ligando et solvendo* declaratio, quae ad nullum alium sensum trahi potest, quam ad sensum ferendi leges et praecepta, decernendi poenas, absolvendi per sententias iudiciales, et uno demum verbo, praestandi omnia quae magistratuum civitatis propria esse intelliguntur.

At forte haec iurisdictionalis potestas quae in regno coelorum est, non pertinget ad verae et proprie dictae potestatis publicae amplitudinem, propter specialem indolem societatis spiritualis, et notatas superius differentias a societate civili? Forte etiam verba evangelica *quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis,* eam recipient ex natura materiae subiectae contractionem, quam in sua litterali acceptione absolute loquendo non ferrent? Absit. Nihil enim magis absonum fingi posset, cum notatae differentiae, nedum faciant ex natura rei ad diminutionem socialis potestatis in regno coelorum, faciant potius ad plenam omnique ex parte perfectam iurisdictionem, praestantiori adhuc titulo et necessitate adserendam. Si enim finis spiritualis est, tanto magis subditi huius regni opus habent exterioris regiminis adiutorio, quia quanto finis est altior et a sensu remotior, tanto minus sufficiens est homo privatus sibi soli relictus ad eum capessendum, sicut videmus quod puero multo magis necessaria est exterior disciplina ad scientiam et virtutem, quam ad ea quae sunt vitae materialis. Et in hoc est perpetuum adversariorum sophisma, quod non vident aut videre nolunt, media ad finem esse determinanda, non ex sola conditione finis secundum se, sed etiam et maxime ex conditione eorum qui ad finem tendere debent. Ergo, nisi sit exterior directio, et socialis potestas a qua haec directio procedat, multo magis impossibilis est obtentio finis

« *principatus super humerum eius.* Idcirco enim dicitur principatus super « humerum impositus, quoniam claves quibus principatus designatur, « super humerum poni solebant. Neque per claves, Christi principatum « significari, negare potest qui legit illud de Christo, Apocal. III : *Haec « dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit.* « etc. «. Bellarm. l. 1 de Rom. Pont. c. 13.

(1) « Accedit etiam communis consuetudo, etiam in rebus profanis : « Quando enim urbes deduntur alicui principi, offeruntur ei claves in « signum subiectionis, et ei qui instituitur oeconomus in domo, claves « tradi solent ». Bellarm. l. c.

in regno coelorum, quam in quavis alia societate. Nunc autem potestas socialis quae ad potestatis publicae iura et praerogativas non pertingit, ideo non pertingit, quia angustis societatis imperfectae limitibus continetur. Si igitur regnum coelorum in hoc praecise a societatibus civilibus discriminatur, quod tum perfectione finis tum amplitudine et universalitate suae extensionis eas omnes longe exsuperet, quid tandem ex natura rei invenies quod diminuat de propria et nativa vi verborum Christi dicentis: *Tibi dabo claves regni coelorum,* et iterum: *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo?*

Certissime itaque efficitur, iurisdictionem ecclesiasticam esse potestatem veri imperii, id est, veri nominis legum ferendarum, cum omnibus iuribus consequenter annexis. Nunc autem independentiam eius ab omni alia iurisdictione humana attestatur primo evidentissima ipsius iuris naturalis exigentia. Attestantur deinde in verbis evangelicis commata illa: *erunt ligata et in coelo, erunt soluta et in coelo,* quae indicant inter potestatem apostolis concessam et potestatem coelestem, nullam aliam esse mediam. Attestatur denique vel ipsa donatio qua supremus Rector Petrus constituitur in possessione clavium, cum nemo dicatur habere in manu claves civitatis, si in usu suae auctoritatis sit subiectus alteri qui potest aperire quod ipse clausit et claudere quod aperuit, ligare quod solvit et solvere quod ligavit. Unde Apoc. III-7, ubi de Christo dicitur quod habet clavem domus David, statim adiicitur explicatio ista: *Qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Sed placet summam hanc ecclesiasticae iurisdictionis a civili iugo immunitatem confirmare traditione ac testimoniis Patrum, qui statuunt: « **Primo**, plenitudinem principatus ac po-« testatis ad Ecclesiam regendam in proprio eius magistratu « esse, id est, in episcopis. Ignatius, epist. ad Trallenses: *Quid « aliud est episcopus, quam is qui omnem principatum ac pote-« statem in Ecclesia obtinet?* **Secundo**, verum imperium, et civili « quidem non modo praestantius, sed etiam perfectius, in Ec-« clesia esse. Greg. Nazianz., Orat. 17 ad Theodosium: *Te quo-« que, Imperator, imperio meo et throno lex christiana subiicit. « Imperium enim et nos episcopi gerimus; adde etiam praestan-« tius et perfectius.* **Tertio**, praeter magistratus Ecclesiae pro-« prios, neminem prorsus in Ecclesia quidquam posse, licet ille

« rex aut imperator sit. Damascenus, Orat. 2 de Imagin. n. 12: « *Ne tentes, Imperator, ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim « Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia apostolos, « quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem « pastores et doctores. Non autem dixit reges.* **Quarto,** subesse « imo Ecclesiae in iis quae pertinent ad eius finem assequen- « dum, etiam supremos societatis civilis magistratus, dummodo « ex grege Christi sint; sique hanc subiectionem excutere ali- « quando tentaverint, id per summam iniuriam facere. Lucifer « Calaritanus, l. 1 pro Athanasio ad Constantium Imperatorem [1]: « *Sed dicis, isto in loco* (Deuter. XVII-9) *Deo devotissimus Moyses « quomodo sacerdotum fecit mentionem, sic et iudicis. Proba te « super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum impera- « torem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici « tui diaboli produceres. Cum probare non possis, quia praeceptum « sit tibi non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum « obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, morte « mori iussus sis, quomodo dicere poteris iudicare te posse de epi- « scopis, quibus nisi obedieris, iam quantum apud Deum, mortis « poena fueris mulctatus?* De qua Luciferi Calaritani doctrina, « haec pro Ecclesiae libertate contra Constantium imperatorem « scribentis, animadvertendum est, eam ab omnibus eius aetatis « Patribus, atque ab aliis deinceps vehementissime esse com- « mendatam. Qua de re audisse sufficiat S. Athanasium ita ad « eumdem Luciferum scribentem [2]: *Accepimus epistolas et libros « religiosissimae ac sanctissimae animae tuae, in quibus perspeximus « imaginem apostolicam... magisterium veritatis... doctrinam verae « fidei... traditionem integram Patrum nostrorum, regulam rectam « ecclesiastici ordinis... Videris templum Salvatoris qui in te ha- « bitans haec ipsa per te loquitur... Crede mihi, Lucifer, non tu « solus haec locutus es, sed Spiritus Sanctus tecum.* Eadem autem « haec doctrina et universim et perpetuo ab omnibus SS. Pa- « tribus, ceu tradita ab ipsis Ecclesiae primordiis proponitur. « Inter quos memorandus praesertim est Athanasius, epistola ad « Monachos, ubi et eius, et Hosii, et Summorum Pontificum Li-

(1) Migne, P. L., Tom. 13, col. 826.
(2) Migne, P. G., Tom. 26, col. 1184.

« berii ac Iulii, et aliorum habes testimonia (1). Quibus addere « iuvat extra Patrum seriem eiusmodi virum, cuius quidem magis « interfuisset aliter loqui, nisi catholicam veritatem perspectam « habuisset. Ipse est Francorum rex Ludovicus VII, qui de Fri- « derico I imperatore Ecclesiae potestati reluctante ita sapien- « tissime ad evangelii sensum scripsit, quemadmodum videre « est apud Baronium, ann. 1162, n. 10: *An ignorat praedictus « imperator, quod Dominus noster I. C., cum esset in terris, Beato « Petro, et per eum universis successoribus eius oves suas pascendas « commisit?... Numquid sunt hic Francorum reges, vel aliqui « praelati excepti?* Quam quidem doctrinae professionem iam antea « alii reges atque imperatores piissime fecerant. Ex quorum te- « stimoniis notissima haec sunt: Constantini Magni apud Optatum, « Valentiniani I apud Zozomenum, Honorii in eius epistola ad « Arcadium fratrem in causa S. Ioannis Chrysostomi, Valen- « tiniani III in Novella de episcoporum ordinationibus in Codice « Theodosiano etc., etc. » (2).

At regalistae novam invenerunt rationem supprimendi libertatem iurisdictionis ecclesiasticae, quin opus eis esset recurrere ad positivum ius Caesareae potestatis in res religionis; quod quidem ius nimis abnorme forsitan videri posset. Dicunt ergo, ecclesiasticam iurisdictionem in sui exercitio subiici Statui, sin minus per modum quo potestas subordinata subiicitur superiori, at certe per modum quo subest placito proprietarii, quidquid agi non potest nisi in eius fundo agatur. Quippe, ad exercitium publicae iurisdictionis territorium requiritur, et quia nullum est territorium quod a foro civili praeoccupatum non fuerit, consequitur quod absque licentia civilis legislatoris, nullius alius iurisdictionis exercitio remaneat locus. Et Augustinus quidem, Enarr. in Psalm. 86, de iis loquens qui duodecim sedes iudicantium (Matth. XIX-28) materialiter et ad litteram interpretabantur, aiebat: « Si duodecim sellae ibi sunt, « non est ubi sedeat tertius decimus Paulus apostolus, et non « erit quomodo iudicet; et ipse se iudicaturum dixit, non ho- « mines tantum, sed et angelos. Nescitis, inquit, quia angelos « iudicabimus? Responderet ergo turba: Quid te iactas iudica-

(1) Migne, P. G., Tom. 25, col. 691 seq.
(2) Tarquini, Iur. eccl. Instit. n. 45.

« turum ? Ubi sedebis ? Duodecim sedes dixit Dominus duodecim « apostolos. Unus cecidit Iudas, in locum ipsius sanctus Mat- « thias ordinatus est; impletus est duodenarius numerus sedium. « Primo locum inveni ubi sedeas, et sic te minare iudicaturum ». Consimili itaque modo, ad Ecclesiam dicunt isti: Primo locum inveni ubi pedem figas, ubi exerceas potestatem, et postquam inveneris, sic gloriare tanquam de iure imperii. Sed hanc ineptam argumentationem praeoccupavit Christus dicens: Quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis *super terram*. Si enim territorium quaeritur, nullum magis amplum assignare est, quia illimitate tenditur illud *super terram*.

Et re quidem vera, nedum careat Ecclesia territorio, tale territorium habet quale nulli alii societati unquam competere potuit. Territorium enim nunc intelligitur « locus ubi societas « aliqua veluti activae servitutis ius habet exercendi iurisdi- « ctionem suam » (1). Et hoc modo territorium necessario consequitur exsistentiam cuiuslibet legitimae societatis. Hoc modo nihil prohibet quominus eadem regio ecclesiastici simul et politici magistratus territorium exsistat: politici quidem, ut temporalem curet suae societatis finem; ecclesiastici vero, ut finem suum qui est supremus, et cui temporalis subordinatus esse debet, persequatur (2). Nunc autem, notatae superius differentiae Ecclesiam inter et civiles respublicas, duplicem in hac parte praerogativam Ecclesiae afferunt. Nam primo. civilia regna territorium habent fixis quibusdam limitibus ita circumscriptum, ut nunquam extendatur ratione solius emigrationis civium. Et sane, etsi exsistat Parisiis v. g. numerosa communitas Germanorum, non ideo gubernium Transrhenanum potest exercere Parisiis, etiam in suos, iura imperii; nec vicissim gubernium Gallicum in Gallos qui Berolini aut Viennae degunt. At contra, Ecclesiae territorium, in ordine ad propriae iurisdictionis exercitium, non est fixis limitibus constrictum, sed protenditur ad omnia loca ubi reperiuntur baptizatorum communitates. Et ratio discriminis est, quia multae sunt societates civiles, omnes eiusdem ordinis eiusdemque gradus. Necessario igitur iure gentium introductum est ut nulla societas civilis posset exercere etiam in suos imperii

(1) Tarquini, l. c. n. 47.
(2) Id., ibid. n. 47.

iura extra propriae ditionis fines, quia aliter ordini et bono regimini provideri non poterat. Sed non est nisi una legitima societas religiosa, videlicet Ecclesia catholica, et ex consequenti territorium eius limitari nequit, neque per circumscriptiones fori civilis, quia forum civile diversi atque inferioris ordinis est, neque per circumscriptiones alterius fori religiosi, quia hoc aliud forum non exsistit, cum in hoc genere idem sit non exsistere ac non iure exsistere. Atque hinc aliud quoque discrimen exoritur. Nam aliae societates non habent ordinarium et regulare ius sese amplificandi per novarum provinciarum acquisitionem; quo fit ut in eis non sit locus distinctioni territorii in ordine ad exercitium propriae iurisdictionis, et territorii in ordine ad regularem sui dilatationem atque expansionem. Ecclesia autem est essentialiter catholica catholicitate iuris, ac per hoc, pro sui dilatatione territorium habuit vel ab initio mundum universum, iuxta illud Marc. XVI-15: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.*

Undecumque ergo res consideretur, firma manet conclusio de exsistentia, independentia, et summa libertate iurisdictionis ecclesiasticae, non in foro tantum interno de quo adversarii non curant, et nos postea specialiter dicemus, verum etiam in foro externo quod est proprium forum omnis legitimae potestatis per quam his in terris reguntur hominum societates.

§ 3.

Omnes porro rationes quas sumunt adversarii ex natura rei, iam sufficienter fuerunt confutatae. Caeterum, si revera, ut ipsi volunt, coexsistentia fori ecclesiastici et fori civilis in eodem materiali territorio, non obstante diversitate ordinum et finium, impossibilis exsisteret, logica et ineluctabilis consequentia esset, forum civile debere cedere ecclesiastico, potius quam ecclesiasticum civili. Quod nemo tandem non fatebitur, nisi plane atheum aut materialistam se prodat, subordinationemque finis temporalis ad finem ultimum et aeternum voluntaria obcaecatione abneget. Sed absit ut incompossibilia dicamus, ea quae vel simplex naturae ius in harmonica concordia esse iubet. Absit ut concedamus eas potestates sese mutuo excludere, inter quas « quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio,

« quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per « quam anima et corpus in homine colligantur » (1). Sed de hoc, alias.

Ea vero quae *ad hominem* ex evangelio afferunt, nullius omnino consequentiae sunt. Dixit enim Christus regnum suum non esse de hoc mundo, id est, non habere originem ex causis mundanis, aut ordinem ad finem mundanum (2). Ex quo sequitur, regnum hoc non esse in eadem linea cum caeteris regnis terrae, quod non fatemur modo, verum etiam omni ope contendimus. Sequitur, non fuisse opus Christo militibus et armis ad deturbandos prius terrenos reges possessione sua, ut sese deinde loco eorum intruderet. Sequitur denique, violentiam non esse medium ad huiusmodi regnum instituendum, iuxta ea quae consequenter declarantur Pilato: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Sed quid, quaeso, haec commune habent cum potestate iurisdictionis? Numquid potestatem iurisdictionis exercet quis, cum bellum movet quo imperium sibi comparare tentat? Numquid potestatem iurisdictionis exercebat Nemrod robustus ille venator vel latro, quando principium regni sui constituebat Babylonem et Arach et Acad et Chalanne in terra Sennaar? Quippe, potestas iurisdictionis est in eos qui iam subditi effecti sunt, non in eos qui adhuc sunt subigendi. Et si iurisdictionis exercitium non incipit nisi cum regno iam formato, profecto nihil refert cui causae referenda sit ipsa regni formatio, an armorum vi, an successivae et regulari accessioni, an cuilibet alii facto vel humano vel divino. Ergo ex hoc quod regnum Christi neque ex iisdem causis oritur, neque per eadem instrumenta inducitur, ex quibus et per quae oriri ac formari solent regna terrena, nulla, quod sciam, vel specie tenus eruitur ratio in detrimen-

(1) Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei.*

(2) « Hic non ait: Regnum meum non est *in* hoc mundo, sed non « est *de* hoc mundo. Et cum hoc probaret dicens: *Si ex hoc mundo « esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer « Iudaeis,* non ait: Nunc autem regnum meum non est *hic*, sed non « est *hinc*. Hic est enim regnum eius usque in finem saeculi ». August. Tract. 115 in Ioan. n. 2.

tum et minorationem iurisdictionis quae huic regno propria est. Imo vero, quia huiusmodi regnum in mundo utique exsistens, constansque hominibus qui certo certius propriam non exuunt naturam ex quo per baptismum incipiunt pertinere ad ipsum, non mundanum sed supramundanum respicit finem: consequitur plane, oportere esse in eo iurisdictionem quae et ad omnes partes gubernii sese debeat extendere, et praeterea id sibi proprium vindicet, ut in gradu altiori supra omnes iurisdictiones civiles praeemineat. Legitima igitur conclusio verborum Christi ad Pilatum, est e diametro opposita conclusioni adversariorum.

Sed nec melius aliae auctoritates evangelicae intentum demonstrant. Quod enim dixit Christus: *Regnum Dei intra vos est,* non habet sensum illum quem adversarii supponunt, ut iam in superioribus declaratum est, Thes. 1 § 1. Nihil enim aliud his verbis significabatur, nisi quod regnum Messianicum non erat exspectandum quale illud Iudaei adhuc futurum exspectabant, quia iam aderat in medio eorum praesens, idque in persona Messiae qui iam inceperat praedicationem suam. Et licet alius permitteretur sensus de eo quod regnum Dei in internis est, sic etiam nihil, praetereaque nihil, quia ad haec ipsa interna, in quibus sine dubio proximus regni coelorum finis reponitur, necessaria sunt nobis media externa, et praecipue quidem exterior gubernatio, multo adhuc magis quam ad ea in quae ipso naturae instinctu inclinamur et ferimur.

Item nihil ineptius quam adductio locorum in quibus apostoli iubentur ab omni dominatu abhorrere, cum haec evidenter respiciant fastum et superbiam qua quis in potestatis exercitio humanam gloriam temporaliaque commoda quaerit. Denique, quod ait Apostolus, arma militiae nostrae non esse carnalia, profecto verum est, quatenus non ad finem et interesse carnis ordinem habent. Sed quia de hac re amplior redibit sermo ubi de potestate coactiva in speciali, non est nunc insistendum, et iam oportet descendere ad penitiorem considerationem ecclesiasticae iurisdictionis, distinguendo in ea duplicem rationem et modum, secundum quod est primo et principaliter ad ligandum, vel e contra, primo et principaliter ad solvendum. Et ad hoc pertinet sequens propositio.

THESIS XXI.

In tota amplitudine potestatis clavium a Christo institutae duplex distinguitur iurisdictionis modus, pro quanto alia iurisdictio est habens esse completum in Ecclesia, eique competens tanquam causae principali: alia vero est in ea tantum ut in Dei instrumento. — Prior est primo ac principaliter ad ligandum, et quamvis se extendat ad omnem materiam cuius alligatio conducit ad finem regni caelorum, directe tamen ac per se circa solos actus externos versari potest. — Posterior est principaliter ad solvendum. Non tamen ad solvendum instituta aut leges divinas sive naturales sive positivas, sed solum ad solvendum particulares personas a vinculis adhuc connaturaliter solubilibus quae per suos proprios actus in foro Dei contraxerunt.

§ 1.

Omnia quaecumque in superiori propositione declarata sunt, huc directe spectabant, ut contra errorem nostris praesertim temporibus late grassantem, ostenderetur Ecclesiam habere forum sibi proprium, externum quidem ac publicum, sicut suum habet societas civilis; et vanam esse atque inanem omnem oppositionem desumptam ex hoc quod finis Ecclesiae sit interior et spiritualis, quandoquidem ad spiritualia potissimum, et multo magis quam ad temporalia, exteriori gubernatione homines indigeant. Proinde pronum fuit concludere quod ea quae per potestatem legislativam et omnes attributiones annexas in hoc proprio Ecclesiae foro disponuntur, ordinantur quidem ad finem supernaturalem et ad internum animarum bonum, « non tamen « immediate operando illud, sed media honestate actuum exter« norum circa quos proxime versantur » ([1]).

At vero, praeter proprium Ecclesiae forum, est etiam proprium forum Dei, quod forum internum dicitur, vel etiam forum conscientiae. Forum Dei, inquam, in quo viget lex divina ut divina, et eiusdem divinae legis obligationes contrahuntur; in

([1]) Suarez, de legibus, l. 4, c. 12, n. 10.

quo etiam incurritur reitas culpae moralis seu peccati, cum consequente reatu poenarum futurae vitae (1). Porro, iurisdictionem Ecclesiae sese ad hoc quoque Dei forum aliqualiter extendere, indubia veritas est. Id enim attestatur dogma catholicum de poenitentiae sacramento. Id iterum confirmat praxis, solemni etiam Conciliorum definitione quandoque sancita (2), solvendi certas obligationes quae sine dubio iuris divini obligationes sunt. Et quidam satis implicantur in explicatione huius praxis, non attendentes quomodo non sit difficilius concipere solutionem obligationum iuris divini per Ecclesiae claves in certis conditionibus infra determinandis, quam solutionem illam quae quotidie fit in tribunali poenitentiae. Quae enim maior solutio ligaminum iuris divini, solutione culpae et reatus poenarum aeternarum? Verumtamen, id saltem perspectum esse debet, quod iurisdictio quae Ecclesiae collata est in proprio eius foro exercenda, non potest esse eiusdem omnino rationis cum ea quae exercetur in proprio ac reservato foro Dei. Et hinc ducimur ad distinguendum duplicem illum iurisdictionis modum de quo in priori propositionis parte sermo est.

Porro, in hoc iuvamur analogia quadam in causis efficientibus inventa, in quibus duplex virtus solet distingui: nempe virtus quae est propria agentis virtus, et virtus quae dicitur instrumentalis. Et haec distinctio praesenti materiae proportionaliter applicata, satis apte discriminat utramque iurisdictionis rationem quae in Ecclesia est agnoscenda. Sed ponderandi sunt distinctionis termini ne detur aequivocationi locus. — Nota igitur quod virtutis propriae nomine nunc intelligitur omnis virtus effectui proportionata, habens esse completum in agente, sive sit virtus naturalis, sive sit virtus ex dono gratuito data. Unde per virtutem propriam non intelligitur praecise virtus quam

(1) Nota bene quod de ratione *moralis culpae* seu peccati est, ut sit contra legem divinam, eo modo qui declaratus est in tractatu de Peccato personali, Introd. § 3-5. Proinde transgressio legis humanae, sive ecclesiasticae sive civilis, non est peccatum nisi quia et in quantum est simul transgressio legis divinae quae iubet ut legitimorum superiorum iustae ordinationes serventur. Et ideo, quisquis legem humanam violat, iste tam in foro externo humani legislatoris, quam in foro interno Dei et conscientiae, respectivum reatum incurrit.

(2) Trident. Sess. XXIV, can. 6.

agens habet a se; neque etiam sola illa virtus quae fluit vel fluere potest ex principiis essentiae; neque iterum sola virtus quae inamissibiliter manet, quia quod virtus aliqua non permaneat, potest esse per accidens, ex hoc scilicet quod contingit subiectum non esse amplius susceptivum eius, sicut cum homo peccat mortaliter, et propter dispositionem contrariam gratiae amittit gratiam quae de se erat perenniter permansura. Itaque virtus propria intelligitur ea quae sive fluens ex principiis essentiae, sive supernaturaliter indita, ita perfecte subiecto inest, ut subiectum per eam constituatur in ratione causae principalis respectu effectuum ad quos virtus praedicta ordinatur. Virtus vero instrumentalis generatim illa est quae quoad suam radicem minime fixatur in subiecto, sed est in eo solummodo per modum fluentis ab alio cuius instrumentum fit, sicut potestas miraculorum in thaumaturgo, vel virtus significativa in syllabis quae formantur in voces. — Hac igitur explicatione praemissa, facile declaratur intentum, quia iurisdictio proprii fori comparatur virtuti propriae habenti esse completum et perfectum in subiecto. Unde sequitur quod ex ea procedit quidquid ut causa principalis vel ligat vel solvit Ecclesia. Iurisdictio vero fori interni comparatur virtuti instrumentali non habenti esse completum in instrumento, eo quod ex natura rei in solo Deo esse potest tanquam in Ordinario, si ita loqui fas sit, id est, tanquam in principali iudice cui iudex homo pure ministerialiter sive instrumentaliter deservit.

Manifestum itaque est, et ex praemissis notionibus satis superque constat, quod discrimen inter utrumque modum nequaquam consideratur secundum receptionem vel non receptionem immediatam potestatis a Christo, neque iterum secundum diversitatem ordinis vel naturalis vel supernaturalis. Nam sicut in anima Christi, tam propria virtus gratiae quam instrumentalis potestas miraculorum erat immediate a Deo accepta, et ad supernaturalem ordinem pertinens, ita prorsus in Ecclesia, uterque iurisdictionis modus ordinis supernaturalis est, et aequaliter clauditur in divina institutione quam verba evangelica exprimunt: *quaecumque alligaveritis,* etc. Sed discrimen totum est penes diversam essendi rationem, cui respondet diversus exercitii modus et diversa materiae assignatio, prout nunc per partes paulo distinctius declarandum venit.

§ 2.

Prior consideratio esse debet de iurisdictione quam Christus contulit Ecclesiae in proprium, et primo de actu, secundo de materia eius.

Quod attinet ad actum, dico iurisdictionem hanc esse primo et principaliter ad ligandum, et quidem ligamine legis. Ratio est in promptu. Nam omne iurisdictionis exercitium in ligando et solvendo adaequate reponitur. Nunc autem nemo solvere potest *propria sua auctoritate,* nisi id cuius alligatio a propria pariter auctoritate dependet; et hoc modo (loquendo de iurisdictione quae subiecto inest tanquam causae principali), omnis solvendi potestas ad potestatem ligandi consequitur. Rursus potestas ligandi primo et originaliter in potestate legifera consistit, quia ligatio ad poenam esse non potest nisi praesupposita ligatione ad aliquid vel agendum vel omittendum, quae est per legem. Ergo a primo ad ultimum, iurisdictio quam in proprio suo foro exercet Ecclesia, est per prius ad ligandum ligamine legis.

De materia autem in qua haec eadem ligandi potestas versatur, generatim dicendum quod est omnis materia in qua esse potest ratio medii ad finem regni coelorum. Constat ex verbis Christi ad Petrum: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram* (utique in proprio ordine regni cuius claves tibi traduntur), *erit ligatum et in coelis.* Subintelligitur tamen ex natura rei limitatio inhaerens omni potestati quae hominibus in proprium datur, et ab hominibus in proprio eorum foro est exercenda. Nam etsi lex ecclesiastica illa sit quae per potestatem supernaturalem fertur, adhuc tamen statuitur per potestatem quae propria hominum effecta est, iuxta declarationes superius traditas § 1. Est igitur de iis solis quae humanae providentiae subsunt, et in summa, intra fines legis humanae continetur, prout lex humana condividitur a divina [1]. Sensus

[1] Ad rem Suarez, l. 1, de legibus, c. 3: « Praeter has (leges civiles) christiana religio recognoscit leges ecclesiasticas seu canonicas, « quas aliqui non humanas, sed divinas vocant, eo quod ab speciali « potestate a Deo specialiter data deriventur, et ad supernaturalem

itaque est: Tibi dabo claves regni coelorum, ut habeas potestatem ligandi quidlibet super terram in ordine ad finem huius regni, idque intra eam latitudinem quae in quocumque ordine homini legislatori semper assignatur (1). Nihil igitur superest nisi ut declaretur, quinam illi limites sint intra quos semper continetur ex natura rei propria hominum iurisdictio, sive sit ordinis naturalis, sive supernaturalis quoad finem atque originem.

Porro prima limitatio in hoc est, quod legi humanae soli actus externi *per se et directe* subiiciuntur. Nam illa sola per se et directe sub potestate hominis legislatoris cadunt, ad quae humana providentia se extendit, et de quibus potest homo iudicare (2). Atqui homo videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor, ut dicitur 1 Reg. XVI-7. Et ideo Apostolus prohibet horum iudicium, dicens 1 Cor. IV-5: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus qui manifestabit consilia cordium,* etc. Quod autem nulla sit in praesenti admittenda exceptio pro lege ecclesiastica, diserte apparet ex facto. Nam si lex ecclesiastica posset per se ac directe in actus interiores, possent quoque pro actibus pure internis esse censurae et excommunicationes latae saltem sententiae, id est, ipso facto

« finem referantur. Re tamen vera humanae sunt... Et ratio est quia « per voluntatem humanam proxime constituuntur, licet a civilibus differant in potestate a qua proxime manant, et in fine, et in materia, « ut postea videbimus ». Et infra, l. 3, in Prooemio: « Lex humana « in civilem et canonicam distinguitur... Inter eas vero notari potest « differentia, quia lex civilis est mere naturalis ordinis quoad suam « originem et potestatem... At vero lex canonica proprie est illa quae « ab hominibus fertur per potestatem supernaturalem ».

(1) Caeterum, quia huic potestati annectitur infallibilitas exercitii, hoc sensu scilicet quod suprema potestas legifera in Ecclesia, ex assistentia Dei habet ut non possit a sua legitima materia unquam exorbitare. quidquid *de facto* ligatur ab hac suprema potestate, *iure etiam* ligatur. Et ideo, etsi potestas ligandi non sit illimitata quoad ius, verificatur nihilominus ad litteram id quod dixit Christus: ligatum et ratihabitum fore in caelis, quidquid per supremam potestatem ecclesiasticam de facto ligabitur in terris. Ibi ergo a facto ad ius valet illatio, quae certe illatio alibi non valet.

(2) S. Thom. 1-2, Q. 91, a. 4; et Q. 100, a. 9.

incurrendae et citra omnem sententiam *ab homine.* Et ratio est quia quidquid a lege directe prohiberi potest, per legem etiam potest puniri. Sed nihil magis contrarium certissimis principiis iuris canonici, quam quod poena fori ecclesiastici incurratur unquam ratione delicti per se occulti (1), id est mere interni. Quin imo, quoties in aliqua materia adiungitur obligationi legis divinae obligatio legis ecclesiasticae, expressa doctorum sententia est, quod obligatio ista, praecise in quantum superadditur obligationi divini iuris, non afficit directe nisi actum externum. Hinc in Bulla *Ineffabilis,* post dogmaticam definitionem immaculatae conceptionis Deiparae, signanter dicitur: « Si qui secus ac « a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint « corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio iudicio « condemnatos naufragium circa fidem passos esse..., *ac praete-* « *rea, facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod* « *corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo* « *significare ausi fuerint* ».

Dixi tamen, solos actus externos cadere *per se et directe* sub propria potestate ligandi Ecclesiae. Minime enim diffitendum est quin sub obligatione legis cadant *indirecte et concomitanter* omnes actus interni qui cum externo coniunguntur tanquam necessarii ad eius validitatem, vel ad eius honestatem, vel ad eius esse morale. Ad validitatem quidem, sicut intentio in confectione sacramentorum; ad honestatem vero, sicut dolor de peccatis in confessione; denique ad esse morale, sicut animus orandi potius quam addiscendi vel refricandi memoriam in horarum canonica.

(1) Nota distinctionem inter occultum per se et occultum per accidens. « Si quis incidit in haeresim interius, et solus secum loquendo « verbo exteriori profert submississime illam haeresim, est excommu- « nicatus, quamvis sit omnino occultus, quia actus exterioris locutionis « subiacet humano iudicio secundum se, quamvis careat testibus... Et « ex inadvertentia huius distinctionis, scilicet de occulto per se et oc- « culto per accidens, multi in hac re erraverunt... Actus enim interio- « res puri sunt in genere occultorum per se, quia ex propria natura « habent quod sint iudicio humano ignoti. Actus autem exteriores sunt « de genere occultorum per accidens, quia ex propria natura subsunt « cognitioni humanae; possunt namque sensibus percipi, sed ex hoc « quod fiunt sine teste, occulti sunt ». Caietan. Tract. 1, de auctoritate Papae et Concilii, c. 19.

rum recitatione. Et ratio est quia legislator ecclesiasticus praecipit actus externos ut sunt conducentes ad finem regni coelorum, adeoque ut sunt validi, honesti, et morales. Hinc necesse est ut sub obligatione legis veniant actus etiam interni qui ad hoc requiruntur. Quanquam sub dicta obligatione non veniant per se et ratione sui, sed ratione actus externi tantum, et ideo non obstat quod de his nequeat homo iudicare, quia non oportet ut potestas punitiva legis humanae se extendat ad omnia quae solum indirecte et concomitanter ab ea praecipiuntur.

Altera quoque limitatio est, quod lex humana non potest omnia quae male fiunt prohibere, sed solum graviora, et praecipue quae sunt in aliorum nocumentum. Nec potest indiscriminatim praecipere omnia quaecumque habent de se ordinem ad finem, sed solum ea quae sunt magis necessaria (praesertim ad bonum commune), vel saltem facile portabilia ab hominum multitudine cui lex imponitur. Ratio est quia omnis lex humana viget in foro externo, in quo quidem non expedit prohibere omnia mala, quia inde sequeretur quod multa etiam bona tollerentur, et impediretur utilitas boni communis quod est necessarium ad humanam conservationem (1). Sed et multo minus expedit iubere omnia bona, quia imperfecti qui sunt maior pars multitudinis hominum, huiusmodi praecepta ferre non valentes in deterius abirent, iuxta illud quod dicitur Prov. XXX-33: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem,* et Matth. IX-7: Si vinum novum, id est praecepta perfectae vitae, mittatur in utres vetores, id est in homines imperfectos, utres rumpuntur et vinum effunditur, id est, praecepta contemnuntur, et homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt (2). Unde Augustinus, lib. 1 de lib. arb. c. 5: « Videtur ergo mihi, et legem istam quae populo regendo scribitur, recte ista permittere, et divinam Pro-
« videntiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi haec lex populi
« assumit..., quanta possunt per hominem regi. Illae vero culpae
« alias poenas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse
« liberare sapientia ». — Verum de his in materia de legibus amplior habetur explicatio.

(1) S. Thom. 1-2, Q. 91, a. 4 in corp. — Cf. etiam, de Matrimonio, Thes. 42 ad 4^{um}.

(2) S. Thom. 1-2, Q. 96, a 2 ad.

Nunc autem, iis suppositis limitibus qui ex natura rei circumscribunt omnem potestatem legiferam hominibus datam, nulla omnino materia est ad finem regni coelorum ordinem dicens, circa quam pleno iure non exerceatur ligandi potestas in Ecclesia. Nec in praesenti valet distinctio inter ea quae iuris divini sunt, vel secus. Nam etsi iurisdictio ecclesiastica non respiciat ea quae sunt iuris divini formaliter ut talia, adhuc tamen respicit illa materialiter et identice: pro quanto scilicet, id quod est iure divino vel iussum vel prohibitum, potest per legem quoque ecclesiasticam vel iuberi vel prohiberi, sicut per ipsam legem civilem in ordine ad finem felicitatis temporalis prohibentur multa a quibus interdicit lex divina, puta homicidia, furta, et alia huiusmodi. In hoc ergo, alia ratio est de potestate ligandi et de potestate solvendi, quia inferior nusquam potest propria auctoritate solvere quod superior ligavit, sed bene potest ligare in suo proprio foro, quod ligatum est et ligatum manet in foro superiori. Et sic est de lege fidei v. g., et pluribus aliis, quae cum sint leges divinae, fiunt simul leges ecclesiasticae, et ex consequenti sanciuntur censuris caeterisve poenis fori externi, a quibus propria auctoritate absolvit Ecclesia, sicut propria pariter auctoritate inducit legis obligationem, non praecise ut divini, sed ut ecclesiastici iuris est.

Et hactenus quidem de iurisdictione quae in Ecclesia est tanquam in causa principali.

§ 3.

De iurisdictione autem instrumentali dicendum quod non est ad ligandum ligamine legis. Haec enim iurisdictio non versatur nisi in iis quae cum ad iurisdictionem Dei propriam pertineant, adhuc tamen aliquod Ecclesiae ministerium requirunt. Porro leges divinae *reduplicative ut tales,* de integro continentur in deposito revelationis, et nullo interposito ligandi ministerio, vim suam obligativam immediate exserunt. Unde consequens est quod in hac parte nihil aliud Ecclesiae relinquatur praeter munus custodiendi, proponendi, et interpretandi; quod quidem munus ad potestatem magisterii, non vero ad potestatem iurisdictionis noscitur pertinere. Sed si iurisdictio de qua nunc sermo, minime est ad ligandum ligamine legis, restat ut sit principaliter ad solvendum. Si autem ad solvendum, vel ad solvendum leges ipsas a Deo

latas, vel ad solvendum ligamina quae ratione divinae legis, ac per hoc, in proprio Dei foro, a particularibus personis incurruntur. Atqui primum debet evidenter excludi, tum propter universalem traditionem Ecclesiae quae perpetuo professa est se nihil posse in ipsas leges divinas, tum propter rationem quae facile deducitur ex verbis Domini ad Petrum: *Tibi dabo claves regni coelorum..., et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Ibi enim traditur Petro potestas solvendi in ordine ad finem regni coelorum, sed non potestas solvendi regnum coelorum. Quid autem sunt leges divinae, nisi ipsissima regni coelorum constitutiva, cum formaliter importent ordinationem hominum sub Deo fine supernaturali, in qua propria regni coelorum ratio reponitur et constat? Ergo leges istae solvi nequeunt per quamcumque potestatem, sive principalem sive instrumentalem, per quam regnum coelorum administrari debet, non destrui. Unde tandem superest ut instrumentalis iurisdictio quae nunc in considerationem venit, solum esse possit ad solvendum ligamina quae ratione divinae legis in particularibus personis inducuntur, videlicet vel ligamina obligationum quae incurruntur ratione subiectionis ad legem, vel ligamina culparum quae incurruntur ratione violationis legis. De utroque genere aliquid specialiter annotandum.

In primis, quod ad obligationes attinet, distinctione opus est. Quaedam enim sunt quae immediate a lege divina oriuntur, independenter ab omni praevia determinatione humanae voluntatis, et de his non est dubium quin prorsus subtrahantur ab Ecclesiae potestate. Pertinent enim ad ipsam generalem constitutionem regni coelorum, cuius solutio sive ex toto sive ex parte, ut mox dictum est, nequit omnino Ecclesiae competere. Sed quaedam aliae obligationes sunt quae etsi in virtute divinae legis contrahantur, adhuc tamen introducuntur per proprium actum voluntatis hominis, sicut obligationes voti, iuramenti promissorii, vel contractus sacri. De quibus specialis ratio est in ordine ad dispensandum, quia oportuit occurrere defectui humanae deliberationis quae non potest omnia circumspicere, nec praevidere omnes circumstantias in quibus contingit ut minus expediens fiat obligatio illa quam spontanea sui liberi arbitrii determinatione ipse homo assumit in se. Et ideo, etsi haec obligationum ligamina in foro Dei sint contracta, possunt nihilominus solvi per

ministerialem potestatem quae in Ecclesia est, prout ex verbis evangelicis (Matth. XVI-19, XVIII-18) perpetua traditio perpetuusque ipsius Ecclesiae usus intellexit. Possunt, inquam, solvi; sed sub certis conditionibus. Semper enim requiritur ut sit salvus ordo iustitiae. Requiritur insuper ut intercedat causa iusta et proportionata, quae ad ipsam validitatem actus est necessaria, quoties ex puro ministerio aliquis dispensat in lege non sua. Requiritur demum ut obligatio per specialissimam dispositionem non fuerit evecta ad eam conditionem in qua non est amplius connaturaliter solubilis. Et hoc ultimum dico propter obligationem matrimonii rati simul et consummati, ut in proprio tractatu late declaratum invenies.

Nunc autem praecipua materia in qua ex instituto Christi versatur ministerialis Ecclesiae iurisdictio, ipsa sunt ligamina peccati quae ingressum supernae beatitudinis ita impediunt, ut eorum solutio sit ad finem regni coelorum omnino necessaria. Sed haec in materia de sacramento Poenitentiae fuerunt ex professo exposita, et ideo nulla ampliori declaratione in praesenti indigent. Solummodo nota quod etsi iurisdictio fori sacramentalis sit tum ad ligandum tum ad solvendum, adhuc tamen principaliter et per prius est ad solvendum. Nam processus iudicialis suam terminationem habere nequit nisi per sententiam efficacem remissionis seu solutionis, et sententia retentionis hunc solum effectum habet ut liget poenitentem ad sistendum se denuo, usquedum absolutio concedatur. Et simili quoque modo, ligatio ad satisfactionem sacramentalem tota est in ordine ad solutionem vinculorum peccati quantum ad poenam temporalem. Vere ergo dictum est in thesi, quod instrumentalis Ecclesiae iurisdictio est principaliter ad solvendum, et quidem ad solvendum ligamina illa quae non a lege ecclesiastica, sed a lege divina, sensu et restrictione hactenus declaratis, dependent.

Quia igitur, uti mox dictum est, in aliis theologiae locis tanquam in sede propria de praefata potestate iurisdictionis ministerialis ex professo pertractatur, nihil erit addendum iis quae nunc de ea compendiose dicta sunt. Sed disputatio nostra abhinc et deinceps, ad iurisdictionem fori externi exclusive restringi debet: pro quanto scilicet, post considerationem de eius natura et obiecto in generali, veniendum est ad considerationem de singulis eius partibus magis in speciali, praesertim vero de po-

testate legislativa, administrativa, et coactiva; nam ea quae iudiciariam potestatem spectant, peculiarem expositionem in theologia non requirunt.

THESIS XXII.

Legislativa Ecclesiae potestas pro materia habet tam res fidei et morum, quam res disciplinae. Sed in rebus fidei et morum obligatio legis ecclesiasticae adiungitur obligationi iuris divini; in materia vero disciplinae tota obligatio iuris ecclesiastici est. Semper tamen exercitio supremae potestatis legiferae annectitur infallibilitas, pro quanto ex Dei assistentia habet Ecclesia ut nunquam possit statuere disciplinam quae sit opposita regulis fidei et evangelicae sanctitatis.

§ 1.

Dictum est supra, quod res fidei et morum appellantur ea quae directa intentione a Deo revelata, in deposito ab apostolis tradito continentur. Quorum haec est distinctio, quod alia divinitus praecipiuntur tantummodo credenda, alia vero non modo credenda, verum etiam practicanda, eo quod regulam morum exhibeant quae et fide teneri debet, et opere adimpleri. Nunc igitur, quod ad utramque hanc materiam sese extendat legifera Ecclesiae potestas, dupliciter potest demonstrari.

Demonstratur primo ex his quae declarata sunt in propositione praecedenti. Nam ligandi potestas in Ecclesia minime restringitur ad ea sola quae iure divino praescripta non sunt, cum nihil sane prohibeat quominus inferior in suo proprio foro liget ea quae lege superiori ligata iam exsistunt. Hinc omnis materia quae ordinem habet ad finem regni coelorum, propria materia est in qua legifera potestas Petro et apostolis a Christo collata pleno iure exercetur, omnia interim intelligendo secundum explicationes datas superius. Sed in iis quae ad finem regni coelorum ordinem habent, principem locum profecto obtinent ea quae dicuntur res fidei et morum. Ergo circa ea, et quidem per prius, versatur legislativa potestas quae in Ecclesia est. — Idem quoque constat ex facto. Nam certe, quidquid sub interminatione

poenarum fori ecclesiastici vel iubetur vel prohibetur, lege etiam ecclesiastica iubetur aut prohibetur. Semper enim poena legi respondeat necesse est, et sicut poenis futurae vitae sancitur divina lex, ita poenis ecclesiasticis lex ecclesiastica, civilibus civilis, atque ita porro. Nunc autem, quisquis percurrerit catalogum censurarum, statim videbit eas decerni in utraque materia fidei et morum, sicut patet in excommunicationibus latis contra haereticos, schismaticos, duellantes, simoniacos, procurantes abortum, etc.

Caeterum, evidens per se est quod legi divinae nihil deperit si fiat simul lex ecclesiastica. Immobilis enim atque intacta per omnia manet obligatio quae est ex iure divino, et solum adiungitur obligatio iuris ecclesiastici, ut iam in thesi superiori adnotavimus. Neque hoc otiosum atque supervacaneum censeri debet, praesertim quia ratione adiunctae obligationis homo fit obnoxius correctioni et coactioni Ecclesiae; quae quidem correctio, vel praeventive deterrendo, vel consecutive puniendo, multum iuvat ad salutis finem et evitationem poenarum futuri saeculi ob violatam Dei legem incurrendarum. Denique, eadem est in praesenti ratio ac pro ipsa lege civili, de qua nemo dicet quod frustra prohibet furta vel homicidia, hoc scilicet nomine quod ista per decalogum iam vetita intelliguntur.

§ 2.

Verum non omnia quae ad fidelium operationem dirigendam necessaria esse possunt, in deposito divinarum legum continentur. Et vere, in humanis societatibus duo genera institutorum solent distingui. Primum genus comprehendit omnia quae sunt immutabilia et fundamentalia. Alterum genus se extendit ad eas fundamentalium determinationes quae pro variis temporum seu etiam locorum adiunctis, societati semel constitutae et in eadem sociali forma permanenti, vel necessariae sunt vel utiles. Divinae itaque leges, sive quae continent ius tam naturale quam connaturale gratiae, sive quae praestituunt positivam Ecclesiae organizationem simul cum substantia cultus in sacrificio et sacramentis, ad primum genus pertinent. Alia vero omnia quae proprio nomine dicuntur *res disciplinae,* determinationi praelatorum fuerunt simpliciter et absolute permissa, ita scilicet ut non solum

adiuncta sanctione legis ecclesiasticae communiri possent, sed primo et per se ex huius legis praescripto obligatoria efficerentur.

Ibi ergo amplissimus est campus legiferae potestati relictus, in materia liturgica, administrativa, contentiosa, ascetica etc., prout apparet ex disciplinaribus decretis Conciliorum, bullis Pontificum, et codice iuris canonici. Ibi quoque elucet quam maxime differentia inter Ecclesiam et Synagogam. Nam Synagoga instituebatur ad certum tempus, et pro uno populo tantum: ad certum tempus, usquedum veniret fides quae revelanda erat, ut dicitur Gal. III-23; pro uno populo tantum, in quo etiam vinculum politicum coincidebat cum vinculo religioso. Unde non fuerunt in Synagoga diversissima illa elementa quae summam elasticitatem in organismo sociali requirunt, et non patiuntur quoad dispositiones disciplinares eam inflexibilitatem seu immobilitatem quae institutionibus iuris divini propria est. Accedit quod Synagoga erat serva, figurata per Agar, cui ex consequenti cuncta in individuo usque ad minutas cultus caeremonias debuerunt praescribi. Sed Ecclesia, cum sit domina, et libera, et in sinu suo omnes terrae cognationes usque in saeculi finem comprehendens, longe diversae conditionis est. Et in hoc praecise cernitur mirabile legis christianae temperamentum, consentaneum destinationi eius ad universitatem populorum, quod praeter praecepta tum naturalia tum connaturalia gratiae, paucissima habet instituta positiva ab ipso Christo orta, quae ab omnibus, quae ubique, quae semper debent observari (1); reliqua vero omnia ad communitatis administrationem necessaria relinquit ecclesiasticae auctoritati pro variis temporum circumstantiarumque exigentiis ordinanda.

(1) « Populus timore constrictus tempore servitutis in Veteri Lege « multis sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile erat ad desi- « derandam gratiam Dei, quae per prophetas ventura canebatur. Quae « ubi venit, ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto a quo in liber- « tatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, « quae societatem populi christiani, hoc est sub uno Deo liberae mul- « titudinis, continerent. Multa vero quae populo Hebraeo, hoc est sub « eodem uno Deo compeditae multitudini imposita erant, ab actione « remota sunt, in fide atque interpretatione manserunt. Ita nunc nec « serviliter alligant, sed exercent liberaliter animum ». August. De Vera Relig. c. 17.

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY CALIFORNIA

At cum in rebus disciplinae tota obligatio iuris ecclesiastici esse dicitur, nequaquam consequens est quod obligatio ista non sit in conscientia. Et ratio iam fuit in superioribus indicata, quia ipsa lex divina iubet ut legitimarum potestatum praescripta serventur. Cum tamen non iubeat immediate, sed solum supposita exsistentia legis humanae, qua ablata iam nihil, ideo haec duo inter se optime conciliantur: et quod obligatio ipsam conscientiam obstringat, et quod nihilominus iuris humani vel ecclesiastici et dicatur et sit.

§ 3.

De infallibilitate autem in rebus disciplinae breviter notandum quod tota est sita in hoc, quod ex Spiritus Sancti assistentia habet suprema Ecclesiae auctoritas ut nunquam possit concedere leges quae revelatis regulis fidei et morum sint quomodolibet oppositae. Id paucis expressit Pius VI in Bulla *Auctorem fidei*, ad propositionem 78 Pistoriensium: « Praescriptio Synodi de « ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam « praemisit, in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet « ad fidem et ad essentiam religionis ab eo quod est proprium « disciplinae, subiungit, in hac ipsa disciplina distinguendum « quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, « ab eo quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum « novi foederis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum « aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materiali- « smum: quatenus pro generalitate verborum comprehendat et « praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia « constitutam et probatam, *quasi Ecclesia quae Spiritu Dei re-* « *gitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et one-* « *rosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam,* « *noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum:* falsa, « temeraria, scandalosa, perniciosa, Ecclesiae ac Spiritui Dei quo « ipsa regitur iniuriosa, ad minus erronea ».

Argumentum autem in primis desumitur ex demonstrata superius Ecclesiae sanctitate. Sanctitas enim principiorum in Ecclesia est ex integra causa, et non est qualiscumque sanctitas, sed sanctitas in vera fide fundata, quae normam ac regulam habet in Christi evangelio. Nunc autem leges disciplinares sunt

quaedam socialia principia per quae suum influxum in propria membra exserit Ecclesia. Si igitur necesse est ut ipsa sit sancta sanctitate principiorum, fieri nunquam poterit ut disciplina ab ea constituta et probata contrarietur regulis fidei et quibuslibet normis in evangelio praestitutis. Ex quo manifeste sequitur Ecclesiam esse infallibilem in statuenda disciplina, sumendo nunc infallibilitatem in sensu paulo supra declarato. — Accedit quod ex verbis Christi, Matth. XXVIII-20, non minus infallibilis exhibetur Ecclesia in concreta et practica interpretatione revelationis, quam in eius interpretatione dogmatica: *docentes eos,* inquit, *servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum,* etc. Quod sane verum non esset, si per Ecclesiae leges possent aliquando amoveri fideles a rectitudine regulae evangelicae (1). — Huc etiam facit quod Matth. XVI et XVIII, absolute asseritur fore ligatum in coelo, quidquid in terra ligaverit Ecclesia. Nunquam enim in coelo ratihabetur id quod in terra contra ius divinum quacumque ratione et modo praescribitur.

Et eadem infallibilitatis ratio valet quoad usus et consuetudines universalis Ecclesiae. Unde solet Augustinus ex eis sumere argumenta ad confirmationem dogmatum, hoc scilicet nixus principio, quod regulae fidei nequaquam dissonae esse possint. Sic confirmat dogma peccati originalis ex usu baptizandi infantes: « Quid ergo, inquit Serm. 293, n. 10, et infans indiget liberatore? « Plane indiget..... Testis est ipsa mater Ecclesia suscipiens parvulum abluendum..... Quis audet dicere testimonium contra « tantam matrem? ». Et l. 1 c. Cresc. n. 38, confirmat valorem baptismi ab haereticis collati, ex antiqua consuetudine Ecclesiae non rebaptizandi eos qui ex haeresi ad Catholicam accedebant: « Neque enim, inquit, parvi momenti habendum est, quod... hoc « per universam Catholicam quae toto orbe diffunditur observari « placuit, quod tenemus ». Et alibi, epist. 54, n. 6, insolentissimae insaniae esse dicit, disputare an sit approbandum id quod tota per orbem frequentat et servat Ecclesia.

(1) Hoc argumentum proportionaliter translatum ad regulam *evangelicae perfectionis,* ostendit quoque infallibilem esse Ecclesiam in approbatione *Religionum*, ut constans atque unanimis Doctorum sententia fert.

THESIS XXIII.

Ex praemissis consequitur quod Ecclesiae administrationi et regimini in societate christiana specialiter subiicitur iuventutis institutio atque educatio, necnon et librorum impressio, editio, et lectio, in ordine ad puritatem fidei et morum integritatem.

Propositio est merum corollarium praecedentium, quia ei auctoritati competit potestas efficaciter providendi incolumitati fidei et morum, cuius tutelae et iurisdictioni tam quae ad fidem quam quae ad mores pertinent, fuerunt divina dispositione commissa. Haec autem auctoritas in societate baptizatorum, auctoritas est ecclesiastica. Consequitur ergo quod providentiae et regimini eius specialiter subiiciuntur ea a quibus maxime pendet sive fidei conservatio, sive christianorum morum integritas. Sed et nemini dubium erit quin totius fere negotii summa in educatione iuventutis et perniciosorum repressione librorum reponatur. Ergo a primo ad ultimum relinquitur dicendum quod Ecclesiae regimini in societatibus christianis specialiter subest tum iuventutis utriusque sexus institutio, tum librorum impressio, editio, et lectio, pro quanto scilicet ratio spiritualis finis in iis involvitur. — Sed nunc generali argumento placet speciales adiicere rationes quoad utrumque praedictorum.

§ 1.

Et primo quidem, quantum ad ius in institutionem christianae iuventutis, manifesta occurrit ratio theologica. Nam sub Ecclesiae regimine est matrimonii sacramentum. Si autem sacramentum, ergo et illud ad quod sacramentum qua tale, tanquam ad proprium ac principalem finem ordinatur. Sed principalis huius sacramenti finis est proles educanda in cultum Dei, ad perpetuitatem Ecclesiae quae in fidelium collectione consistit [1]. Ergo regimini ecclesiastico subiaceat necesse est ipsa susceptae prolis institutio. — Praeterea, tanta est vis baptismi quo puer eccle-

[1] S. Thom. l. 4 c. Gent. c. 78.

siasticae unitati aggregatur, ut quocumque modo collatus, etiam indebite et contra infidelium parentum voluntatem, puerum ipsum constituat sub Ecclesiae tutela ac iurisdictione, et ita quidem constituat, ut si christianae eius educationi aliter provideri non possit, penes Ecclesiam ius sit et officium subtrahendi eum etiam a paterna potestate, uti alias in tractatu de baptismo ostensum est (1). Multo igitur magis Ecclesiae regimini subiacet institutio pueri baptizati, quando iuxta regularem naturae cursum et ordinem per parentes christianos est perficienda.

Hic autem animadvertas velim omnimodam differentiam quae in materia educationis attendi debet inter Statum et Ecclesiam. Quippe, principium sanctum et inviolabile est, attributiones socialis auctoritatis esse mensurandas secundum exigentiam boni quod est finis societatis. Hoc autem bonum semper requirit ut non temere ac promiscue in rebus privatorum sese ingerat socialis potestas. Omnis enim societatis ratio in eo stat, ut homines collatis viribus id obtineant quod soli obtinere non possent; et ad hoc necesse est ut iuvetur quidem atque intra debitos limites contineatur activitas individuorum, minime vero annulletur aut contra naturae ordinem opprimatur. Sicubi ergo per naturam ipsam sive individuis sive familiis provisum est satis, ibi non debet sese immiscere publica administratio. Et quia in educatione puerorum, qua parte ad ultimum beatitudinis finem refertur, Status non habet ullum ius proprium; quia insuper educationi eorumdem secundum quod ad temporalem vitam ordinandam confert, fuit abunde provisum a natura, sequitur quod educatio iuventutis subtrahitur a iurisdictione civili, cui unum officium restat cohibendi excessus paternae potestatis, iuraque filiorum contra monstra parentum protegendi. Verumenimvero, quia in praesenti statu naturae elevatae requiritur prae primis institutio in religione supernaturali, cuius procuratio et magisterium fuerunt Ecclesiae concredita: hinc est quod in hac parte educatio filiorum non devolvitur parentibus nisi dependenter ab Ecclesiae regimine et suprema directione. Haec autem dependentia est directa, secundum quod educatio primo et principaliter consistit in formando cultorem Dei, seu hominem christianum in quantum huiusmodi. Est solum indirecta quoad litterariam et scientificam

(1) Cf. de Sacram. Tom. 1, Thes. 28.

institutionem, ne scilicet eius occasione aliquid detrimenti capiat religionis et morum disciplina (1).

His argumentis quae ex natura rei deducuntur, addi secundo loco possunt documenta historica, quibus palam efficitur, quam fuerit universalis et constans in societate christiana, etiam apud reges et magistratus politicos, persuasio de proprio Ecclesiae iure in materia educationis. Multa refert et congerit Bouix de Iudiciis, part. I, cap. 6, prop. 6, quae vide apud ipsum.

Accedunt tandem recentissimae declarationes Sedis Apostolicae, ut patet ex quatuor propositionibus in *Syllabo errorum nostrae aetatis* relatis, a n. 45 ad 48: « Totum scholarum publi-« carum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipu-« blicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ra-« tione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita « quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recogno-« scatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine « studiorum, in graduum collatione, in delectu et approbatione « magistrorum. — Imo in ipsis clericorum seminariis methodus « studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur. — Postulat « optima civilis societatis ratio ut populares scholae quae patent

(1) Est igitur usurpatio et naturalis iuris eversio, lex introducta de instructione obligatoria, praescindendo etiam ab impietate laicismi sive atheismi. Et simili modo, naturali iuri contrarium est monopolium (ut aiunt) universitarium, quo nulli relinquitur facultas docendi, nisi investitura a Statu accepta. Sed et iuri divino pariter opposita censeri deberet omnis studiorum et educationis ordinatio in qua supremas partes haberet civilis auctoritas, etiamsi praedicta studiorum ratio non imponeretur per tyrannidem patribusfamilias, quibus adhuc integrum foret, vel ad scholas gubernii mittere filios, vel eos aliis magistris committere erudiendos. Et ratio est quia etsi in dictis circumstantiis non fieret iniuria parentibus, fieret tamen pueris, Ecclesiae, et Deo, ut ex praemissis constat. Proinde ius ingerentiae competens politicae auctoritati quoad scholarum regimen, in hoc dicimus consistere, quod salva in omnibus suprema Ecclesiae moderatione per ordinem ad fidem et mores, salva item libertate parentum in delectu magistrorum, praescribantur conditiones graduum per quos ad publicas functiones vel privilegia civitatis aperitur via, eorumdemque debitae collationi invigiletur. Nam hoc est habere ius in educationem, non quidem quantum ad substantiam, sed pure et simpliciter quantum ad effectus civiles; qui modus iurisdictionis competit Statui etiam circa matrimonium.

« omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim « instituta quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et « educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab « omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, ple- « noque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad « imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amus- « sim. — Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae « ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, « quaeque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenae so- « cialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet ». — Vide etiam alloçutionem Pii IX *In consistoriali,* 1 Nov. 1850; *Quibus luctuosissimis,* 5 Sept. 1851; *Nunquam fore,* 15 Dec. 1856; necnon et epistolam ad archiepiscopum Friburgensem, *Quum non sine,* 14 Iul. 1864.

§ 2.

Quoad impressionem et editionem librorum satis erit in memoriam revocare decreta Tridentina. Primum est in Sess. IV: « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de « rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum ven- « dere, aut etiam apud se retinere nisi primum examinati pro- « batique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecu- « niae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita [1] ». Alterum decretum est in Sess. XVIII: « Cum omnium primum « animadverterit (Sacrosancta Synodus), hoc tempore, suspectorum « ac perniciosorum librorum quibus doctrina impura continetur « et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse..., cen- « suit ut delecti ad hanc disquisitionem Patres, de censuris li- « brisque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque « etiam ad eamdem S. Synodum suo tempore referrent, quo fa- « cilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquam zizania « a Christianae veritatis tritico separare, deque his commodius « deliberare et statuere quae... magis opportuna videbuntur ». Tertium denique decretum est in Sess. XXV: « Sacrosancta « Synodus..., delectis quibusdam Patribus commisit ut de libris « vel suspectis vel perniciosis quid facto opus esset considera-

[1] Conc. Later. V, Sess. 10, de impress. libr.

« rent, atque ad ipsam S. Synodum referrent: audiens nunc, huic « operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob « librorum varietatem et multitudinem distincte et commode possit « a Sancta Synodo diiudicari, praecipit ut quidquid ab illis prae- « scriptum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur ut eius « iudicio atque auctoritate terminetur et evulgetur ».

Ex his palam fit, disciplinam *Indicis librorum prohibitorum* suas habere radices in ipso Concilio Tridentino, a quo ius novum novis modernae societatis conditionibus accommodatum originem sumpsit. Et re quidem vera, post inventam typographiae artem, nulla fuit disciplina populo christiano magis necessaria, quia nullum maius periculum fidei imminere potest, quam ex effrenata licentia quidlibet typis edendi (1). Nullum quoque praesidium magis religiose a fidelibus tenendum, quam observatio gravissimarum Ecclesiae legum contra promiscuam et indiscretam lectionem librorum heterodoxorum (2).

(1) « Voltaire a été la sirène de l'impiété; ses chants entraînaient « dans le gouffre, et combien de malheureux n'y a-t-il pas précipités? « *C'est aux gouvernements sages à éloigner les oreilles de la jeunesse du « chant mortel de la sirène* ». Laharpe, Apologie de la religion, c. 1.

(2) Egregie quidem cl. Magnier in recenti opusculo, *Critique d'une nouvelle exégèse critique:* « Un bon nombre (de jeunes catholiques), « justement désignés par leurs riches aptitudes, leur travail et leurs « connaissances préalables, à entrer dans l'élite des apologistes futurs, « semblent ne tenir aucun compte des défenses sévères édictées par « les Souverains Pontifes contre la lecture des livres hérétiques... Ils « ont d'ailleurs perdu de vue ce fait essentiel que Dieu par une insti- « tution efficace, visible, permanente, a pourvu à la conservation des « vérités de la foi.... Subjugués par le prestige du savoir putatif de l'é- « cole critique, ils ne sont plus choqués de l'erreur, parce que les té- « nèbres amassées dans leur esprit, jointes à l'éloignement du flambeau « révélateur tenu par l'Eglise, les mettent hors d'état de la voir. Com- « ment nous étonner qu'en des conditions si malheureuses ils ne dis- « tinguent pas la pauvreté du fond des apparences trompeuses, qui « la dissimulent, et s'attachent aux nouveautés quelque vaines qu'elles « soient ».

THESIS XXIV.

Ad potestatem legislativam demum consequitur potestas coactiva, quae decretis poenis, non spiritualibus modo, sed et temporalibus ac corporalibus coerceat contumaces. Quidquid autem sit de quaestione controversa, an Ecclesia per se ius gladii immediate possideat, necne, dicendum saltem est quod recte et legitime ad coercitionem dissidentium vim potentiae saecularis invocare potuit, et foro civili tradere incorrigibiles haereticos, capitali etiam poena plectendos.

§ 1.

Potestas coactiva est potestas puniendi seu infligendi poenam, nam coactio legis est per metum poenae, ut dicitur in 10 Ethicorum. Qua in re consideranda est differentia inter poenas de quibus nunc agitur, et poenitentias. Nam poenitentiae sunt poenae satisfactoriae, de quarum ratione est ut voluntarie assumantur in recompensationem culpae; voluntarie, inquam, etsi forte ex obligatione, ut patet de satisfactionibus quae in foro sacramentali iniunguntur. Et quia poena satisfactoria semper voluntaria est, ideo diminuit aliquid de ratione poenae, ut docet S. Thomas 1-2, Q. 87, a. 6. « Est enim, inquit, de ratione poenae « quod sit contra voluntatem. Poena autem satisfactoria, etsi se« cundum absolutam considerationem sit contra voluntatem, non « tamen ut nunc, et per hoc est voluntaria. Unde simpliciter est « voluntaria, secundum quid autem involuntaria ». Involuntaria quidem, hoc sensu quod opponitur naturali inclinationi voluntatis quae ex sese appetit bene esse; voluntaria vero simpliciter, secundum quod libere assumitur in reparationis finem. At poena de qua in praesenti, illa est quae non est voluntarie assumpta, sed ab extrinseco venit, et pro tanto pertinet ad coactionem. Nec refert quod possit a reo patienter sustineri, et hac de causa obtinere vim satisfactionis coram Deo; nam hoc est per accidens, habito respectu ad propriam naturam eius, quae sequenti definitione recte declaratur: *Malum passionis aut privationis, delicti*

causa auctoritate publica inflictum, ut omnes a perturbando ordine unicuique societati proprio deterreantur (1).

Distinguuntur autem in thesi poenae spirituales a poenis temporalibus ac corporalibus. Sed hic nota quod duplici modo potest aliquid dici spirituale. Primo quidem, in quantum proportionem habet ad finem spiritualem obtinendum, et sic omnes poenae quas infligit Ecclesia dici debent spirituales, quia non decernuntur nisi per ordinem ad spiritualem finem, et secundum quod ratio huiusce finis requirit. Deinde vero aliquid dicitur spirituale secundum absolutam entitatem, et sic locus est distinctioni inter poenas spirituales et temporales quas edicit forum ecclesiasticum. Nam spirituales dicuntur illae quae privant spiritualibus bonis, puta suffragiis Ecclesiae et sacramentis; temporales quae privant bono aliquo temporali vel corporeo; mixtae quae utrumque privationis genus important, sicut videre est in excommunicatione quando ad plenam excommunicationis rationem pertingit, teste Ioanne XXII in constitutione *Licet iuxta*.

Assertio est certissima Ecclesiae sententia, firmata constanti praxi Pontificum et Conciliorum oecumenicorum, necnon et manifestis dispositionibus iuris canonici; cuius contradictoria, sin minus haeretica, at certe erronea dicenda est, iuxta illud Bullae *Auctorem fidei*, ad propositionem quintam Pistoriensium: « (Propositio Synodi) qua parte insinuat, Ecclesiam non habere au« ctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per « media quae pendent a persuasione; quatenus intendit, *Ecclesiam « non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi « per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios « contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi « atque cogendi:* inducens in systema alias damnatum ut haere« ticum ». Accedit Encyclica *Quanta cura*, ubi Pius IX post enumeratos varios nostrae aetatis errores, inter quos recensetur et opinio statuens: *Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi*, concludit: « Itaque omnes et « singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris « commemoratas auctoritate nostra apostolica reprobamus, pro« scribimus, atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ec-

(1) Ita Tarquini, op. cit. n. 25.

« clesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas, atque damnatas om-
« nino haberi volumus et mandamus » (1).

Generale argumentum dabit S. Thomas 1-2, Q. 87, a. 1: « Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur ut id quod « contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum patiatur... Unde in « hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque « deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem « quod quaecumque continentur sub aliquo ordine, sunt quodam- « modo unum in ordine ad principium ordinis; unde quidquid « contra ordinem aliquem insurgit, consequens est ut ab eo or- « dine et principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum sit « actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat, contra « aliquem ordinem agit, et ideo ab ipso ordine consequens est « quod deprimatur, quae quidem depressio poena est. Unde se- « cundum tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici « poena potest homo puniri. Primo enim subditur humana na- « tura ordini propriae rationis; secundo ordini exterioris hominis « gubernantis vel spiritualiter vel temporaliter; tertio subditur « universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordi- « num per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit et « contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem « divinam. Unde triplicem poenam incurrit: unam quidem a seipso « quae est conscientiae remorsus, aliam vero ab homine, tertiam « vero a Deo ». Hinc ergo efficitur quod ius puniendi est neces-sario connexum cum iure imperandi, ita ut quicumque auctori-tate legifera instruitur, auctoritatem etiam habeat muniendi suam legem sanctione convenienti. Et quia de principio generali nemo dubitat, unum restat de duobus. Vel enim denegatur Ecclesiae legislativa potestas, et tunc iterum reducimur ad ea quae sunt superius demonstrata; vel si ei conceditur, ipso facto conceditur quoque potestas coactiva per poenas saltem spirituales. Proinde tota controversia quae adhuc residua esse potest, spectat poenas temporales, de quibus sint sequentia argumenta.

In primis, quod penes Ecclesiam sit potestas puniendi con-tumaces, etiam temporalibus ac corporalibus poenis, probatur ex verbis Christi ad Petrum, Ioan. XXI-17: *Pasce oves meas.* In hac enim pascendi auctoritate amplissima importatur quid-

(1) Denzinger, n. 1546-1547.

quid ad conveniens gregis regimen requiritur. Ad oves autem convenienter regendas non solum indiget pastor facultate dirigendi, sed etiam coercendi per media corporalia, sicut cum mittitur canis ad mordendum caudam oviculae aberrantis. Neque in hoc fallit applicatio ad gregem hominum, nam poenae pure spirituales facilius contemnuntur, et parum movere solent carnales animas, eo quod licet reipsa in seipsis graviores sint, tamen earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur.

Requiruntur itaque poenae temporales ad emendationem delinquentium; et toto coelo aberrant qui dicunt medium corporalis coercitionis, nedum sit medium aptum ad finem intentum. esse potius obstaculum, puta seminarium hypocrisis et quoddam inductivum in fictam religionis professionem. Hoc enim per se loquendo est falsissimum (1), etsi per accidens ex indiscreta applicatione remedii talia inconvenientia sequi posse non diffiteamur. Et re quidem vera, si quis recte consideret, videbit quod etsi timor poenarum quae a legibus humanis determinatae sunt, non possit esse verum ac proprium virtutis et professionis christianae fidei motivum, adhuc tamen est de se medium efficacissimum inducendi homines ad resipiscentiam, et ad laudabilem ac bonam voluntatem concipiendam: tum quia, ut dicit Angelicus 1-2, Q. 92, a. 2 ad 4^{um}, « per hoc quod aliquis propter « metum poenae incipit assuefieri ad vitandum mala et ad im- « plendum bona, perducitur quandoque ad hoc quod propria « voluntate hoc faciat »; tum quia iuxta Augustinum, epist. 93 n. 16, « timendo quod pati non vult, vel relinquit impedientem « animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, « ut timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quaerat « verum quod nesciebat, et volens teneat iam quod nolebat » (2).

(1) Huc facit notissimum illud Prov. XIII-24: *Qui parcit virgae, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.*

(2) Fuerat aliquando Augustinus in ea sententia, neminem de haeresi vel schismate esse cogendum ad Ecclesiae unitatem, sed solum verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, *ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus.* Sed postea sententiam mutavit, ipsa experientia convictus. « Nam, inquit, primo mihi « opponebatur civitas mea, quae cum tota esset in parte Donati, ad « unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est; quam « nunc videmus ita huius vestrae animositatis perniciem detestari, ut

Requiruntur praeterea corporales coercitiones ad tutelam communis ac publici boni. Si enim aliquis in tantum pertinax inveniatur ut de resipiscentia eius vix ac ne vix quidem sperari possit, semper tamen manet necessitas coercendi illum, vi corporali adhibita, ne aliis noceat, eorum fidem corrumpens. Unde Hieronymus in cap. 5 epist. ad Galatas: « Doctrina perversa « ab uno incipiens vix duos aut tres primum in exordio repetit « auditores; sed paulatim ut cancer serpit in corpore, et iuxta « vulgare proverbium, unius pecudis scabies totum commaculat « gregem. Igitur et scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, « et fermentum a massae vicinia semovendum, secandae putridae « carnes, et scabiosum animal a caulis 'ovium repellendum, ne « tota domus, massa, corpus et pecora, ardeat, corrumpatur, « putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed « quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma po- « pulata est ».

Aliud quoque argumentum sumitur ex sanctionibus iuris canonici. In quo quidem per prius observes velim, argumentum hoc fundari in demonstrata superius infallibilitate quoad res disciplinae. Haec enim infallibilitas in eo est, ut Ecclesiae legislatio nihil continere possit quod contrarietur iustitiae et normae rectitudinis evangelicae. Ex quo statim sequitur quod si quae poenae ibi decretae reperiantur, eo ipso dicendae sint vere pertinere ad iurisdictionem ecclesiasticam, nam alias forent iniustae, tyrannicae, et per nefas oppressivae humanae libertatis. Atqui poenae temporales in iure ecclesiastico contra delinquentes passim decernuntur. Vide ad exemplum l. 5 Decretal. Tit. 7 de hae-

« in ea numquam fuisse credatur. Ita aliae multae quae mihi nomi- « natim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac « causa recte intelligi posse quod scriptum est: *Da sapienti occasionem*, « *et sapientior erit*.... His omnibus harum legum terror, quibus promul- « gandis reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii « dicant: Iam hoc volebamus, sed Deo gratias qui nobis occasionem « praebuit iamiamque faciendi, et dilationum morulas amputavit.... Alii « dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, « sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos, etc. ». Epist. 93 ad Vincentium, n. 17-18. — Cf. etiam 1, 2 Retract. c. 5: « Nondum « expertus eram,.. quantum eis (schismaticis) in melius mutandis con- « ferre possit diligentia disciplinae ».

reticis, cap. *Ad abolendam,* cap. *Vergentis,* cap. *Excommunicamus.* Item Bullam Martini V *Inter cunctas* in Concilio Constantiensi, ubi iubetur ut si quis ab Ecclesiae Romanae fide discesserit, contra eum procedatur *etiam privatione bonorum et dignitatum temporalium, etiam per captiones et incarcerationes aliasve corporeas poenas, nulla delinquentium excepta classe, quavis mundana praefulgeant dignitate.* Item Tridentinum Sess. IV, ubi mulcta pecuniaria statuitur contra imprimentes libros de rebus sacris absque approbatione Ordinarii. Et Sess. XXIV, c. 8 de Reformatione matrimonii, ubi iubentur mulieres sive coniugatae sive solutae quae cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, *ab Ordinariis locorum ex officio graviter pro modo culpae puniri, et extra oppidum vel dioecesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato si opus fuerit brachio saeculari, eiici: aliis poenis contra adulteros et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.* Et Sess. XXV, cap. 3 de Reformatione, per totum. Item alia permulta quae refert et congerit Benedictus XIV, de Synodo l. 10, c. 9, ubi si libuerit, amplam reperies collectionem monumentorum ex veteribus Conciliis, a Constantino Imperatore (quo primum tempore Ecclesia suam disciplinam sine impedimento explicare coepit), usque ad medium aevum.

§ 2.

Hactenus sermo fuit de poenis temporalibus, quae tamen ad poenam sanguinis, puta mortis vel mutilationis non pertingunt. De hac enim poena certissime constat quod *nunquam* fuit lege vel iudicio Ecclesiae aut decreta aut inflicta. Et hinc processit apud canonistas et theologos controversia in utramque partem usque nunc agitata, utrum sit necne penes Ecclesiam ius gladii, quod ab ipsamet immediate exerceatur. Porro ab eiusmodi disputatione quae satis otiosa videtur, visum est abstrahere, ut in iis quae certa sunt, et in confesso esse debent apud omnes catholicos, unice consistamus. Haec autem ad tria capita facile reducuntur.

In primis pro certo tenendum, per se honestum et iustum esse ut puniantur morte qui graviter perturbant ordinem societatis religiosae seu ecclesiasticae, ut constat ex damnatione pro-

positionis 14ae Ioannis Hus in Concilio Constantiensi (1), et propositionis 33ae Martini Lutheri in Bulla Leonis X *Exurge Domine* (2). Et re quidem vera, non est ullatenus dubitandum quin penes auctoritatem publicam sit ius puniendi poena capitali reos atrociorum criminum, tum ut abscindatur a corpore sociali membrum graviter nocivum et corruptivum boni communis, tum ut alii videntes tanta poena puniri scelera huiusmodi, efficaciter ab eis perpetrandis deterreantur.

Et non est nec esse potest circa hoc specialis controversia, cum principium ipsum communi iure gentium confirmetur (3). Hoc itaque supposito, formatur argumentum. Nam si iustum est morte plectere eos qui proptér homicidia et alia similia civitati temporali graviter nocent, multo magis licitum erit capitali poena animadvertere in eos qui ordinem civitatis spiritualis a fundamentis perturbant, fidem corrumpentes et veneno suae impietatis occidentes animas. Quanto enim bonum alicuius societatis est altius, tanto efficacius oportet consulere conservationi eius, deterrendo perturbatores et resecando membra reliqui corporis corruptiva. Nihil autem est quod gravius perturbet ordinem societatis spiritualis quam haeresis, cum fides sit totius salutis fundamentum et radix. Unde qui in aliis corrumpit fidem, adimit eis primum principium spiritualis vitae, et est gravior homicida quam qui aufert vitam corporalem (4).

(1) « Doctores ponentes quod aliquis per censuram ecclesiasticam « emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro « certo sequuntur in hoc pontifices, scribas, et Pharisaeos qui Christum « non volentem eis obedire in omnibus, dicentes : *Nobis non licet interficere quemquam,* ipsum saeculari iudicio tradiderunt ; et tales sunt « homicidae graviores quam Pilatus ».

(2) « Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritus ».

(3) Cf. S. Thom. 2-2, Q. 64, a. 3-3.

(4) Cf. S. Thom. 2-2, Q. 11, a. 3, et Bellarm. de Laicis, c. 21 circa finem. — Quin et e conspectu felicitatis praesentis vitae, crimen sociale est, fidem destruere : « Foi des humbles ! Dernier trésor de consolations pour la pitoyable humanité ! Combien ceux qui te combattent « sont malfaisants et coupables, et combien je le fus moi-même qui me « reproche plus d'une page dictée par l'ironie et par l'orgueil ! » (F. Coppée, *La bonne souffrance*, IX). « Devant ces pauvres gens en prières,

Nihilominus dicendum est secundo, exercitium auctoritatis in causa sanguinis, regulariter *saltem* loquendo, non pertinere ad Ecclesiam, idque non propter minorationem aliquam iurisdictionis, sed propter solum defectum congruentiae. Considerandum enim est, quasdam esse convenientias in administratione iustitiae inter homines necessario servendas, per quas bono ordini consulatur, necnon et existimationi qua apud subditos publica auctoritas communiri debet. Sicut ex. gr., magistratus civilis qui sine dubio ius habet decernendi capitalem poenam, non ideo dicendus est posse convenienter suscipere in se exsecutoris partes. Neque enim oportet ut qui in sublimitate, teste Apostolo, est constitutus, propria manu malefactores occidat, carnificis agendo personam. Ex hoc enim contingeret eum vilescere in existimatione hominum, et cum aliunde ministerium eius in melioribus sit ordinatum, inconvenit ut ignobili se ingerat servitio, non praecise ex defectu iuris, sed propter annexam actioni vilitatem quae non decet publicae potestatis detentorem. Sicut etiam multa sunt quae gregarius miles laudabiliter facit, et non decenter faceret dux exercitus, eo quod infimum ministerium non proportionatur nobilitati supremae dignitatis. Quamvis si forte occurreret necessitas, id est, si salus exercitus requireret ingerentiam ducis etiam in minoribus, laudabiliter ageret ille quae alias ipsum dedecuissent; ratio enim necessitatis dignificat multa quae regulariter non conveniunt. — Nunc autem convenientiae sunt diversae in diversis pro munerum et functionum varietate ([1]). Sicut alia sunt quae in milite placent, in sacerdote displicent; aliae congruentiae servandae a magistratu politico, aliae vero a magistratu ecclesiastico; hinc enim pendet pulcherrima illa dispositio qua sub summo rectore Deo singulorum ministeria miro ordine dispensantur. — Eodem igitur pacto quo non est conveniens magistratui civili ut publici exsecutoris partes assumat, ita non congruit ut Ecclesia sese quolibet modo immisceat in causis capitalibus, sive decernendo poenam mortis per suam propriam legem, sive applicando illam

---

« l'incrédule se dirait alors, je suppose, que ce fut une folie et un crime « de combattre chez les humbles la foi qui les faisait s'aimer les uns « les autres, et espérer en un Père céleste, etc. ». (Id., ibid. XV).

([1]) S. Thom. 2-2, Q. 64, a. 4 ad 1[um].

per proprios ministros ad particulares personas. Ratio est quia oportet salvam esse in Ecclesia et ministris eius *existimationem lenitatis,* quae exinde caperet detrimentum. Et hinc etiam venit quod leges ecclesiasticae tam severe prohibeant ne clerici sententiam sanguinis ullo modo dictent aut ferant, iubeantque ut in curiis principum haec sollicitudo, non clericis, sed laicis committatur. De quo vide l. 3 Decretal. tit. 50, c. 5-9.

Restat igitur ut quidquid in hac parte ad securitatem et bene esse societatis spiritualis potest requiri, famulatui brachii saecularis relinquatur. Unde S. Thomas 2-2, Q. 11, a. 3: « Circa « haereticos duo sunt consideranda: unum quidem ex parte « ipsorum, aliud vero ex parte Ecclesiae. Ex parte quidem « ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab « Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mor- « tem a mundo excludi. Multo enim gravius est corrumpere fidem « per quam est animae vita, quam falsare pecuniam per quam « temporali vitae subvenitur. Unde si falsarii pecuniae vel alii « malefactores statim per saeculares principes iuste morti tra- « duntur, multo magis haeretici statim ex quo de haeresi con- « vincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et iuste « occidi. Ex parte autem Ecclesiae est misericordia ad errantium « conversionem, et ideo non statim condemnat, sed *post primam « et secundam correptionem,* ut Apostolus docet. Postmodum vero « si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de eius conversione « non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia sepa- « rando per excommunicationis sententiam, *et ulterius relinquit « eum iudicio saeculari* a mundo exterminandum per mortem ».

Sed ubi ad legem et iudicium saeculare pervenimus, iam praetergredimur fines praesentis disputationis quae erat de ipsa ecclesiastica potestate. Et ideo accurata discussio praedictae quaestionis, cuius totum fere momentum pro conditionibus nostrorum temporum non est nisi apologeticum, debet remitti ad ultimam tractatus partem, in qua de habitudine Status ad Ecclesiam. Ibi ergo ad trutinam revocabuntur sophismata quae congerere solent contra notionem « *brachii saecularis,* non as- « sequentes illud quod scriptum est: Et nunc reges intelligite, « erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et « exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando « irascatur Dominus, et pereatis de via iusta ».

CAPUT TERTIUM

Qq. XII-XVI.

DE SUBIECTO POTESTATIS

SIVE

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

Postquam dictum est primo de Ecclesiae membris, deinde de ecclesiastica potestate, superest dicendum de subiecto potestatis et de forma secundum quam haec ipsa potestas a capite Christo per varios gradus sacri principatus ordinatissima distributione descendit. Non tamen in animo est de *ordinis* hierarchia nunc disserere (de ea enim alibi, in tractatu de sacramentis), sed de sola hierarchia *iurisdictionis,* accipiendo iurisdictionem sensu illo ampliato in quo a potestate *magisterii* non contradistinguitur (1). Caeterum prae oculis habeas velim omnia principia in Quaest. 9 declarata, ex quibus palam efficitur non esse proprie loquendo hierarchias duas, hinc ordinis, inde vero iurisdictionis, sed unam omnino indivisam ecclesiasticam hierarchiam, quae cum duplici potestate tum regendi tum etiam conficiendi et ministrandi sacra instruatur, utramque habet simul iunctam in suo apice suaque summitate, videlicet in persona eorum quos, ut Apostolus ait, *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Verum etsi episcopalis iurisdictio episcopalem quoque characterem connaturaliter appellet, et vice versa, nusquam tamen ad characterem ordinis ipso facto consequitur iurisdictio, multoque minus ex ratione characteris sumenda est eiusdem iurisdictionis vel mensura vel amplitudo, et universim loquendo, alia est lex distributionis potestatis quoad confectionem sacrorum, alia vero quoad munus regiminis. Nunc igitur de solo subiecto potestatis regiminis formaliter in quantum hu-

(1) Cf. Quaest. VIII, § 2.

iusmodi, disputatio est. Et primo considerare oportet formam regiminis ecclesiastici in generali, deinde in speciali. Ipsa autem specialis consideratio ad quinque capita revocabitur: **Primo** de monarchia ecclesiastica in Beato Petro instituta. **Secundo** de eo penes quem est successio Petri, id est de Romano Pontifice. **Tertio** de episcopis qui in partem sollicitudinis vocantur. **Quarto** de gradibus qui in hierarchia iure ecclesiastico fuerunt introducti. **Ultimo** de Conciliis.

QUAESTIO XII.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIASTICI IN GENERALI

SIVE

DE RATIONE QUA A FORMIS POLITICI PRINCIPATUS DISCRIMINATUR

Cum quaeritur de forma regiminis ecclesiastici *in generali*, totum fere negotium est in assignanda fundamentali differentia qua ipsa ecclesiastica hierarchia ab omnibus quotquot sunt aut esse possunt civilium principatuum constitutionibus discriminatur. Sciendum enim est, fuisse quorumdam opinionem quod eadem norma quae regnorum terrae propria est, Ecclesiae quoque regimini proportionaliter sit applicanda, et vice versa; atque hinc prodiit, modo quidem corrupta atque adulterata notio ecclesiasticae constitutionis, modo vero minus recta (ut videtur) in re politica sentiendi ratio.

Certe veteres Gallicani temporibus Conciliorum Constantiensis et Basileensis communes de politico principatu ideas in Ecclesiam transtulerunt. Dicebant enim: « Ex naturali iure sta- « bilitur auctoritas communitatis Ecclesiae super Papam, in hoc « quod de iure naturae est quod perfecta et libera communitas « est, ad quam spectat providere sibi de principe, et tueri se « contra eum quando in destructionem utitur potestate, et cogere « et amovere illum quando demeretur. Huic enim principio si « adiungatur quod Ecclesia universalis est communitas perfecta « et libera, et quod ordo gratiae institutus a Iesu Christo non « tollit, sed perficit naturam, manifeste concluditur quod ad Ec- « clesiam universalem spectat providere sibi de Papa, et tueri

« se contra eum, et etiam deponere illum, et universaliter esse « supra illum » (1). Haec, inquam, veteres Gallicani post Gersonem, Petrum de Alliaco, caeterosque Sorbonicos XIV et XV saeculi, qui aliqua saltem analogia ex naturalibus societatibus desumpta nitebantur, et non eousque inconsequentiae devenerant, ut monarchiam puram in Ecclesia negantes, eam in solis civilibus quâsi de iure divino adstruerent.

Huiusmodi enim doctrinae portentum nonnisi cum Gallicanis sequioris aevi ortum habuit (2). Quibus interim praetermissis, alia nunc subiit sententia praecedenti e diametro opposita, eidem tamen parallelismo ecclestiasticum inter et civile regimen adinvento vel innixa vel certe consentanea. Quae etsi de errore notari nequaquam possit, ea nihilominus habet inconvenientia, quibus novam lucem novissime obortae controversiae addiderunt. Et veteres quidem Gallicani circa ecclesiastici regiminis constitutionem errabant omnino, transferendo in eam principia suo tempore universaliter recepta de constitutione Status. At nunc, correcto Gallicanismi errore, nonnulli via inversa introducunt in constitutionem Status verissima principia quae ad solam ecclesiasticam hierarchiam videntur pertinere, volentes scilicet potestatem principum esse a Deo immediate, contra antiquam et communem theologorum sententiam statuentem: « Omnem quidem « potestatem a Deo esse, sed tamen aliam esse a Deo immediate, « ut Summi Pontificis, aliam vero mediante consensu humano, « ut principum temporalium » (3). Neque haec diversa sentiendi ratio pro indifferenti habenda est. Hinc enim pendent sat multae consequentiae, ad intelligentiam historiae ecclesiasticae, explicationem pontificiorum documentorum, necnon et officia christiani hominis erga constitutas potestates plurimum facientes. Nos vero in praesentiarum rem potissimum attingemus in ordine ad declarandam propriam ac distinctivam ecclesiastici regiminis conditionem, quae nulla alia meliori ratione potest ostendi quam instituta comparatione cum regimine politico in suis originibus variisque formis considerato.

(1) Apud Caietanum, Tract. 2, de auctoritate Papae et Concilii, c. 1.
(2) Cf. J. de Maistre, du Pape, l. 2, c. 1.
(3) Bellarm., cont. Ioan. Marsil., respons. ad capitulum tertium.

§ 1.

De originibus et formis politici principatus.

Politicam potestatem dicimus illam qua regitur populus in finem tranquillitatis et prosperitatis temporalis. Eam a potestate herili apprime distingues, nam potestas herilis quae ad ius proprietatis pertinet, est potestas domini in servum, adeoque non in servi, sed in ipsius domini bonum, quia servus qua talis non est gratia sui, sed gratia alterius. At potestas politica nequaquam est in bonum imperantis, sed unice in bonum communitatis cui imperans praeest, ut iure meritoque dicat Bellarminus: « Differt politica subiectio a servili, quod subiectus ser« viliter, est et operatur propter alium; subiectus politice, est « et operatur propter se. Servus regitur non in sui, sed in « domini sui commodum; civis regitur in commodum suum, « non in commodum magistratus. Sicut e contrario princeps « politicus, dum regit populum, non suam, sed populi uti« litatem quaerit: tyrannus autem et dominus non populi, sed « suam quaerit, ut Aristoteles docet l. 8 Etich. c. 10. Itaque re« vera, si ulla est servitus in politico principatu, magis proprie « servus dici debet qui praeest quam qui subiectus est, ut docet « Augustinus l. 19 de civit. c. 14, et hoc ad litteram significat « illud Domini Matth. XX: *Qui voluerit inter vos primus fieri, « erit omnium servus.* Quo modo episcopi servos se plebium « suarum, et Summus Pontifex servum servorum Dei se no« minat » (1). Nunc autem, cum de origine principatus politici diversissimae prodierint sententiae, fundamenti instar ponendum est immobile dogma in quo hac de re catholici omnes convenire debent et revera conveniunt.

I. Quod potestas politica secundum se a Deo sit auctore naturae.

Haec est contra assertores contractus socialis, mentientes omnem potestatem socialem a communitate tanquam a suo originali fonte derivare; ipsam autem communitatem eatenus esse fontem potestatis, quatenus in eam singula quaeque membra,

(1) Bellarm., de Laicis, c. 7.

conventione inita, omnia sua individualia iura contulerunt. Si enim delirantibus philosophis credas, omnes homines ita nascuntur independentes, ut nemini eorum ex naturali lege incumbat officium quo personalis libertas limitetur, nemini pariter ius competat quo coarctetur libertas alterius. Imo vero haec eadem libertas sive quoad usum bonorum huius mundi, sive quoad insitarum facultatum exercitium, ita est unicuique propria, ut nonnisi libero contractu in manus communitatis resignari queat. Quippe per solum socialem contractum servantur conditiones iustitiae, omnibus et singulis pariter libere intervenientibus, et de iure suo aequaliter cedentibus. Pacto igitur semel inito, communitas efficitur unicus fons unicumque principium omnium iurium atque officiorum, et praeter alia multa id etiam consequitur, quod magistratus quilibet nihil plus sit quam purus ac simplex voluntatis populi exsecutor, ad eius nutum semper revocabilis ([1]). Atqui, eiusmodi commentum retulisse, iam refutasse est, cum vel prima fronte appareat in suis fundamentis impium, in suo conceptu incohaerens, in suis consequentiis monstruosum, denique ex toto chimaericum atque absurdum. Impium dico in fundamentis, quia ab atheismo exorditur, id est a radicali negatione naturalis subiectionis hominis ad Deum et ad legem eius. Incohaerens in suo conceptu, quia si innata hominis libertas nullo officio nulloque iure ante pactum limitari potest, non apparet cur per pactum possit vel ex toto vel etiam ex parte, praesertim irrevocabiliter alienari, quandoquidem seclusa superiori lege quae pacta et donationes inter homines firmet, nequaquam concipitur stabilis aliqua ab uno in alium dominii translatio. Monstruosum quoque in suis consequentiis, dum scilicet ante idolum abstractae communitatis omnia curvat, et ad factum quod attinet, effrenatae violentiae ac tyrannidi praevalentium factionum caeteros quosvis privatos facit obnoxios. Denique ex toto ridiculum atque absurdum, quia plane chimaericam societati assignat

([1]) « Recentiores perplures eorum vestigiis ingredientes qui sibi « saeculo superiore *philosophorum* nomen inscripserunt, omnem inquiunt « potestatem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis « non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem « lege ut populi ipsius voluntate a quo mandata est, revocari possit » Leo XIII, Encyclica *Diuturnum*.

originem, cui et sensus intimus, et historia humani generis, et luce etiam meridiana clariora facta contradicunt.

Et haec quidem longius prosequi in animo non est, sed nota interim illa duo ad quae tanquam ad summa capita totum systema reducitur. Primum est quod politica potestas a solo populo est, et tam in fieri quam in esse a supremo eius principatu pendet. Alterum est quod ipse popularis principatus ex contractu oritur, pro quanto scilicet unumquodque societatis membrum de iure suo voluntarie cessit, et singuli quique in eius se contulerunt potestatem, ad quem pervenit summa illorum iurium, id est in potestatem communitatis. Porro ex duobus his principiis primum proprio ac naturali pondere ducit in perfectam anarchiam (1), alterum vero in perfectum despotismum portentosumque communismum (2).

(1) « Le peuple est souverain et le gouvernement n'est que son « commis, moins que son commis, son domestique. — Entre eux point « de contrat indéfini ou du moins durable. *Il est contre la nature du « corps politique que le souverain s'impose une loi qu'il ne puisse jamais « enfreindre.* — Point de charte consacrée et inviolable qui enchaîne « un peuple aux formes de constitution une fois établies. *Le droit de « les changer est la première garantie de toutes les autres. Il n'y a pas, « il ne peut y avoir aucune loi fondamentale obligatoire pour le corps du « peuple, pas même le contrat social. L'acte par lequel un peuple se soumet « à des chefs n'est absolument qu'une commission, un emploi dans lequel, « simples officiers du souverain, ils exercent en son nom le pouvoir dont « il les a faits dépositaires, et qu'il peut modifier, limiter, reprendre quand « il lui plaît...* Vis-à-vis de lui, ils n'ont aucun droit. *Il n'est point « question pour eux de contracter, mais d'obéir.* Ils n'ont pas de con- « ditions à lui faire ; ils ne peuvent réclamer de lui aucun engagement... « De gré ou de force ils (les magistrats) sont les corvéables de l'Etat, « plus disgraciés qu'un valet ou un manœuvre, puisque le manœuvre « travaille à conditions débattues, et que le valet chassé peut réclamer « ses huit jours. Sitôt que le gouvernement sort de cette humble atti- « tude, il usurpe, et les constitutions vont proclamer qu'en ce cas l'in- « surrection est non seulement le plus saint des droits, mais encore le « premier des devoirs ». Taine, l'ancien régime, l. 3, c. 4, § 3, citant Rousseau, Contrat social, I-7, III-1, IV-3, etc.

(2) « La théorie a deux faces, et tandis que d'un côté elle conduit « à la démolition perpétuelle du gouvernement, elle aboutit de l'autre « à la dictature illimitée de l'Etat... En effet *les clauses du contrat social*

Sed ab his deliramentis longe longeque distant catholici theologi, ad unum omnes, potestatem politicam a Deo repetentes velut a naturali necessarioque principio. Et sane, si societas non est in destructionem, sed magis in tutelam iurium individualium, esse omnino non potest quod ex eorumdem alienatione et veluti absorptione in massa sociali coalescat principatus. Rursus, si in civilem societatem non ex propria electione, sed naturali destinatione ac necessitate homines adunantur, quamcumque humanam fingas commissionem sive institutionem in ordine ad procurandum bonum commune, et sarta tectaque servanda iura privatorum, veram originem politicae potestatis nequaquam attigisti. Ab eo enim necesse est esse institutionem potestatis, a quo est institutio societatis; societas autem civilis ut sic, ab arbitrio hominum non pendet; ergo nec potestas. Oportet igitur de necessitate assurgere in Deum, qui cum sit auctor naturae humanae, eo ipso auctor est illius societatis quae est hominibus naturalis, et ex consequenti auctor quoque potestatis sine qua nequit illa consistere. Docent itaque theologi potestatem politicam oriri ex

---

« *se réduisent toutes à une seule, savoir l'aliénation totale de chaque as-* « *socié avec tous ses droits à la communauté.* Chacun se donne tout entier, « *tel qu'il se trouve actuellement, lui et toutes ses forces, dont les biens qu'il* « *possède font partie.* Nulle exception ni réserve ; rien de ce qu'il était « ou de ce qu'il avait auparavant ne lui appartient plus en propre. Ce « que désormais il sera et aura, ne lui sera dévolu que par la délé- « gation du corps social, propriétaire universel et maître absolu. Il faut « que l'Etat ait tous les droits et que les particuliers n'en aient aucun ; « sinon il y aurait entre eux et lui des litiges, et *comme il n'y a aucun* « *supérieur commun qui puisse prononcer entre eux et lui*, ces litiges ne « finiraient pas. Au contraire, par la donation complète que chacun fait « de soi, *l'union est aussi parfaite que possible.* Ayant renoncé à tout et « à lui-même, *il n'a plus rien à réclamer*... Tous ces articles sont des « suites forcées du contrat social. Du moment où entrant dans un corps, « je ne réserve rien de moi-même, je renonce par cela seul à mes « biens, à mes enfants, à mon Eglise, à mes opinions. Je cesse d'être « propriétaire, père, chrétien, philosophe. C'est l'Etat qui se substitue « à moi dans toutes ces fonctions. A la place de ma volonté il y a « désormais la volonté publique, c. à. d. en théorie, l'arbitraire chan- « geant de la majorité comptée par têtes, en fait, l'arbitraire rigide de « l'assemblée, de la faction, de l'individu qui détient le pouvoir public ». Taine, l. c. § 4 et 5.

iure divino naturali, statim ac homines ad integrandum unum reipublicae corpus adsunt, minime vero ex hoc quod homines se illi volunt subiicere, eamque pro suo arbitratu in seipsos ad commune ipsorum bonum eligunt, perinde ac si congregati aliqui ad quodvis aliud, puta ad commercialem vel academicum finem, eligerent sibi communem aliquam potestatem. Haec namque posterior potestas, utpote instituta pro societate arbitraria minimeque naturali, ortum non haberet a Deo immediate per ius naturale, sed ab hominibus ipsis libere se illi subiicientibus, et non esset potestas maior quam homines pro suo arbitrio constituissent. Illa vero alia prior potestas est ab ipsa natura rei, nec pendet ex consensu hominum qui velint nolint, debent regi politice ab aliquo ne pereat genus humanum, quod est contra naturam. Et quia ius naturae ius divinum est, consequitur quod iure divino introducta est civilis gubernatio, et hoc proprie sibi vult Apostolus cum dicit Rom. XIII-1: *Non est potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et infra: *Dei enim minister est*, etc. (1).

Hoc igitur modo explicata natura politicae potestatis, nulla iam opinio est inter scholasticos libere agitata, quae toto coelo non differat a placitis novatorum. Nam etiamsi sermo esset de sententia plerorumque veterum dicentium potestatem esse in principibus seu magistratibus communicatam a populo, nemo est qui non videat quam longe a subversivis principiis supra declaratis distet, sive quoad speculativam considerationem, sive quoad practicas consequentias. Etenim primo, in hac sententia non humano facto creatur ipsum ius imperandi, non aliqua contrahentium voluntate, non concentratione individualium iurium in massa sociali, non qualibet conventione membrorum multitudinis, sed est desuper a naturae auctore Deo, ubicumque unius corporis politici materia adunatur. Hinc secundo, communitas non est fons potestatis, sed ad summum, immediatum eius receptivum et medium communicationis ad speciales personas quae eam exerceant. Insuper ipsa communicationis ratio non amplius

(1) Ita fere Molina, de iustitia et iure, Tract. 2, Disp. 22, n. 9. — Item Victoria, in relectione de potestate civili, a num. 6. — Item Bellarminus, de Laicis, c. 6.

in mero communitatis arbitrio est reposita, sed sicut e iure divino naturali oritur potestas ad commune bonum tota quanta est ordinata, ita et eodem iure secundum eiusdem boni exigentiam regulatur modus quo a populo in principem sive magistratum fieri potest et debet potestatis translatio. Unde tandem sequitur tertio, procul abesse omnia consectaria superioris systematis, quia in hac eadem veterum scholasticorum doctrina, princeps vel magistratus qua talis minime comparatur ad multitudinem sicut eius instrumentum, et non pendet a placito populari tanquam a norma sui regiminis, et iterum non est ad nutum continuo revocabilis. Denique, vere est Dei minister in bonum iuxta Apostoli dictum, quia quacumque via principatu auctus sit, semper detinet potestatem quae ipsa divina lege ad gubernandam societatem noscitur instituta. « Quo fit, inquiunt, « ut legitimae omnes potestates quibus obedire tenemur, a Deo « sint, Deique vices unaquaeque in suo ordine et gradu teneant, « ut dum illis obedimus, Deo pariter in illis obediamus, Deique « praeceptum ac voluntatem exsequamur » (1).

Et haec quidem in tuto posita maneant. Unde missis in posterum novatorum deliramentis, solum fit quaestio de iis quae intra latitudinem sanae et catholicae doctrinae statuentis divinam originem potestatis, adhuc dubia esse possunt. Pro quorum elucidatione sit in primis sequens assertio.

II. Quod nec forma politici principatus, nec coniunctio potestatis cum quibuslibet imperantium personis immediate a Deo sit, et quod ex consequenti, nulla est persona in civilibus societatibus seu regnis quae iure divino potiatur auctoritate.

Primum nota quod principatus politicus dupliciter consideratur: vel praecise secundum se, ut potestas quaedam suprema regendi civiliter rempublicam, abstrahendo ab hoc vel illo modo regiminis: vel prout determinatus ad aliquam regiminis speciem seu formam, puta monarchicam, aristocraticam, democraticam, aut mixtam, quae, etiam in infinitum diversificari potest. Porro, quanto magis necesse est confiteri quod civilis potestas per se spectata immediate oritur a Deo, non quidem ex peculiari et quasi positiva institutione seu donatione omnino distincta a pro-

(1) Molina, ubi supra, Disp. 27.

ductione naturae, sed per naturalem consecutionem ex vi primae creationis eius: tanto etiam evidentius apparet determinationem variarum formarum regiminis ab institutione humana proximum repetere principium. Nam solum ius naturale per se non dictat hanc formam prae alia, nec determinat principatum politicum ad monarchiam vel aristocratiam, atque ita porro, cum nulla sit assignabilis ratio quae hunc definitum modum regiminis necessarium esse convincat. Quod etiam ipso usu confirmatur, nam propterea, ut recte notat Suarez l. 3 Defens. c. 2, diversae provinciae vel nationes diversos etiam gubernationis modos elegerunt, et nulla illarum est quae contra rationem naturalem aut contra immediatam Dei institutionem operetur. Unde Leo XIII, Encyclica *Diuturnum:* « Neque hic quaeritur de rerumpublicarum « modis; nihil enim est cur non Ecclesiae probetur aut unius « aut plurium principatus, si modo iustus sit et in communem « utilitatem intentus. Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur « populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipso- « rum ingenio aut maiorum institutis moribusque magis apte « conveniat ». Constat itaque quod etsi potestas sub ratione potestatis sit a Deo auctore naturae, adhuc tamen sub ratione potestatis hoc determinato modo organizatae in hac vel illa constitutionis forma, humanam habet institutionem. Constat insuper quod haec institutio semper legitima est, dummodo contineatur intra latitudinem illam quae per ius naturale arbitrio et libertati hominum permittitur.

Quae igitur cum ita sint, iam ultro consequitur id quod secundo loco positum est, videlicet investituram potestatis sive principatus non esse in quibuslibet imperantium personis a Deo immediate. Et sane, potestas non advenit alicui personae determinatae nisi secundum certam quamdam politicae constitutionis formam, et ita quidem ut determinatio formae secundum quam habeatur potestas, sit natura prior ipsa collatione potestatis. Quomodo ergo immediate a Deo adveniret in persona monarchae v. g. monarchica auctoritas, si ut dictum est et evidens ratio ostendit, ipsa monarchica forma a Deo immediate non est? Nam quod quidam dicunt, determinationem formae fore meram conditionem, qua simul cum designatione personae supposita, potestas dabitur immediate a Deo iuxta mensuram seu modum a positiva hominum institutione praefixum, omnino non sustinetur.

Hoc enim modo statueretur investitura potestatis quae nullo iure sive scripto sive non scripto notificata reperitur. Imo, quod magis est, fingeretur donatio aliqua divina quae esset ultra naturae institutionem, eaque posterior, cum tamen nulla alia in praesenti agnosci debeat donatio Dei, praeter eam quae sit intra limites simplicis iuris naturalis, ac propterea se habeat pure et simpliciter per modum consecutionis ad primam naturae formationem. Dicendum itaque quod sicut institutio humana est causa determinans potestatem quae de iure naturali est, ad hanc vel illam specialem regiminis formam: ita pariter est causa eam derivare faciens ad hoc vel illud subiectum, et non est nec esse potest magis immediata dispositio Dei in secundo quam in primo.

Et re quidem vera, duobus tantum modis intelligi potest auctoritatem esse in aliquo membro societatis immediate a Deo: vel immediate a Deo aliquid positive largiente ultra naturam, vel immediate a Deo instituente naturam ipsam et ea quae ex principiis naturae per se consequuntur. Sed in proposito primum excluditur, ut mox dictum est et per se satis evidenter constat, saltem si loquamur de lege ordinaria. Et dico de lege ordinaria, ne quis forte obiiciat politicas institutiones Veteris Testamenti in populo Iudaeorum, quae certo certius ab ordine communi noscuntur excipiendae. Excluditur pariter et alterum, quia ad hoc ut a Deo auctore naturae immediate veniret potestas ad aliquam determinatam personam, deberet esse naturale aliquod factum, vel naturalis aliqua proprietas ex sese determinans potestatem ad tale subiectum: sicut naturalis praestantia sexus virilis determinat auctoritatem in viro quoad societatem coniugalem, et naturalis generatio determinat auctoritatem in parentibus quoad societatem familialem. Sed frustra aliquid simile quaereres in societate politica, et ratio differentiae prorsus est in aperto. Quippe, tam coniugalis quam familialis societas est de iure naturali, non modo in generali, verum etiam in speciali, id est quoad suam individuam ac determinatam formam, ita ut institutioni humanae nihil omnino ibi relictum sit. At societas politica a natura non est nisi in communi, et ideo humana institutio et voluntas intervenire habet tanquam proxima causa determinationis, necnon et derivationis potestatis in certis subiectis secundum certam regiminis speciem.

Hic autem occurrit removenda aequivocatio in qua non-

nulli videntur implicari. Dicunt enim solum sequi ex allatis rationibus quod potestas politica non datur a Deo alicui personae sine interventu voluntatis vel actionis humanae, id tamen non satis esse ut non detur immediate a Deo. Nam etiam plenitudo potestatis in universam Ecclesiam Summo Pontifici datur cum interventu voluntatis eligentium, et nihilominus immediate a Deo datur, ut fert dogma catholicum. Sed nedum hoc exemplum aliquid enervet de discursu facto, confirmat potius conclusionem nostram, uti apposite notat Suarez l. 3 Defens. c. 2, n. 16. Diligenter enim considerandum est qua ratione quove modo interveniat in proposito humana institutio vel voluntas. Nam si interveniat solum ut inducens in subiecto titulum divinitus praefixum ad potestatem divinitus quoque (et quidem in individuo) institutam, manifestum est quod actio humana nihil plus facit quam apponere conditionem; de caetero principium efficax investiturae potestatis nullum omnino erit praeter ipsum ius divinum. Et sic est in electione Pontificis, quia ius divinum immediate atque in individuo instituit papalem potestatem, eamque alligavit determinato cuidam titulo, videlicet canonicae designationi in successorem S. Petri. Quo fit ut designatione facta tanquam conditione posita, electus statim investiatur auctoritate, non vi alicuius iuris humani, multoque minus vi voluntatis eligentium, sed vi illius divinae dispositionis in perpetuum valiturae quae continetur verbis Domini ad Petrum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Dicebantur enim ad Petrum prout erat in suis successoribus in finem usque permansurus. Distingue ergo ibi rationem causae a ratione apponentis conditionem. At in civilibus nihil tale reperitur, cum nec certam potestatis formam, nec determinatum aliquem titulum cui alligetur investitura eius, ordinaverit Deus. Unde quoad utrumque supervenire debet institutio humana, quae eo ipso efficitur vera et proxima investiturae causa in omnibus supremis rerumpublicarum capitibus ([1]). Et quia id tantum iuris divini dicitur et est, quod immediate constituitur per legem sive voluntatem divinam, minime vero id quod proxime instituitur ab hominibus, etiamsi per facultatem a Deo datam, sequitur esse quidem de iure divino quod aliqui sint imperantes in civili societate, at neminem in particulari de iure divino potiri auctori-

([1]) Cf. Suarez, l. 3 Defens. c. 2, n. 17.

tate. Et hoc adeo certum visum est veteribus, ut scribere non dubitaverit Suarez: « Nullum regem vel monarcham habere vel « habuisse (secundum ordinariam legem) immediate a Deo vel « ex divina institutione politicum principatum. Hoc est *egregium « theologiae axioma,* non per irrisionem, ut rex (Iacobus) protu- « lit, sed vere, quia recte intellectum verissimum est, et ad in- « telligendos fines et limites civilis potestatis maxime necessa- « rium. Non est autem novum, aut a Cardinali Bellarmino inven- « tum, ut praedictus rex illi attribuere videtur-... Nec solum a « theologis sed etiam a iurisperitis doctrina haec tradita est « communiter, etc. ». Et adhuc expressius Bellarminus ipse, con- tra Ioannem Marsilium, resp. ad tertium capitulum: « Hoc non « est mysterium supernaturale, nec res quae in opinione con- « sistat, sed est omnium Doctorum communis sententia ».

Sic igitur dicendum omnino est quod ab humana institutione proxime oritur coniunctio potestatis cum personis eorum qui reipublicae praesunt; et hoc sensu asserit S. Thomas in 2-2, Q. 10, a. 10, quod dominium vel praelatio introducta sunt ex iure humano. At nunc statim inquirendum venit penes quem ius institutionis resideat, et ad hoc pertinet paragraphus sequens.

III. Quod ius determinandi gubernii formam et statuendi legem investiturae potestatis originaliter in communitate est, et quod sententia scholasticorum circa civilem principatum ad hos terminos reducta, verissima invenitur.

Haec est manifesta conclusio praecedentium, quia si humana institutio quaeritur ad cuiusvis politici gubernii constitutionem, haec profecto esse non potest nisi ab eo qui de iure curam habet communitatis. Sed ante constitutionem legitimi gubernii, nemini in humanis competit cura communitatis nisi communitati ipsi. Ergo a communitate oriri debet lex instituens politiae formam et potestatis investituram. Propterea, de lege generatim tractans S. Thomas ait: « Lex proprie, primo et principaliter respicit « ordinem ad bonum commune. Ordinare autem aliquid in bonum « commune, est vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem « totius multitudinis, et ideo condere legem vel pertinet ad totam « multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quae totius « multitudinis curam habet, quia et in omnibus aliis ordinare in

« finem est eius cuius est proprie ille finis » (1). In quo quidem notanda disiunctio: vel ad totam communitatem, vel ad personam publicam quae communitatis curam habet. Constat autem quod lex fundamentalis instituens reipublicae formam ac modum, investiensque principem ipsa auctoritate per quam persona publica efficitur, ab eodem principe nequaquam oriri potest. Relinquitur ergo ut ad solam communitatem pertineat potestas quam moderni *constituentem* vocant, et a qua proxime emanat in persona principis ius gubernii.

Sed nota diligenter quomodo non oporteat ut via formalis suffragii, praesertim secundum supputationem arithmeticam, haec potestas in actum reducatur. Nisi enim velimus mundum imaginarium nobis fingere, videbimus constitutiones politicas, eas praesertim quae firmae sunt ac stabiles, ad eam plerumque legis formam reduci quam *consuetudinem* appellant, ubi rationabilis voluntas faciens ius, ipso usu et praxi exprimitur (2). Raro namque contingit populum sibi de condicto statuere regiminis modum, sed ut plurimum factis ipsis ab infinita propemodum circumstantiarum varietate dependentibus praeparantur et introducuntur gubernia, quibus deinde usualis adhaesio populi iuridicam confert exsistentiam. Nec refert qualia fuerint initia, utrum scilicet per iniustam violentiam vel per regularem evolutionem praecesserit occupatio potestatis, cum in omni casu occupatio ista

(1) S. Thom. 1-2, Q. 90, a. 3 in corp.

(2) « Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris. Lex « quidem divina et naturalis a rationabili Dei voluntate, lex autem « humana a voluntate hominis ratione regulata. Sicut autem ratio et « voluntas hominis manifestantur verbo in rebus agendis. ita etiam ma- « nifestantur facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, « quod opere implet. Manifestum est autem quod verbo humano potest « et mutari lex et etiam exponi, in quantum manifestat interiorem mo- « tum et conceptum rationis humanae. Unde etiam et per actus maxime « multiplicatos qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex et exponi, « et etiam aliquid causari quod legis virtutem obtineat, in quantum « scilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus et « rationis conceptus efficacissime declaratur. Cum enim aliquid multoties « fit, videtur ex deliberato rationis iudicio provenire, et secundum hoc « consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum inter- « pretratrix ». S. Thom. 1-2, Q. 97, a. 3.

non transeat in legitimam institutionem nisi ex consensu communitatis, qui semper eiusdem rationis est, semperque eamdem habet efficaciam. Et nequidem exceptio facienda videtur pro iure belli. Quomodo enim ex bello etiam iusto directe acquiri possit dominium politicum, omnino non apparet, siquidem dominium politicum non ad bonum et commodum dominantis, sed ad bonum subditorum totum quantum est intelligitur ordinatum. Quamobrem id demum et nihil aliud per ius belli *directe* fieri potest, ut scilicet gens victa amittendo suam autonomiam, alterius gentis pars efficiatur. Ex quo autem incipit esse pars, consequens sane est ut conditionem partis obtineat, ac per hoc, trahatur ad praeexsistens regimen totius.

Et haec quidem generaliter observata velim, ne asserta hactenus doctrina videatur contradicere historicis originibus plerarumque civilium societatum; nam hoc est maximum inconveniens quod solent adversarii obiicere, sed frustra. In tantum enim positio ista historiae contradiceret, in quantum poneret formale et expressum multitudinis suffragium in capite omnium constitutionum, quod absit. Quin imo, nequidem ponit hunc modum ut omnium optimum et rationi magis consentaneum, maxime si ad sensum modernorum universale suffragium accipiatur. Non enim diffitendum est quin modus iste nonnihil absurdi prae se ferat, in eo quod omnia suffragia facit aequalia secundum numericam personarum distinctionem, cum tamen pondus suffragii magis aestimandum sit secundum gradum quem ipsa rerum natura unicuique in communitate assignat, et universim loquendo, ubi de pensanda rationabili voluntate multitudinis agitur, non numerosioris, sed sanioris potius ac melioris partis ratio habenda sit. Verum haec ad nostrum propositum satis adiaphora videbuntur, praesertim si quis iterum attendat quod legitimitas gubernii non tam ab originali facto introductionis eius pendet, quam a consequente usu et tacita etiam adhaesione communitatis.

Unum tamen superest observandum, quia cum dicitur potestatem politicam esse immediate a populo, duobus modis id intelligi potest. Vel a populo habente per prius ipsam potestatem regiminis vi simplicis iuris naturalis, eamque mox a se veluti abdicante et per donationem seu contractum transferente in eos qui reipublicae praesunt. Vel a populo solum constituente legem, vi cuius auctoritas regiminis quae ex puro naturali iure in qua-

dam adhuc generali indeterminatione consistit, determinatur ad talem formam et derivat ad tale subiectum. Et sat multi quidem theologi videntur priori modo rem intelligere. « Postquam popu-« lus, inquit Suarez l. 3 Defens. c. 3, suam potestatem in regem « transtulit, non potest iuste eadem potestate fretus suo arbitrio « seu quoties voluerit se in libertatem vindicare. Nam si pote-« statem suam regi concessit, quam ille acceptavit, eo ipso rex « dominium acquisivit. Ergo quamvis rex habuerit a populo illud « dominium per donationem vel contractum, non ideo licebit po-« pulo dominium illud regi auferre, nec libertatem suam iterum « usurpare ». In quo quidem dicendi modo populus se haberet ad principem sicut qui se spoliat re sua, eiusque dominium ad alium transfert. Sed haec conceptio omnino non videtur admittenda. Primo quia institutio gubernii nusquam concipitur ut abdicatio communitatis, cum per hanc institutionem communitas, nedum amittat quod suum erat, acquirat potius id quod sibi necessarium est. Deinde quia difficulter sane intelligitur, de iure naturae esse aliquam facultatem quae ut plurimum vix ac ne vix quidem potest ad usum deduci. Atqui, ipso etiam fatente Suarezio [1], « ratio na-« turalis dictat non esse necessarium, imo nec conveniens naturae « habere hanc potestatem (gubernii scilicet) immutabilem in tota « communitate ; vix enim potest illa sic sumpta, et nulla deter-« minatione adiuncta vel mutatione facta, uti ». Tertio et maxime, quia revera iste dicendi modus destruit principia supra quae tota de integro praesens doctrina fundatur. Fundamentum enim doctrinae est, quod ius naturale nullam in particulari formam gubernii determinat, et nulli etiam determinato subiecto gubernandi potestatem donat. Ex quo statim sequitur, semper esse necessariam humanam institutionem velut proximam rationem determinationis, tum ad regiminis modum, tum ad subiectum auctoritatis. Nunc autem si dicas ipsissimam potestatem quae transfertur ad principes vel magistratus, esse per prius in populo immediate ex vi iuris naturae, iam destruis principium, et arbitrarium tibi systema construis. Eo enim ipso forma democratica fit forma primitiva, congenita, directe instituta a Deo in omni civili societate, esto non sit instituta ut necessario perma-

[1] Suarez de Legibus, l. 3, c. 3 circa finem.

neat, sed ut possit in aliam mutari, prout communi bono magis expediens visum fuerit.

Verum ab his omnibus inconvenientibus seu etiam contradictionibus longe est alter dicendi modus, quo non ipsa politica potestas, sed solum ius determinandi legitimam regiminis formam, necnon et legitimam rationem investiturae gubernii, naturaliter in populo esse asseritur. Sic enim non oportet fingere imaginariam communitatis abdicationem. Sic non adstruitur potestas naturaliter derivans ad subiectum quod ut plurimum ad eius exercitium aptum non est. Sic denique non ponitur democratia tanquam forma primitiva quae in alias subinde fuerit transmutata, sed formae omnes aequaliter de iure humano sunt, quia omnes ex aequo per consensum communitatis determinandae manent, quanquam aliae ab aliis superentur in maiori minorive convenientia cum natura absolute spectata, et sub hac consideratione, non democratia monarchiae, sed magis monarchia democratiae praeemineat (1).

In hoc igitur stat differentia inter duos dicendi modos, quae etiam exemplo desumpto ex iure proprietatis commode declarari potest. Dupliciter enim dominium rei habere possum ab altero. Vel ab altero tanquam a legitimo possessore qui rem quae erat

(1) « A proprement parler, tous les gouvernements sont des mo-« narchies qui ne diffèrent qu'en ce que le monarque est à vie ou à « temps, héréditaire ou éligible, individu ou corps. Ou si l'on veut, « car c'est la même chose en d'autres termes, tout gouvernement est « aristocratique, composé de plus ou moins de têtes dominatrices : de-« puis la démocratie où cette aristocratie est composée d'autant de têtes « que le permet la nature des choses, *jusqu'à la monarchie où l'aris-« tocratie, inévitable dans tout gouvernement, est dominée par une tête « seule qui termine la pyramide, et forme sans contredit le gouvernement « le plus naturel à l'homme.* Mais de tous les monarques, le plus dur, « le plus despotique, le plus intolérable, c'est le monarque peuple. « L'histoire dépose encore en faveur de cette grande vérité, que la « liberté du petit nombre n'est fondée que sur l'esclavage de la multi-« tude, et que les républiques n'ont jamais été que des souverains à « plusieurs têtes, dont le despotisme toujours plus dur et plus capri-« cieux que celui des monarques, augmentait d'intensité à mesure que « le nombre des sujets se multipliait ». J. de Maistre, Etude sur la souveraineté, c. 6.

sua, nunc facit meam, sicut si Titius mihi donaret agrum suum. Vel ab altero tanquam ab immediato auctore iuris per quod dominium acquiritur, sicut si vi praescriptionis a civili legislatore constitutae inciperem esse dominus fundi qui antea ad me non pertinebat. Et potestatem quidem a populo in magistratus proxime derivare, plerique veterum iuxta prioris exempli analogiam explicant. Nos autem in posteriori potius similitudine putamus esse consistendum. Sed haec ad penitiorem tantum doctrinae expositionem spectant, et forte lis esset magis de verbis quam de re, quia in hoc tandem summa rei reponitur, quod gubernii formae, et tituli exercendae potestatis, et potestas ipsa prout in determinatis subiectis exsistens, non sunt a Deo immediate, sed solum mediante consensu humano, id est consensu communitatis. Et ex dictis apparet sententiam ad hos terminos reductam solidissimis niti fundamentis.

Obiiciunt tamen id quod dicitur in Encyclica *Diuturnum*: « *Interest attendere, eos qui reipublicae praefuturi sint posse in* « *quibusdam causis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non* « *adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu* « *designatur princeps, non conferuntur iura principatus, neque* « *mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum* ».

At nihil in his reperire est quod doctrinae hactenus declaratae quovis modo refragetur, praetereaque nihil. Et re quidem vera, exponitur hoc loco pura et simplex fidei doctrina contra infestam opinionum novitatem quae maxime saeculo XVI complures infatuavit, ac demum desiit saeculo XVIII in monstruosum contractus socialis errorem, a quo, inquit Pontifex, *dissentiunt catholici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt velut a naturali necessarioque principio*. Negatur ergo delectu multitudinis conferri unquam iura principatus, utique ad sensum eorum qui catholicae doctrinae obsistunt, dicentes esse a populo ius principatus omnino secundum se, et non tantum secundum contingentes ac variabiles eius formas, contingentesve ac variabiles titulos possessionis eius. Negatur quoque eodem multitudinis delectu mandari imperium, idque rursus contra eos qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volentes, imperii ortum ex eodem fonte petunt, ipsumque imperium multitudini subiiciunt instar virtutis instrumentalis quae a supremo mandante in mandatarium fluit. Uno demum verbo negatur illud omne quod omni tempore consensu unanimi a catholicis theologis negatum est.

Et eadem quoque ratio est de iis quae affirmantur, videlicet, delectu multitudinis designari principem, vel statui a quo imperium sit gerendum. In hac enim verborum generalitate necessario convenimus omnes, quia ex quo non iure humano, sed divino naturali constitutum in se imperium asseritur, eo ipso humanae actioni, vel voluntati nihil aliud relinquitur nisi determinatio sive designatio imperantis. Verumtamen accurate considerandum est quod ista designatio principis potest esse principis, vel mere materialiter, vel etiam formaliter accepti. Erit principis mere materialiter accepti, si designatio cadat tantummodo super materiale subiectum principatus, minime vero super modum potestatis aut titulum investiturae eius, ut si solum designetur persona quae succedat in dignitate a Deo instituta, eodem prorsus modo quo instituta est, et sine auctoritate ipsam mutandi, augendi, minuendi, aut qualitercumque modificandi. Erit autem principis etiam formaliter accepti, si designatio cadat supra id quoque quod principis est reduplicative in quantum huiusmodi. Quo quidem in casu auctor designationis eo ipso causa est proxima, non quidem potestatis ut sic, sed tamen coniunctionis potestatis cum tali persona secundum talem modum talesque conditiones. Et ideo a primo ad ultimum, per hoc quod dicitur *delectu multitudinis designari principem, non conferri iura principatus,* non magis removetur a communitate potestas vere constitutiva regiminis, quam removeretur a principatu civili potestas vere factiva legis, si quis diceret, *per legislationem civilem designari id quod ut iustum servandum est, non conferri ipsam iustitiae rationem.* Quippe ipsa iustitiae ratio semper est a lege naturali, et tamen civilis legislatio designando unum modum iusti inter omnes modos qui legi naturali non repugnant, vere proximum principium iuris et dicitur et est. Nihil ergo ex loco obiecto sequitur, quia ibi ad id unum de industria omnia collineant, ut scilicet potestas sive principatus *a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur,* et persuasum unicuique sit, *eos qui politicae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere, qui honorem recusant principibus, ipsi Deo recusare* (1).

(1) Sed multo expressius idem Pontifex Leo XIII normam quam secuti sumus tradit in Encyclica gallico idiomate edita, 16 Februarii 1892, *Au milieu des sollicitudes:* « Cette forme (du pouvoir politique) nait

At dices, ex natura saltem rei excludi nostram de civili principatu sententiam. Tum quia in signo priori ad institutionem gubernii nondum est constituta societas, ac per hoc, societas ut sic nihil potest aut statuere aut conferre. Tum quia si potestas politica a Deo est quocumque modo, oportet ut a Deo sit in aliquo determinato ac concreto subiecto, nisi forte eam ut a Deo est, in se subsistentem fingas. Tum denique quia iste dicendi modus est seditionum fundamentum, factiosis ac rebellibus avidissime arripiendum, cum posset populus in principem insurgere, seque in libertatem vindicare quandocumque ipsi videretur, fretus eodem iure et potestate quam in Regem transtulit. Et confirmatur quia omnia haec inconvenientia nunc monstravit luctuosa admodum experientia, quam si prae se habuissent veteres illi scholastici, nusquam in eam abivissent sententiam quae tot tantisque abusibus ansam praebet, et omni ex parte placitis hodiernorum reipublicae perturbatorum favere videtur. Ita communiter auctores recentiores qui potestatem principum immediate a Deo derivatam volunt. Sed revera nihil horum intentum demonstrat.

Ad 1^um respondeo quod in signo priori ad institutionem gubernii, nondum quidem est societas ultimo constituta in actu perfecto, bene tamen in actu primo, ubicumque adest determinata multitudo hominum qui in unum inveniuntur congregati ut mutuo se iuvent ad unum finem politicum. Insuper dico quod in hac prima societatis constitutione nihil deesse potest in ordine ad effectum de quo agitur. Nisi enim velimus societates civiles esse in individuo immediate a natura institutas, oportet sane quamdam potestatem constituentem agnoscere in hominum communi-

« de l'ensemble des circonstances historiques ou nationales, mais tou-
« jours humaines, qui font surgir dans une nation ses lois traditionelles
« et même fondamentales, et par celles-ci se trouve déterminée telle
« forme particulière de gouvernement, telle base de transmission des
« pouvoirs suprêmes ». — Et in litteris apostolicis ad Cardinales Gallos, 3 Maii 1892 : « Si le pouvoir politique est toujours de Dieu, il ne
« s'ensuit pas que la désignation divine affecte toujours et immédiate-
« ment les modes de transmission de ce pouvoir, ni les formes contin-
« gentes qu'il revêt, ni les personnes qui en sont le sujet. La variété
« même de ces modes dans les diverses nations montre à l'évidence le
« caractère humain de leur origine ».

tatibus. Sed non, ut per se constat, in communitatibus suam socialem formam iam habentibus in actu secundo. Ergo in communitatibus prout in actu primo societatis politicae exsistentibus. Ex quo ultro consequitur quod ante institutionem gubernii iam adest potestas socialis, nondum quidem in ordine ad gubernationem societatis, sed in ordine ad constituendum modo iam dicto principatum a quo sit ipsa gubernatio. Neque in hoc adversarii a nobis dissentire possunt, nam dicunt a communitate designari subiectum cui Deus immediate potestatem confert. Sed quaero utrum designatio ista sit vel non sit a societate politica. Si a societate politica est, ergo ante constitutionem gubernii aliquo iam modo exsistit societas politici actus capax. Si non est a societate politica, ergo designatio facta non erit magis exigitiva potestatis a Deo directe emanantis, ac si privatus quispiam vel quaelibet turba Titium designaret in papam vel regem. Dicunt insuper, determinationem formae, puta monarchicae, aristocraticae, democraticae, debere esse a communitate, saltem ut praestabilitam normam cui se accommodat Deus in immediata donatione potestatis. Sed rursus, praevia ista formae designatio habetne vim legis, vel non habet? Si non habet, neque etiam socialis institutio est, quae sociali potestati modum praefigat et mensuram. Si habet, ergo iterum a societate ut sic, antecedenter ad gubernii constitutionem, statutum aliquod emanare potest. Quamobrem adversarii in hac parte, velint nolint, nobiscum sentire coguntur, quia non est discrimen nisi in hoc, quod sociale statutum considerant per modum merae conditionis praeviae ad specialem donationem Dei; nos vero attendentes nihil tale in praesenti esse fingendum, idem statutum accipimus ut quo determinatur generalis donatio iuris naturalis ad certum subiectum secundum certam politiae formam.

Ad 2^{um} responderet Suarez et qui cum eo sentiunt, principatum politicum prout a Deo est, esse immediate in subiecto concreto quod est communitas ipsa, a qua deinde vel retinetur, vel transfertur in unum monarcham aut in collegium optimatum. Sed misso hoc modo loquendi consequenter ad superius praemissa, dico non esse aequiparandam iurisdictionis potestatem formis physicis, quae nisi in aliquo determinato subiecto sint, nullo modo sunt. Nam alias v. g., mortuo papa et Sede vacante, dicenda esset papalis potestas penitus exstincta, quod absit. Con-

siderandum ergo quod potestas dupliciter exsistit, vel ut instituta, vel ut habita, et ita quidem ut prius intelligatur instituta quam habita. Porro etsi ut habita, determinatum aliquod subiectum necessario requirat, quemadmodum constat ex ipsis terminis, non tamen ut instituta, quia ut talis non est nisi in ordinatione rationis quam superior edixit. Et quia nihil obstat quominus in ordinatione rationis aliquid consistat sub quadam generalitate per subsequentes ordinationes ulterius determinanda, non solum non oportet ut potestas prout a Deo immediate instituta, in aliqua persona vel morali vel physica actu subiectetur, sed nequidem oportet ut ad certas personas certasve personarum conditiones certum ordinem dicat. Nam omnia spectantia tam regiminis formam quam alligationem potestatis cum titulis possessionis eius, ulteriori hominum dispositioni relicta sunt. Unde si quaeras ubinam sit potestas politica prout immediate instituta a Deo, respondeo: In lege naturae est, sive in ordinatione divinae rationis quam naturae humanae conditio prodit, quaeque in hominum mentibus scripta invenitur. Sed quoniam haec ordinatio in quadam generalitate sita est, locus est ulteriori hominum institutioni, ut simul verum sit quod quisquis in particulari politicae detentor est potestatis, a iure humano tanquam a fonte proximo illam detineat, et tamen potestas nequaquam sit ab hominibus sub ratione potestatis civilis in quantum huiusmodi, sed solum (ut saepe dictum est) sub ratione determinationis ad talem formam, et derivationis ad tale subiectum.

Ad 3^{um} denique prae primis noto quod de abusibus in praesenti nos non oportet esse sollicitos. Nam praeterquam quod nulla doctrina condemnari potest ex abusu, quia quisquis doctrinae abusum dicit, consequentias ex ea non recte deductas significat, difficile admodum esset decernere quaenam opinio ex his quae nunc in considerationem veniunt, maioribus magisque detestandis abusibus ansam praebuerit. Certe regalistae omnes ex immediata derivatione potestatis politicae a Deo in reges, primum quidem summam regum qua talium independentiam adstruendam censuerunt. Tum exinde pedetentim procedentes, iura principatus ad ipsam religionem extenderunt, donec monstrum doctrinae ad plenam evolutionem perduceretur, quando reiectis regibus de iure divino, retenta fuit sola praeponderantia Status, qui omnium omnino iurium fons et arbiter exsisteret. Cum ergo ex neutra

parte possibilitas abusuum desit, reliquum sane est ut ab his penitus abstrahatur, et solum quaeratur quid vere ex principiis fluat. Atqui rebellionis fundamentum radicitus tollit omnis doctrina adserens divinum praeceptum obedientiae erga constitutas potestates. Quod quidem praeceptum ab apostolis quoque non semel inculcatum, nedum auferatur aut qualicumque modo minuatur, omni potius ope contra subversivum errorem contractus socialis defenditur. Ex hoc namque quod politicae potestates a Deo sensu iam dicto immediate constitutae non sint, minime consequitur non esse Dei praeceptum etiam immediatum, ut eis obediamus. Et vice versa, ex hoc quod iubet Deus ut superioribus obtemperetur, nequaquam consequens est, principem esse principem immediate a Deo, aut immediate a Deo super hos vel illos constitutum fuisse superiorem. Et hoc, inquit Bellarminus (1), si Marsilius non intelligit, « nihil aliud remedii adferre possum, « nisi ut Deum rogem ut immediate plus ei luminis largiatur « quam adhuc est ». Non ergo factiosis ac rebellibus suppeditatur praetextus, quia semper verum erit omnem animam debere esse subditam potestatibus sublimioribus, et Dei ordinationi resistere eum qui constitutae potestati resistit.

At neque ex hoc quod consensus communitatis assignatur ut proximum principium investiturae imperantium, legitima sequela est, posse ad libitum multitudinis deponi unum gubernium, ut aliud continuo subrogetur. Non enim hic nuda voluntas quaeritur, quae a superiori regula independens sit, sed quae conditiones habeat ad omnem veri nominis legem necessarias. Porro nuda voluntas nusquam dicitur esse factiva legis, et nisi rationis ordinem consequatur, non habet nec habere potest efficaciam. Interim vero ne fingamus, quaeso, hypotheses imaginarias quae locum in mundo sublunari non habent. Meminerimus mutationes guberniorum vel legitimis vel illegitimis viis introductas, esse indeclinabilem consequentiam instabilitatis rerum humanarum quam nulla unquam vis aut theoria valebit impedire. Meminerimus quoque, quam suaviter somnient qui id agunt ut res humanae nullo incommodo laborent, tanquam in coelesti aula versemur inter angelos. Et his iam omnibus suppositionibus factis quas non platonica speculatio, sed ipsa rerum ne-

(1) Bellarm., contra Ioan. Marsil., resp. ad tertium capitulum.

cessitas suggerit, forsitan intelliges quae doctrina magis consulat tranquillitati et prosperitati reipublicae: illa quae hactenus fuit declarata, an vero illa alia quae praeposterae *legitimitatis* conceptioni innixa, tam immobile ius in dynastiis regum videtur agnoscere, ac in apostolicae Sedis antistitum successione. Verum ad huius rei evidentiam conducet declaratio sequentis assertionis, in qua ultima huius disquisitionis conclusio reponitur.

IV. Quod ius statuendi novam gubernii formam novamque investituram potestatis, semper in communitate est quantum boni publici necessitas exigit, et quod hac de causa, generatim loquendo, omne gubernium cui pacifice adhaeret communitas, pro legitimo habendum sit.

Substantia demonstrationis in hoc est, quod ius principatus natura sua non ordinatur sicut ius proprietatis, ad bonum eius qui habet principatum, sed pure et simpliciter ad bonum societatis in quam exercetur principatus. Unde statim sequitur iuxta evidens certissimumque legis naturalis dictamen, quod solius boni publici in praesenti ratio habenda sit, ut si quando haec ipsa boni publici necessitas requirat novam gubernii formam novamque imperantium investituram, nullum praeexsistens seu personae seu familiae ius id valeat prohibere. Sequitur quoque, novam hanc legitimi gubernii constitutionem ad eosdem pertinere ad quos pertinebat prior, ac per hoc, penes communitatem semper habitu manere potestatem (ut aiunt) constituentem, quae tamen non temere et ad libitum in legitimum usum venire aut debeat aut possit, sed quoties id exposcit supremum criterium boni communis, et tranquillitatis publicae socialis necessitas.

At requiret forsitan quispiam, quandonam aderit evidens illa necessitatis socialis exigentia. Dico autem non a longe repetendam esse responsionem, nec ad casus metaphysicos esse confugiendum. Sine dubio enim praedicta necessitas adest, quoties destructa quacumque ex causa praecedenti forma gubernii, introducitur de facto novum regimen quod iam aut nullo modo aut non sine pacis detrimento possit tolli de medio. Et nota quomodo dictum sit, *destructo quacumque ex causa praecedenti gubernio,* ut nequidem excipiatur casus in quo per summum nefas a factiosis et rebellibus pulsum gubernium extinctumque est. Neque enim hic quaeritur de moralitate gestorum antecedentium, non de causis ex quibus factum est ut antiqua consti-

tutio locum in societate politica amplius non inveniat, sed unice de eo quod hic et nunc, datis omnibus circumstantiis quae de facto exsistunt, requirat boni communis suprema lex. Porro ex hoc supremo criterio luculenter apparet, communitatem eodem quo prius iure instrui circa institutionem principatus, adeoque pacificam eius adhaesionem ad novum regimen habituram esse eamdem legitimae investiturae vim, quam antea habuerat in primis societatis originibus. Unde tandem concluditur quod generatim loquendo, pro legitimo habendum est omne civile gubernium, ex quo constitutum, acceptatum, atque ad regulare exercitium perductum est. Consulto tamen dixi *generatim loquendo*, ne per absolutam assertionis universalitatem detrimentum aliquod capere videatur civilis Romani Pontificis principatus, cuius specialis est et omnino exsors conditio. Quippe hic principatus non ad solum temporale bonum subditorum, verum etiam ad bonum spirituale totius christianitatis, indirecte quidem, sed tamen vere ordinatur; et ideo mirum non est si principia quae alias de mutationibus politicis valent, non eamdem ibi habeant applicationem. Sed ab his interim oportet abstrahere, tum quia res exponenda relinquitur in quaestione de immunitate ecclesiastica, tum quia ubi generalia principia tractantur, ad casus singularissimos non est omnino divertendum.

Confirmatur demum conclusio ex antiqua et immemorabili praxi Ecclesiae, quae semper in omnibus guberniis cuiuscumque originis, semel ac constituta erant et populorum consensu firmata, veram agnovit politicam potestatem. Veram dico potestatem quae a Deo augusto sanctissimoque fonte manat; erga quam christiani omnes conscientiae ligamine, (interposita etiam ubi opus fuerit sacramenti fide), obstringuntur; quamque in mente habebat Apostolus ubi iubebat obsecrationes in Ecclesia fieri *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Et hanc perpetuam Ecclesiae praxim ac disciplinam doctrinali demum declaratione novissime illustravit Leo XIII in memoranda illa ad Gallos encyclica *Au milieu des sollicitudes*, a qua in hac disquisitione ne latum quidem unguem discedere curae fuit (1).

(1) Praecipuus huius encyclicae locus qui ad rem facit, hic est : « Quant aux sociétés purement humaines, c'est un fait gravé cent fois

§ 2.

De modo principatus ecclesiastici.

Hactenus de principatu politico disserentes, a scopo praefixo declinare forsitan videbamur. Sed ut dictum est ab initio, propositum intentionis erat praestituere primum consuetam ac familiarem

« dans l'histoire, que le temps, ce grand transformateur de tout ici-bas, « opère dans leurs institutions politiques de profonds changements. Par- « fois il se borne à modifier quelque chose à la forme de gouvernement « établie; d'autres fois il va jusqu'à substituer aux formes primitives « d'autres formes totalement différentes, sans en excepter le mode de « transmission du pouvoir souverain. Et comment viennent à se pro- « duire ces changements politiques dont Nous parlons? Ils succèdent « parfois à des crises violentes, trop souvent sanglantes, au milieu des- « quelles les gouvernements préexistants disparaissent en fait. Voilà « l'anarchie qui domine; bientôt l'ordre public est bouleversé jusque « dans ses fondements. Dès lors une nécessité sociale s'impose à la « nation; elle doit sans retard pourvoir à elle-même. Comment n'aurait- « elle pas le droit, et plus encore le devoir de se défendre contre un « état de choses qui la trouble si profondément, et de rétablir la paix « publique dans la tranquillité de l'ordre? Or cette nécessité sociale « justifie la création et l'existence des nouveaux gouvernements, quel- « que forme qu'ils prennent, puisque dans l'hypothèse où nous raison- « nons, ces nouveaux gouvernements sont nécessairement requis par « l'ordre public, tout ordre public étant impossible sans un gouverne- « ment. Il suit de là que dans de semblables conjonctures toute la nou- « veauté se borne à la forme politique des pouvoirs civils, ou à leur « mode de transmission; elle n'affecte nullement le pouvoir considéré « en lui-même. Celui ci continue d'être immuable et digne de respect, « car envisagé dans sa nature, il est constitué et s'impose pour pour- « voir au bien commun, but suprême qui donne son origine à la so- « ciété humaine. En d'autres termes, dans toute hypothèse le pouvoir « civil considéré comme tel, est de Dieu, *et toujours* de Dieu, *car il « n'y a point de pouvoir si ce n'est de Dieu*. Par conséquent, lorsque « les nouveaux gouvernements qui représentent cet immuable pouvoir « sont constitués, les accepter n'est pas seulement permis, mais réclamé, « voire même imposé par la nécessité du bien social qui les a faits et « les maintient... Et ce grand devoir de respect et de dépendance per- « sévérera tant que les exigences du bien commun le demanderont, « puisque ce bien est après Dieu, dans la société, la loi première et

regiminis rationem quam lex naturalis et huic legi consentaneus usus in civilibus introduxit, ut deinde notarentur differentiae quae Ecclesiae regimen discriminant. Id igitur nunc praestandum est, ac per hoc ipsum palam fiet, quantum praesentis quaestionis generalitas requirit, quid proprium quidve distinctivum habeat ecclesiastici principàtus forma et constitutio.

In primis, si ambas potestates secundum se accipiamus, non erit discrimen praecise quoad originem a Deo, tametsi alia a Deo sit auctore naturae, alia autem a Deo auctore gratiae, quia una ordinem habet ad finem temporalis tranquillitatis quae ab ipsa natura exigitur, altera ad bonum quod sanguine suo Christus nobis acquisivit, transcendens omnes naturae vires. Verum de potestate nunc quaeritur, non tam veluti in abstracto, quàm per ordinem ad subiecta in quibus recipitur, videlicet de forma gubernii et modo institutionis eius.

Porro forma gubernii nequaquam hic relicta est determinationi communitatis, sed a solo principe Ecclesiae Iesu Christo ortum habet. Quod sane intelligas velim de forma non solum in confuso, velut si tantum instituisset Christus ut Ecclesiae regimen foret v. g. monarchicum potius quam aristocraticum aut democraticum, sed omnino in individuo, quatenus regimen ordinavit ipsemet *per omnem iuncturam subministrationis,* designando etiam in perpetuum supremae auctoritatis subiectum, a quo tanquam a capite vicario omnis inferior potestas derivaret. Unde statim elucet principalis differentia quae est inter formam regiminis ecclesiastici, et omnes quotquot sunt aut esse possunt civilium guberniorum constitutiones. In civilibus namque potestas a Deo originaliter descendens, nonnisi mediante communitate (modo iam dicto) ad eos pervenit qui exercent principatum. Hic

« dernière. Par là s'explique la sagesse de l'Eglise dans le maintien « de ses relations avec les nombreux gouvernements qui se sont suc- « cédés en France en moins d'un siècle, et jamais sans produire des « secousses violentes et profondes, etc. ». — Quibus consonant ea quae a Pontifice dicuntur in epistola ad Cardinales Gallos de eadem re : « Accepter sans arrière-pensée... le pouvoir civil dans la forme où de « fait il existe. Lorsque dans une société il existe un pouvoir constitué « et mis à l'œuvre, l'intérêt commun se trouve lié à ce pouvoir, et l'on « doit l'accepter tel qu'il est, comme représentant le pouvoir venu de « Dieu ».

autem nusquam mediat aut communitas aut collegium communitatis. Si quando enim habeat intervenire, id erit ad inducendum in particulari persona conditionem cum qua ius divinum, ipsumque solum, coniunxit supremam potestatem, minime vero ad causandum ipsam alligationem potestatis cum praefata conditione vel titulo. Quare potestas ibi via prorsum directa, a Deo in Christum, a Christo in eius vicarium, a Christi vicario in caeteros quosvis praesules descendit, nulla alia persona sive physica sive morali in ratione causae mediae se habente.

Et haec quidem positivis tum Evangelii tum Traditionis testimoniis in posterum demonstranda relinquuntur. Interim vero generalem differentiae rationem *ex natura rei* in hoc possumus assignare, quod nullus est homo qui naturaliter sit princeps communitatis civilis, aut naturale ius in eam habeat. Quo fit ut vel cogaris recurrere ad praeternaturalem Dei interventum qui sine ratione sufficienti hic fingeretur, vel debeas revera confiteri quod absque positiva institutione ipsiusmet communitatis, nequit omnino esse constitutio et investitura principatus. At vero homo Iesus Christus Ecclesiam continet ut adaequatum eius principium. Ipse enim est *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (1). Ipse est qui dilexit Ecclesiam, *et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (2). Denique ipsum dedit Deus caput super omnem Ecclesiam, *quae est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur* (3). Non ergo se habet communitas Ecclesiae ad suum caput, sicut civilis communitas ad proprium principem, qui ab extrinseco tantum additam habens principatus praerogativam, naturaliter ac per se nonnisi unus de communitate est. Omnino enim ex natura rei venit quod penes unum hominem Iesum Christum resideat Ecclesiae principatus et dominium et praelatio, ac per hoc, ex natura quoque rei efficitur ut non ad communitatem pertineat institutio regiminis aut qua-

(1) Tit. II-14.
(2) Eph. V-25 seq.
(3) Eph. I-22.

liscumque investitura gubernantium, qui in tantum ius principatus exercere poterunt, in quantum naturalis principis seu capitis *vicariam* obtinebunt auctoritatem. Ad rem Caietanus, Tract. 2 de auctoritate Papae et Concilii, c. 1 : « Ecclesia, inquit, non a singula-« ribus aut a communitate, sed a capite homogeneo Iesu Christo « initium sumpsit originis, perfectionis, et potestatis. Natura igitur « ecclesiastici regiminis ab ipsa sua nativitate est ut sit non in « communitate, nec ut a communitate ad unum vel plures deri-« vetur, quemadmodum accidit in regimine civili humano, sed ut « in uno certo principe suapte natura sit. Et cum princeps iste « unus atque idem in saecula regnet, oportet secundum naturalis « iuris consequentiam, ut ad ipsum principem, non ad commu-« nitatem Ecclesiae spectet in sua absentia ordinare de vicario, « qui non est vicarius communitatis Ecclesiae, sed Christi. Et « hoc ipsum Salvator per semetipsum exsequi dignatus est, dum « Petrum solum instituit suum vicarium post resurrectionem. « Relinquitur ergo quod sicut princeps Ecclesiae Christus non « ab Ecclesiae communitate naturaliter auctoritatem habet, ita « illius vicarius non ab Ecclesiae communitate, sed a Iesu Christo « auctoritatem naturaliter habet... Unde ordo gratiae non tollit « in Ecclesia naturae ordinem qui ibi natus est esse. Non enim « Ecclesiae natus est esse ordo talis, ut eius sit ius principatus, « et a gratiae ordine tollatur. Sed in Ecclesia ex sua natura est « ordo talis ut ius principatus sit non in se, sed in domino suo « naturali. Et hunc naturae ordinem in Ecclesia, consequens est « quod gratia non tollat, sed perficiat, et Iesu Christi sapientia « disponens omnia suaviter complectatur ».

Sic igitur, fundamentalem tenes differentiam inter ecclesiasticum et politicum gubernium, ut neque ea quae Ecclesiae constitutioni propria sunt ad civilia transferas, neque vicissim ex iis quae de civilibus naturalis ratio perspicit, genuinam rationem sacri principatus corrumpas. Porro si in Ecclesia a Deo est non solum potestas in communi, verum etiam forma et constitutio regiminis in speciali, ultimo demum consequitur quod nullus ibi remanet locus mutationibus illis, utique tot ac tantis, quae alias accidunt iuxta variationes temporum, eventuum, aut quarumlibet circumstantiarum humanarum. Sed cum ipsa Ecclesia a Christo provisa sit in finem usque duratura, in finem quoque infallibiliter retinebit eamdem constitutionem et hierarchiam quam a suo

fundatore accepit, ut inter innumeras vicissitudines labilesque decursus regnorum huius mundi, prodigiosa sua stabilitate velut signum levatum in nationes semper emineat (1). Haec enim est civitas a Deo tota descendens, facta secundum exemplar illius coelestis Ierusalem quae in aeternum non commovebitur. Hoc tabernaculum verum quod fixit Dominus, et non homo. Haec denique castra summo ordine disposita, quae contemplabatur Balaam de excelsis Moab cum ad maledicendum Israeli vocatus esset, et quacumque ex parte aspiceret, in extasim admirationis rapiebatur, prophetico spiritu dicens : *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel !*

Sed iam a generalibus considerationibus descendendum est ad magis particularia, perlustrando singillatim quaecumque ad sacris regiminis formam, dispositionem, et constitutionem spectant. Incipiendum autem a monarchia in Beato Petro a Christo instituta.

(1) « Seule l'Eglise de J. C. a pu conserver et conservera sûrement jusqu'à la consommation des temps sa forme de gouvernement. « Fondée par celui qui était, qui est, et qui sera dans les siècles des « siècles, elle a reçu de lui dès son origine tout ce qu'il faut pour « poursuivre sa mission divine à travers l'océan mobile des choses humaines. Et loin d'avoir besoin de transformer sa constitution essentielle, elle n'a pas même le pouvoir de renoncer aux conditions de « vraie liberté et de souveraine indépendance dont la Providence l'a « munie dans l'intérêt général des âmes, etc. ». Leo XIII, *Au milieu des sollicitudes.*

QUAESTIO XIII.

DE MONARCHIA ECCLESIAE IN B. PETRO INSTITUTA

Hic de monarchia generatim, necnon et de variis opinionibus sive erroribus qui circa ecclesiastici regiminis constitutionem prodierunt, praevia quaedam expositio esse debet.

§ 1.

Monarchia generatim dicitur summum penes unum rectorem imperium. Est prima e tribus simplicibus formis quae in gubernatione attenduntur, secundum quod supremae auctoritatis subiectum est vel unus princeps, vel collegium optimatum, vel denique ipsa communitas. Primam autem dixi, ut quae aliis duabus facile praeemineat. Nam ubi summa potestas est penes unum, ibi quoque, quantum est ex natura rei, et melior habetur ordo, et fortior consistentia, et maius studium boni publici in gubernante, sicut optimis rationibus ostendit Bellarminus, l. 1 de Rom. Pont. c. 2.

In primis melior habetur ordo, quia ordo in eo positus est ut alii praesint, alii subiiciantur; non enim inter pares, sed inter superiores et inferiores ordo dignoscitur, nam ordo includit in se aliquem modum prioris et posterioris. Ubi autem monarchia est, ibi omnes omnino ordinem aliquem habent, cum nemo sit qui non subiiciatur alicui, eo solum excepto qui curam omnium gerit. Ubi vero gubernatio penes optimates est, plebes quidem ordinem suum habent, cum subiiciantur optimatibus, sed optimates inter se ordinem nullum habent. Et multo minor ordo in democratia invenitur, nam est quidem ordo partium ad communitatem, ipsa vero communitas prout est potestatis subiectum, constituitur membris quorum multa sunt ad invicem paria et aequalis iuris. — Secundo in monarchia habetur fortior consistentia, quia maior coniunctio est ubi ab uno pendent omnes, quam ubi a multis.

Quippe unitatis fortius principium est monarcha quam collegium, quandoquidem magis unum est ipsum simplex unum, quam multitudo conspirans in unum. Illud enim est unum per se et naturaliter, et nihil aliud est quam unum; haec autem solum ex arte est unum, per se vero et naturaliter multa. Hinc monarchia quae pendet ab uno, minus facile scindi destruive potest quam aristocratia vel democratia quae pendet a multitudine conspirante in unum. — Tertio denique in monarchia maius est studium publici boni, quia secundum communiter contingentia, tanto quisque magis idoneus magisque studiosus publici boni curator est, quanto magis eidem curando devincitur tanquam suo. Sed publicum bonum nemini magis proprium bonum est quam monarchae; nam in aristocratia ad neminem in particulari pertinet regnum, sed a pluribus in communi possidetur, et ideo unusquisque negotia regni quasi communia, adeoque quasi aliena respicit. Monarcha vero eadem cogitur respicere tanquam sua et propria. Certum est autem, propria facilius et diligentius quam aliena curari. — Ita Bellarminus loco citato, et ex his patet perfectiorem gubernationis formam per se loquendo, esse monarchiam.

Porro monarchia primo dividitur in *puram* et non puram seu *mixtam*. Monarchia pura ea est in qua monarcha habet plenitudinem supremae potestatis tum legislativae tum iudiciariae tum exsecutivae, independenter omnino a concursu alius cuiusvis, puta collegii vel senatus. Huic ergo formae quam maxime applicantur considerationes mox propositae. At licet in speculatione optimum omnium regimen esse videatur, ubi tamen ad concreta descenditur, neque ei in humanis sua inconvenientia desunt. Timendum enim est ne, cum in manu unius citra omnem aliorum participationem summum imperium resideat, exorbitet ille per potestatis abusum in detrimentum communitatis. Quamobrem expediet plerumque limitari monarchae auctoritatem: utputa si potiores tantum partes in supremo regimine ei attribuantur, si in ferendis legibus vel omnibus vel saltem aliquibus, consensus optimatum seu etiam mandatariorum populi sit ei necessarius; si facta divisione (ut aiunt) potestatum, tota plenitudo solius potestatis administrativae sive exsecutivae ei remaneat, atque ita porro. Et in hoc est temperamentum proprie dictum, quo vere ius monarchicum diminuitur. Afficit enim ipsam intrinsecam atque constitutivam rationem monarchiae ut sic, impediens

ne summum imperium sit simpliciter et absque restrictione penes unum. Interim vero iam observa quod si esset aliqua monarchia in qua propter divinam assistentiam non posset princeps potestate abuti in regni destructionem, tunc nulla eiusmodi temperamenti necessitas foret aut convenientia, sed monarchia pura omnem retineret perfectionem quam in ea adinvenit speculativa consideratio. — Haec de divisione monarchiae in puram et mixtam seu temperatam.

Altera quoque monarchiae divisio est in *absolutam* et *non absolutam,* et licet prima fronte videri posset coincidere cum praecedenti, plurimum tamen ab ea differt. Ratio, quia omnis quidem monarchia absoluta eo ipso pura est, sed non convertitur, eo quod monarchia absoluta addit supra puram. Addit, inquam, exclusionem cuiuscumque alius regiminis, etiam subordinati, puta principum qui sub monarcha particulares moderentur provincias vel civitates ex propria sibi atque ordinaria potestate. In hac enim politiae forma, non supremae tantum, verum etiam totius potestatis adaequatum subiectum monarcha est, et quicumque alii sub eo gubernant, nihil plus sunt quam simplices eius commissarii sive delegati, ad eius nutum semper revocabiles. Uno demum verbo, in monarchia absoluta unus solus est rector supremus, et idem ipse est quoque unicus rector ordinarius. At monarchia pura hanc alteram conditionem necessario non requirit. Eius enim ratio per se absolvitur in hoc, quod plenitudo potestatis regiminis unicuique societati secundum propriam naturam propriumque finem competentis, sit in manu unius absque dependentia ab aliis. Et nota quomodo dixerim *plenitudinem potestatis regiminis.* Non enim de quacumque potestate hic sermo est, cum nullius unquam monarchiae ratio ferat ut monarcha omnia omnino possit in regno, immutando etiam ea quae fundamentali atque constitutiva lege regni ordinata sunt. Quippe, oportet semper discernere potestatem *regentem* a potestate *constituente,* nam potestas constituens altioris ordinis est, et ad aliam regiminis praesupponitur; denique ipsi quoque monarchae dominatur, quoniam ab ea ille omnem suam derivat auctoritaten- Hinc puritati monarchiae minime opponitur ea potestatis limitatio qua monarcha a violatione constitutionis prohibetur, sed illa dumtaxat quae vel auferret ab eo aliquam regiminis partem, vel in usu supremae atque universalis iurisdictionis faceret eum ab

optimatibus vel populo qualicumque tandem modo dependentem.

Sicubi igitur esset constitutio quae supremo capiti super totum regnum plenam atque independentem attribueret regendi auctoritatem, et tamen sub monarcha poneret ordinem praesidum qui a monarcha instituendi, singulas civitates aut provincias tanquam veri ordinarii principes moderarentur, constat quod eiusmodi constitutio a puritate formae monarchicae nequaquam deficeret. Non esset equidem *monarchia absoluta,* id est soluta ab omni additamento aristocratici regiminis, sed nec cum veritate diceretur *monarchia temperata* seu mixta; unde si nomen quaeritur, dicenda foret *monarchia pura aristocratiae coniuncta.* Monarchia, inquam, pura, cui omnis decor et consistentia et ordo monarchici regiminis de integro remaneret. Aristocratiae tamen coniuncta, ad vitandum praecipuum monarchiae absolutae inconveniens, nimiam dico centralizationem quae provinciis vel civitatibus omnem individualitatem propriumve motum adimens, fere extinguit activitatem partium, impeditque aequam per totum sociale corpus expansionem vitae. Nunc autem si particularibus plebibus non meri commissarii, sed veri principes cum potestate propria, etsi subordinata, praesideant, iam singulae provinciae sub singulis capitibus constitutae suam servant in toto distinctionem, et si dicere fas est, personalitatem, ut absque detrimento compactae unitatis, per omnes regni partes tanquam ex multiplicatis centris vitalis vigor expandatur.

His igitur in antecessum ad terminorum intelligentiam praemissis, breviter sunt recensendae opiniones seu sententiae quae circa ecclesiastici regiminis constitutionem prodierunt.

§ 2.

In primis error est haereticorum simpliciter negantium regimen Ecclesiae esse ex divina institutione monarchicum. In quo errore necessario conveniunt quicumque primatum a Christo immediate et directe Petro et successoribus eius collatum renuunt. Differunt tamen inter se, dum alii, ut Graeci et Anglicani, aristocraticam quamdam regiminis formam Ecclesiae inditam opinantur; alii ut puri Protestantes, nudam et simplicem democratiam ei convenire statuunt; alii demum, ut Febroniani et Ianse-

nistae, in tantum adstruunt regimen democraticum, in quantum a corpore fidelium in pastores derivari volunt ecclesiastici ministerii ac regiminis potestatem, et in ipso Pontifice summo merum agnoscunt caput ministeriale ad decretorum communitatis exsecutionem (1). In contrarium vero sunt catholici omnes, apud quos semper in confesso fuit, monarchicam esse constitutionem quam immediate a Christo accepit Ecclesia.

At Gallicani aliquando, post tempora Concilii Constantiensis, monarchiam asseruerunt aristocratia temperatam. Reprobabant quidem ut haereticum et schismaticum eum qui negaret *statum papalem institutum esse a Deo supernaturaliter, tamquam habentem primatum monarchicum et regalem in ecclesiastica hierarchia* (2). Verumtamen in Petro eiusque successoribus non agnoscebant iura principatus secundum totam eorum plenitudinem, sed cum certis temperamentis limitantibus, imo dato aliquo eventu, elidentibus summi antistitis auctoritatem. Et primo quidem, quantum ad potestatem magisterii, dicebant praecipuas esse in fidei quaestionibus Summi Pontificis partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, non tamen irreformabile ac supremum esse iudicium, nisi totius Ecclesiae docentis, id est corporis episcoporum accedente consensu (3). Quod autem attinet ad potestatem iurisdictionis, in primis profitebantur superioritatem concilii plenarii seu generalis supra Papam, quia, inquiebant, « ad « politiam regalem (id est monarchicam) non requiritur quod rex « sit super omnes sui regni tam regulariter quam casualiter, sed « sat est quod rex sit super unumquemlibet et super totum re- « gnum regulariter, et regnum sit super eum casualiter et in « aliquo eventu. Sic est de politia ecclesiastica. Papa est regu-

(1) « Propositio quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae ut « communicaretur pastoribus qui sunt eius ministri pro salute animarum,* « sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur eccle- « siastici ministerii ac regiminis potestas : haeretica. — Insuper, quae « statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale,* sic explicata, ut « Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia « potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Chri- « sti vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia : hae- « retica ». Bulla Auctorem fidei n. 2 et 3.

(2) Ioannes Gerson, Tract. de Statibus, Consider. 1.

(3) Art 4 declarationis cleri Gallicani anni 1682.

« lariter super unumquemlibet et super omnes in christianismo « dispersos, sed quando concilium generale est congregatum, « quod casualiter evenit, est super Papam (1) ». Insuper pro regulari quoque et ordinario statu in quo Ecclesia regens per totum orbem est dispersa, apostolicae potestatis usum moderandum esse volebant per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, ita scilicet ut canones isti, iuris licet mere ecclesiastici, ipsi quoque pontificiae auctoritati modum imponerent, terminosque impertransibiles (2). Unde tandem aliqui quos non immerito extremam sinistram appellares, proprio velut pondere doctrinae impulsi, eousque processerunt ut dicerent, papalem iurisdictionem nequaquam esse ex vi ordinarii muneris immediatam in singulos fideles, sed mediatam tantum, hoc est, quae in eos exerceri non posset nisi mediante iurisdictione proprii episcopi, idque solo excepto casu appellationis in secunda instantia, vel etiam casu in quo proprius episcopus suo forte muneri deesset (3).

Haec sunt praecipua capita gallicani systematis, de quo non est quaerendum quomodo cohaereat cum principio ab ipsis etiam Gallicanis semper retento, de absoluta necessitate adhaerendi Sedi S. Petri tanquam immobili centro unitatis tum fidei tum communionis. Re enim vera, logica connexio non est, ut suo loco videbimus. Sed hinc nihil aliud sequitur nisi quod felici inconsequentia retinuerunt isti catholicae unitatis principium, non obstantibus erroneis opinionibus quae eius negationem virtualiter continebant. Nec mirum hoc videri debet, praesertim quia ad eiusmodi opiniones, non rationes theologicae, sed causae alius omnino generis eos perduxerant. « (Una) mali origo haec fuit, « ait Fénelon in Dissert. de Summi Pontificis auctoritate c. 40, « scilicet inextricabile illud et nunquam satis deflendum schisma « quod ad Constantiensem usque Synodum perseveravit.... Tum « primum disceptatum fuit quid capiti Ecclesiae debeatur necne, « quid corpori caput, quid corpus capiti debeat. O pessimam « disputationem qua civilis intra Ecclesiae septa tumultus exar- « sit qui nec etiamnum extingui potest!... (Altera) tanti luctus

(1) Ita Maior, Doctor Sorboninus, l. de auctor. Concil.

(2) Art. 3 declarationis cleri Gallicani.

(3) Cf. epistolam Pii IX ad archiep. Parisien, D. D. Darboy.

« causa haec est, nimirum concessio regibus facta ut episcopos « ad arbitrium eligant... Iam nunc episcopi eo loco positi sunt, « ut nihil a Sede apostolica nec sperent nec timeant, omnia vero « ab aulico regum favore exspectent. Unde nulla fere societas « initur quae pastores pastorum principi devinctos teneat... Oc- « clusa videtur via commercii caput inter et membra olim conti- « nui. Quae quidem infelicissima rerum spiritualium conditio « quid praesagit pro futuris temporibus, nisi apertam Gallicanae « gentis defectionem a Sede apostolica? Quod in Anglia conti- « git, hoc idem apud nos eventurum valde metuo. Hoc praeten- « dit immensa aulicorum potentia, hoc mercenaria episcoporum « servitus, hoc effraenata criticorum audacia quae in sacrarum « litterarum studia serpit ut cancer ». Scribebantur haec ab illustrissimo praesule sub finem saeculi XVII, quo quidem tempore circumstantiae omnes triste praesagium fundare videbantur. Verum divinae bonitati placuit tantum malum iis praecavere remediis, quae in nullius praevisione tunc esse poterant, ut iterum dicere liceat cum Propheta: *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur*. Nunc enim non solum non ventum est ad luctuosissimam defectionem cui proclivem viam principia paraverant, sed et Gallicanus error a sui exortus primordiis multiplici iam vulnere confossus, et tam Summorum Pontificum quam longe maioris partis episcoporum reprobatione notatus, nuperrime tandem in Concilio Vaticano penitus damnatus simul et feliciter exstinctus est. — Et de iis quidem qui temperatam monarchiam in Ecclesia asseruerunt, hactenus.

At longe longeque ab iis distat Bellarminus, cum l. 1 de Rom. Pont. c. 3, regimen ecclesiasticum temperatum esse dicit ex omnibus tribus formis, monarchiae scilicet, aristocratiae, et democratiae. Nam temperamentum aristocraticum in eo dumtaxat repositum esse affirmat, quod ex lege Ecclesiae constitutiva debeant esse praesules inferiores qui principum more, non vicariorum, civitates et plebes particulares gubernent. Temperamentum vero democraticum, in eo quod supremus minoresque principes, non haereditaria successione, sed electione quae nullam civium classem excludat, dignitates sibi proprias acquirant. Qua in re certo certius nemo catholicus Bellarmino non suffragabitur, tametsi de modo loquendi quaestio esse posset, utrum scilicet

proprie ibi adhibeatur temperamenti nomen. Nunc autem consequenter ad superius praemissa, dico adiunctionem subordinati regiminis episcoporum efficere quidem ut monarchia Ecclesiae non sit *monarchia absoluta,* minime vero ut in terminorum proprietate *monarchia temperata* et dicatur et sit.

Caeterum si sermo sit de nomine quo distinctiva ecclesiastici regiminis ratio adaequate exprimatur, nescio utrum unquam inventum sit seu etiam possit aliquando inveniri. Est enim haec monarchia omnino sui generis, cui non immerito applicares illud: *nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Unde toto coelo aberrant qui eam ad normam praeexsistentium humanarum constitutionum, et Romani praesertim imperii, architectatam volunt. Sed non est cur in his nunc insistamus, quia omnia plana fient ex dicendis in decursu quaestionis, ad cuius explicationem oportet nos post necessaria praeambula iam accedere, incipiendo a dogmate fundamentali de collato primatu principi apostolorum Petro.

THESIS XXV.

Iuxta Evangelii testimonia (Matth. XVI et Ioan. XXI), **primatus iurisdictionis constans plenitudine potestatis in universam Dei Ecclesiam, immediate et directe beato Petro apostolo, eiusque in perpetuum successoribus collatus a Christo Domino fuit. Et ideo regimen Ecclesiae dicendum est divina institutione exactum ad formam plenae perfectaeque monarchiae.**

Pleraque ex his quae in hac propositione continentur, fuerunt semper in explicita catholicorum omnium confessione. Semper enim et ubique in Ecclesia explicite creditum est, Beatum Petrum principem apostolorum prout in suis successoribus usque ad saeculorum finem iugiter permansurum, constitutum a Christo Domino fuisse totius Ecclesiae militantis visibile caput, et non honoris tantum, sed verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo accepisse. Idque *directe* omnino et *immediate,* videlicet, non sicut volunt Protestantes et Febroniani cum dicunt verba evangelica (Matth. XVI et Ioan. XXI) dirigi ad Petrum secundum quod omnium apostolo-

rum, imo totius populi christiani vel agebat vices vel gerebat figuram, adeoque Petrum ipsum nihil exinde iurisdictionis in Ecclesiam acquisivisse, nisi forte mediate tantum et indirecte, hoc est per delegationem communitatis, apud quam solam vi dispositionis divinae repositas communiscuntur claves. Neminem quippe latet, haec omnia fuisse omni tempore, unanimique consensu velut haereticorum commenta a catholicis reiecta, ita ut de his ne dubitativa quidem sententia, salvo essentiali vinculo pacis et unitatis, potuerit unquam exoriri. Sed solum, ut supra praemissum est, quorumdam aliquando opinio fuit, eaque in pura theoria fere consistens, quod primatus Petro et successoribus a Christo collatus potiores tantum partes, non autem totam plenitudinem contineret ecclesiasticae potestatis. Et hoc ipsum, hoc unum est, quod addit praesens propositio supra explicitam et prorsus universalem omnium saeculorum christianorum confessionem. Proinde, si Gallicanorum opinioni adhuc remaneret locus, conveniens forte esset ut distinctis doctrinae capitibus de primatu tractaretur, primo quidem secundum quod ponit monarchiam in generali, deinde vero et magis determinate, secundum quod habet plenam minimeque diminutam monarchiae formam. At nunc post definitiones Vaticanas cc. 1-3 Constitutionis *Pastor aeternus,* nulla superest ratio separatim tradendi ea quae ad eliquatum dogma aequaliter iam pertinentia, iisdem Scripturae fontibus, eademque exegetica expositione demonstrantur. Ideo duo praedicta per modum unius simul comprehendere visum est. Et haec quidem multiplici argumentorum genere, tum in huius, tum in sequentis quaestionis decursu firmabuntur. Interim vero fundamenta iacere placet cum solis testimoniis Matthaei et Ioannis a Vaticana Synodo cap. 2 allatis, in quorum primo primatus promissio continetur, in secundo vero actualis collatio. Cum tamen in utroque eadem indifferenter inveniatur vis demonstrativa, ex utroque etiam unus conficitur argumenti trames, cuius tenor erit ut sequitur. — **Primo,** in petra Ecclesiae (Matth. XVI-18), et in clavigero regni coelorum (ibid. 19), et in pastore agnorum et ovium (Ioan. XXI, 15-17), designatur Petrus tanquam summus et universalis rector, primatum iurisdictionis habens cum tota plenitudine potestatis ecclesiasticae. — **Secundo,** petra Ecclesiae, et regni claviger, et totius ovilis pastor est Petrus prout condistinctus a caeteris apostolis et toto fidelium coetu. — **Tertio,** petra Ecclesiae

et regni claviger et oecumenicus pastor est Petrus prout per suos successores in finem usque saeculorum permansurus. — Haec tria sunt ex quibus tota de integro pendet propositionis demonstratio. Unde singula per ordinem nunc veniunt declaranda.

§ 1.

Quod in petra Ecclesiae (Matth. XVI-18) *et in clavigero regni coelorum* (ibid. 19), *et in pastore agnorum et ovium* (Ioan. XXI, 15-17) *designatur Petrus tanquam summus et universalis rector, primatum habens iurisdictionis cum tota plenitudine potestatis ecclesiasticae.*

I. **Matth. XVI-18.** — Prima similitudo sub qua Ecclesiam suam, id est universalem Ecclesiam describit et exhibet Christus, similitudo est aedificii seu domus in soliditate prorsus inconcussa exstruendae. Haec enim domus est contra quam descendet pluvia, et venient flumina, et flabunt venti, quia ipso suo fato si liceat dicere, ad sustinendum impetum omnium portarum inferi reservatur. Porro prima et universalis causa soliditatis structurae cuiuscumque est ipsa firmitas soli in quo est superaedificata. Frustra enim muri essent bene compacti, frustra fundamenta ipsa forent saxea et adamante duriora, nisi firmarentur per firmitatem fundamenti fundamentorum, quod est petra sive rupes totam structuram ambiens, sustinens, consolidansque. Igitur venerat Christus aedificare sibi domum, et ecce plus quam Archimedes hic! Sapientia, inquam, incomparabilis architecta de qua scriptum est : « Quando praeparabat coelos aderam, quando certa « lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sur- « sum et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari ter- « minum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, « cum eo eram cuncta componens ». Ergone assimilabitur viro stulto qui aedificavit domum suam supra arenam ? absit, sed magis homini sapienti de quo ipsemet Salvator apud Lucam VI-48 : *Qui fodit in altum et posuit fundamentum supra petram ; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere ; fundata enim erat supra petram.* Ideo nihil antiquius habet quam seligere et designare petram mysticam in qua totius aedificii nitetur altitudo. Ipse est discipulus cui nomen novum imponitur, qui prius vocabatur Simon, et nunc appellatur Petrus

sive Cephas. Cui etiam simul cum nomine communicatur quidquid perfectionis in petra datur intelligi, siquidem in his quos nominat Deus, non sunt vacuae magnorum nominum umbrae, sed solida veritatis substantia. Nunc ergo, quid praecise ac de terminate per metaphoram petrae in praesenti designetur, diligenter considerandum venit.

Prae primis observandum, non esse eamdem in Scripturis N. T. metaphoram *petrae* et metaphoram *fundamenti,* sicut etiam in rebus corporeis a quibus sumuntur illae similitudines, non idem sunt fundamenta domus cum petra seu rupe super quam reponuntur. Et hinc est quod in evangelio ubi supra, cum duae domus describuntur, labilis una, altera solida et inconcussa, non ex fundamentorum diversitate repetitur ratio soliditatis unius et fragilitatis alterius, sed ex hoc quod in una fundamentum positivum est supra petram, in alia vero supra arenam (1). « Notandum est, Matth. XVI-18, exhiberi imaginem « aedificii constructi supra petram, non quasi infimam seriem « lapidum seu initia aedificii quibus muri reponuntur, et ex « quibus exsurgunt, sed solum, sedem, crepidinem in qua to- « tum aedificium construitur. Hinc male quidam interpretantur « petram per lapidem fundamentalem, nisi tantae magnitudinis « esse intelligatur ut tota civitas seu arx in ea construeretur, « et tunc non esset lapis, sed petra, rupes. Etiam vox *funda-* « *mentum* loco *petrae,* pravae interpretationi valde obnoxia est « nisi intelligatur sensu dato soli, sedis, crepidinis, et nisi (quod « cautissime notandum est), addatur vel supponatur *fundamen-* « *tum firmum et firmans, fundamentum petreum.* Vox enim fun- « damentum per se abstrahit a firmitate vel infirmitate..., quod « sane non potest affirmari de fundamento petra » (2). Et re quidem vera, in his evangelicis verbis: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* evidens omnino resplendet metaphorae ratio, pro quanto apparet sub symbolo petrae designari aliquid quod totam sustentat structurae amplitudinem, et cum sit in se firmissimum, toti quoque aedificio omnibusque eius partibus generale est principium firmitatis. Firmitatis, inquam, inconcussae contra tot

(1) Matth. VII, 24-27.
(2) Murray, de Ecclesia, Disp. 6, Sect. 2 n. 1.

et tantas ruinarum causas, quae sunt adversantes atque irruentes tenebrarum potestates, per portas inferi designatae. Atqui huiusmodi conceptus nusquam in Scripturis N. T. sub simplici metaphora fundamenti exhibetur, uti statim facili inductione constabit.

Fundamentum in Novo Testamento vel absolute sumitur, vel relative. Absolute acceptum designat totum de integro fundatum aedificium. Cuius tamen acceptionis nonnisi unum exemplum est, 2 Tim. II-19: *Ex quibus est Hymenaeus et Philetus qui a veritate exciderunt... et subverterunt quorumdam fidem, sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt eius,* videlicet: Non est timendum ne omnes subvertantur, quia immobiles perstabunt qui firmiter a Deo fundati, praedestinationis signaculo sunt insigniti. Alibi vero, constanter accipitur fundamentum sensu relativo, id est per ordinem ad reliquas alicuius aedificii partes, et hoc dupliciter: vel quantum ad aedificium spiritualis vitae, vel quantum ad aedificium societatis ecclesiasticae. Et in aedificio quidem spiritualis vitae, fundamentum aliquando designat primam inchoationem, primaque imperfecta rudimenta, sicut Heb. VI-1: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum iacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum.* Aliquando autem designat totam aedificii substantiam per oppositionem ad ea quae vel ornant aedificium, vel solum congeruntur in eo, possuntque destrui, ipso interim aedificio salvo permanente. Et sic, 1 Cor. III-11 et seq., Christus ut fide tenendus et charitate super omnia diligendus dicitur esse fundamentum positum in iustis. Cui fundamento quandoque superimponuntur aurum et argentum et lapides pretiosi, id est opera viva, quandoque vero ligna et fenum et stipula, id est veniales culpae quae substantiam charitatis intactam relinquunt, licet sint praeter charitatem. Aliquando demum fundamentum significat ius acquisitum per bona opera ad coronam futurae vitae, ut 1 Tim. VI-19: *Divitibus huius saeculi praecipe... divites fieri in operibus bonis... thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam aeternam.* Et in his omnibus evidenter constat metaphoram fundamenti nihil habere commune cum metaphora petrae de qua nunc sermo. Ideoque tota quaestio reducitur ad alia loca Novi Testamenti in quibus

fundamentum sumitur per ordinem ad structuram Ecclesiae vel militantis vel triumphantis. Sunt autem numero quatuor: Rom. XV-20, Ephes. II-20, Heb. XI-10, Apocal. XXI-14.

Removendus in primis locus Apostoli, Heb. XI-10, ubi fundamenta habens civitas opponitur casulis in quibus habitaverant Abraham, Isaac, et Iacob, in regione ipsa quae eis repromissa fuerat in haereditatem: *Fide,* inquit, (Abraham) *demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Iacob cohaeredibus repromissionis eiusdem; exspectabat enim fundamenta habentem civitatem cuius artifex et conditor Deus.* Non enim metaphora fundamenti hoc loco ingerit ideam firmantis sustentaculi, sed solum explicat conditionem mansionis fixae et stabilis, per oppositionem ad tabernacula sive tentoria quae cum nullam radicem habeant in terra, eadem facilitate tolluntur et de loco in locum transferuntur, qua prius erecta atque plantata fuerant. Unde oppositio non est tanquam domus firmae ad ruinosam, sed tanquam mansionis provisoriae ad aeternam. Nam casulae sunt habitationes peregrinantium qui sunt in procinctu, in itinere, dum fundamenta habens civitas importat habitationem definitivam praecise in quantum huiusmodi, cuius inconcussa soliditas si concomitanter adsignificata dicenda sit, non explicatur nisi per ultima verba: cuius artifex et conditor Deus.

Removendus pariter locus alius ubi coelestem civitatem Ierusalem describens Ioannes in Apocalypsi, ait: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni... Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata: fundamentum primum iaspis, secundum saphirus, tertium chalcedonius, quartum topazius,* etc. Manifestum enim per se est, quod non proponitur ibi ratio principii firmantis contra ruinarum causas, tum quia ruinarum causae illic amplius esse non possunt, tum maxime quia ubi mystica illa describuntur fundamenta, omnia quidem faciunt ad ostensionem splendoris sive claritatis (dicuntur enim esse iaspis et saphirus et chalcedonius et topazius), at nihil omnino est quod vel a a longe solidantis petrae symbolismum in mentem revocet, ut cuique vel leviter attendenti facile apparebit. Eatenus ergo dicuntur duodecim esse fundamenta cum duodecim nominibus apostolorum Agni, quatenus in speciosa illa structura coelestis

Ierusalem, ingenti gloria micant et splendent, apostoli, ut qui militantis Ecclesiae plantatores fuerunt, et primi aedificatores.

Supersunt igitur duo tantum loca in quibus fundamenti metaphora iam accipitur per ordinem ad aedificium Ecclesiae quae in terris est. Primus locus ibi, Rom. XV-20: *Sic autem praedicavi evangelium non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem.* Alter locus ibi, Eph. II-20: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* At neque hic quidquam reperire est quod ad petrae symbolismum accedat, sed utrobique fundamentum significat primas substructiones cum quibus reliqua ad aedificium pertinentia continuantur. Et facile patet quoad primum testimonium, in quo asserit Apostolus se consuevisse annuntiare evangelium in partibus in quibus nemo adhuc praedicaverat Christum, ne scilicet aedificationem ab aliis inceptam suo interventu turbaret. Patet quoque quoad secundum, ubi dicuntur gentiles qui prius fuerant a divinis promissionibus alieni, iam nunc pertinere per fidem in Christum ad civitatem Dei, et factos esse partes mysticae illius structurae quae a prophetis et apostolis originem ducit. Nec aliud quidquam in praesenti explicat Paulus nisi eam accessionem populi gentium ad electam radicem Iudaeorum, quam alias Rom. XI, 13-23, proposuerat sub similitudine insertionis oleastri in bonam olivam (1). Id persuadent omnia antecedentia: *Quia eratis* (vos Ephesii) *illo in tempore* (id est ante vocationem vestram) *sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum... Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum* (Iudaeos et Gentiles)..... *ut duos condat in semetipso in unum novum hominem... et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Id vel maxime inculcat metaphora lapidis angularis sub qua Christus proponitur, tanquam parietes ex diverso venientes connectens simul et iungens. Unde Augustinus, Serm. 4, c. 17: « Ipsi duo populi (Iudaeo-« rum et Gentium) tanquam de diverso venientes, etiam duobus « parietibus significantur. Venit enim Ecclesia Iudaeorum de

(1) Cf. Chrysost. in hunc locum epistolae ad Ephesios.

« circumcisione; venit Ecclesia Gentium de praeputio; de di-
« verso venientes in domo coniuncti sunt. Ideo Dominus dictus
« est lapis angularis. Dicit enim Psalmus: *Lapidem quem repro-*
« *baverunt aedificantes factus est in caput anguli.* Dicit et Apo-
« stolus: *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Ubi est an-
« gulus, duo parietes copulantur; in angulo duo parietes nisi
« de diverso non conveniunt; nam si ex una parte veniunt, an-
« gulum non faciunt ». Et similiter Chrysostomus in Psalm. CXVII, n. 5: « Hic tamen reprobatus lapis adeo probus appa-
« ruit ut fieret caput anguli. Non enim omnis lapis aptus est
« ad angulum, sed qui est probatissimus, et potest muros re-
« vincere ex utroque latere. Quod ergo dicit Propheta tale est:
« Qui est a Iudaeis reprobatus et pro nihilo habitus, apparuit
« adeo mirabilis ut non solum contexeret aedificium, sed duo
« etiam parietes coniungeret ac revinciret. Quos tandem parie-
« tes? Iudaeos scilicet et eos qui credebant ex gentibus, quem-
« admodum Paulus quoque dicit: *Ipse enim est pax nostra qui*
« *fecit utraque unum... Superaedificati super fundamentum aposto-*
« *lorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo*
« *Iesu* ». Itaque fundamentum hic intelligitur substructio ab apostolis et prophetis posita atque initiata, secundum quod super eam novellus populus gentium tanquam paries ex alio latere veniens iunctus est antiquo populo Dei, in eo et per eum qui sanguine crucis suae veteres interficiens inimicitias, reconciliavit eos qui longe erant, id est gentes, et eos qui prope, id est Iudaeos.

Ex his ergo certissime efficitur longe aliam esse *fundamenti* metaphoram a metaphora *petrae,* et per hanc posteriorem significari munus omnino proprium ac singulare: munus scilicet basis firmae et firmantis, super quam tota de integro reponitur fabrica aedificii, quaeque ipsi aedificio cunctisque eius partibus contra multiplicia ruinarum principia generalis causa exsistit inconcussae soliditatis. Atqui in aedificio sociali quod a regiminis potestate omnem suam consistentiam trahit, eiusmodi basis nihil aliud esse potest quam indefectibile subiectum potestatis. Potestatis, inquam, plenae ac supremae quae in omnes exerceatur et ad omnia se extendat, ne scilicet contra formalem rationem analogiae in textu evangelico manifestissime propositam, aliquid sit in aedificii compagine quod praedicto subiecto non

ultimo innitatur, aut ab eius firmante influxu non dependeat. Dicendum igitur est quod ille super quem tanquam super petram aedificatur a Christo Ecclesia, non modo indefectibilitatis charismate augetur, verum etiam tota instruitur plenitudine potestatis. Et quia petra Ecclesiae est Petrus, ut ex maxime obvio verborum sensu constat, et infra per omnem modum contra vanas adversariorum cavillationes confirmabitur, id demum concludere oportet: designatum fuisse a Christo Petrum velut summum ac universalem rectorem, penes quem est primatus iurisdictionis cum omni praerogativa quae in plena et perfecta monarchia ipsi monarchae propria est.

Dixi petram Ecclesiae esse Petrum, iuxta apertum textus evangelii sensum. Neque enim duo nomina diversa sunt πέτρος et πέτρα, neque a πέτρα dicitur πέτρος sicut a iustitia iustus, a prudentia prudens, et a Christo christianus, ut ex errore linguistico aliquando existimavit Augustinus. Sed unum atque idem nomen est respondens vocabulo Syro-chaldaico Kephah, ita scilicet ut talis fuerit sententia Christi: Tu es Kephah, et super hoc Kephah aedificabo Ecclesiam meam (1).

Porro, huic genuinae et plane evidenti verborum acceptioni frustra opponeres varias interpretationes quae passim apud Patres occurrunt. Diligenter enim distinguendum inter sensum quem verba immediate prae se ferunt, et sensus alios qui efflorescunt ex analysi rei per verba significatae. Et interpretatio

(1) Apposite Baronius, ad ann. Christi 53, n. 24: « Vox Syriaca « latine interpretata, idem quod *petra* significat; ex graeca autem lin- « gua dicitur *Petrus*, nam apud illos ὁ πέτρος idem est ac ἡ πέτρα; « sicque apud nos idem sit Petrus quod Petra. Nec a petra Petrus, « sed ipse Petra, quo nomine a Christo appellatus cognoscitur.... Ex « his quidem solida firmaque veritate constantibus redarguuntur qui « minus caute sciteque dixere, non dictum esse Petro: tu es Petra, « sed: tu es Petrus, quod scilicet petra esset Christus, quem confes- « sus Simon, dictus sit Petrus. Quod quamvis Augustinus aliquando « dixisset, tamen in Retractationibus, an Petrus ipse sit petra, vel a « petra Petrus sit dictus, nihil definiens: *Quae,* inquit, *duarum harum* « *sententiarum sit probabilior, eligat lector*. Sed idcirco, quod Syriacam « vocem haud fuerit ipse africanus assecutus, quae proprie petram « ipsam significat, quam Latinus interpres ex graeco πέτρος, quod est « petra, Petrum transtulit ».

quidem qua petra Ecclesiae asseritur esse ipse Petrus, (si tamen interpretatio dici debet, et non magis tautologica quaedam ipsius sententiae expositio), est maxime obvia, proxime litteralis, et verbis *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* immediate substans. Hanc magno consensu retinent Patres, ne iis quidem exceptis qui aliis in locis ad alias divertunt significationes: Origenes, *Hom. 5 in Exod. n. 4* (1), Tertullianus, *de Praescript. c. 22* (2), Cyprianus, *epist. 71 ad Quintum, n. 3* (3), Hilarius *in c. 16 Matth.* (4), Ambrosius, *in hymno Aeterne rerum Conditor* (5), Hieronymus *in c. 16 Matth.* (6), Augustinus

(1) Origenes l. c. « Vide magno illi Ecclesiae fundamento et pe-
« trae solidissimae super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid di-
« catur a Domino: Modicae, inquit, fidei, quare dubitasti? » — Et alibi, *Tom. 5 Commentariorum in Ioan.* n. 3: « Petrus autem cui tan-
« quam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quam
« nec ipsae inferorum portae praevaliturae sunt, unam dumtaxat omnium
« consensu receptam reliquit epistolam ».

(2) Tertullianus l. c. « Latuit aliquid Petrum, aedificandae Eccle-
« siae petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi
« et alligandi in coelis et terris potestatem? ».

(3) Cyprianus l. c. « Nec Petrus quem primum Dominus eligit, et
« super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de cir-
« cumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter
« aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, et obtem-
« perari a novellis et posteris sibi potius oportere ». Et idem habet *epist. 55 ad Cornelium,* et *de habitu Virginum*, *c. 10*, et alibi saepe.

(4) Hilarius l. c. « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae
« fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges
« et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret! O beatus coeli
« ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, etc. ».

(5) Ambrosius l. c. de gallo gallinaceo dicit: « Hoc, ipsa petra Ec-
« clesiae, canente, culpam diluit ». Unde Augustinus l. 1 Retract. c. 21, testatur hunc sensum cantari ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii.

(6) Hieronymus l. c. « Secundum metaphoram petrae recte dici-
« tur ei (Petro): Aedificabo Ecclesiam meam super te ». Et *Comment. in Isai. c. 2:* « Super unum montium Christus fundat Ecclesiam, et
« loquitur ad eum: Tu es Petrus, et super hanc petram, etc. ». Et *epist. ad Damasum:* « Cathedrae Petri communione consocior; super
« illam petram aedificatam Ecclesiam scio ».

in Psalmo abecedario contra partem Donati (1), Gregorius Nazianzenus, *Orat. de moderatione in disputatione servanda* (2), Basilius, *l. 2 contra Eunomium, n. 4* (3), Epiphanius *in Ancorato, c. 9* (4), Chrysostomus, *Hom. 3 in Matth.* (5), Cyrillus Alexandrinus, *l. 2 in Ioan., I-42* (6), Theophylactus *in c. 22 Lucae* (7), et alii.

(1) Augustinus l. c. « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede... « Ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae ». — Apposite autem notat Palmieri, de Rom. Pont. Thes. 1, Augustinum ab Augustino distingui posse. Nam in Psalmo abecedario quem scripsit ut cantaretur a populo, interpretatur secundum communem Ecclesiae sensum. Alibi vero, cum negat petram esse Petrum, nititur falso supposito de discrimine horum nominum. Porro, satius est Augustinum sequi testem sensus Ecclesiae, quam interpretem errore philologico deceptum.

(2) Gregorius Nazianzenus l. c. « Vides quemadmodum ex Christi « discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, hic petra vocetur, « atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat, ille impensius « ametur, et supra pectus Iesu requiescat ».

(3) Basilius l. c. « Cum audimus *Petrum,* non eius substantiam hoc « nomine intelligimus, sed proprietates quae circa eum considerantur. « Illico enim per hanc vocem intelligimus Ionae filium, qui ex piscatore « ad apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in seipsum recepit; quorum nihil « quidquam essentia est, si essentia tanquam substantia intelligatur ».

(4) Epiphanius l. c. « Princeps apostolorum testatur, qui felix a « Domino praedicari meruit, eo quod Pater ipsi revelasset. Huic igitur « germanum suum Filium Pater indicat, et beatus idcirco dicitur. At « ille ipse rursus Spiritum Sanctum patefecit; sic enim ei qui inter « apostolos primus esset, consentaneum erat: solidae, inquam, illi « petrae supra quam est Ecclesia Dei fundata, et portae inferi non « praevalebunt illi ».

(5) Chrysostomus l. c. « Sic et Petrus dicebat: Exi a me quia « homo peccator sum. Idcirco fundamentum Ecclesiae factum est ». — Et *Homil. in illud: Hoc scitote,* n. 4: « Petrus, chori illius coryphaeus... orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae ». — Et *Homil. 4 in illud: Vidi Dominum, n. 3*: « Quid autem Petrus basis « Ecclesiae, ille vehemens amator Christi, etc. ».

(6) Cyrillus Alexandr. l. c. « Congrua similitudine Petrum a petra « vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam ».

(7) Theophylactus l. c. « *Tu vero conversus confirma fratres tuos.* « Planus huius intellectus is est: Quia te habeo ut principem discipu-

At nunc, si quis analysi subiiciat personam Petri auctam dignitate et munere petrae, perspiciet primo quod exercitium muneris regendi et firmandi universalem Ecclesiam consistit potissimum in fidei magisterio: illius dico fidei cuius obiectum recapitulatur in veritate quam ipse Petrus confessus fuerat dicens: tu es Christus Filius Dei vivi. Optime ergo dicetur petram Ecclesiae esse, non carnem Petri, sed fidem eius, quatenus non per actus carni et sanguini proprios, id est ex principiis naturae exorientes, sed primo et principaliter per magisterium fidei quam inspirat Pater, petrae munus exercet (1). Non ergo mirum si in controversia potissimum Ariana, absque ullo fundamentalis sensus praeiudicio, ad hanc interpretationem deflectere potuerint plures, opponendo Arianis negantibus divinitatem Christi, quod huiusmet veritatis fides et praedicatio fuerit in Petro constituta basis Ecclesiae, immobileque fundamentum (2).

Insuper, quisquis in eodem Petro rationem petrae contemplatus fuerit, statim intelliget Petrum ipsum nequaquam concipi posse tanta potestate auctum, nisi ut vicarium Christi qui est suae Ecclesiae firmissimum robur: pro quanto scilicet, si Petrus est petra, hanc petrae firmitatem ab eo solo participatam habet, qui est ex se firmus; et ipsa imparticipata firmitas. Quiae rgo petra vicaria correlative importat petram principalem, optime etiam dicetur petram illam de qua sermo est in textu Matthaei, esse sensu obliquo et adsignificato ipsum Christum, quem pulchre Leo Magnus, Serm. 4 in die assumptionis suae, sic inducit lo-

---

« lorum, postquam negato me fleveris et ad poenitentiam veneris, con-« firma caeteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiae petra es « et firmamentum ».

(1) « Hoc obtinuit, dilectissimi, illa confessio quae a Deo Patre apo-« stolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta transcen-« dit, et firmitatem petrae quae nullis impulsionibus quateretur accepit. « In universa namque Ecclesia, *tu es Christus Filius Dei vivi* quotidie « Petrus dicit, et omnis lingua quae confitetur Dominum magisterio « huius vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit, et captivorum eius « vincula dissolvit. Haec erutos mundo inserit coelo, et portae inferi « adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate « munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas, nec « pagana potuerit superare perfidia ». Leo M. Serm. 3, c. 3.

(2) Cf. Cyrill. Alex., Dialog. 4 de Trinit. circa initium.

quentem ad Petrum: « Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis « angularis qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter « quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, « quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt pro- « pria, sint tibi mecum participatione communia ». Et ideo, licet falsa sit e conspectu philologico grammaticalis illa derivatio nominis *Petrus* a vocabulo *petra,* quam in Tractatu 124 in Ioannem n. 5 adstruit Augustinus (1) tamen e conspectu ontologico est verissima et necessario tenenda. — Unde a primo ad ultimum, cum omnes praedictae interpretationes ex una efflorescant et in unum collineent, nequaquam excludunt aut qualitercumque infirmant expositionem primam immediate verbalem, nihilque tandem adimunt de omnimoda certitudine conclusionis superius positae: in petra scilicet Ecclesiae designari Petrum tanquam rectorem summum cum tota plenitudine ecclesiasticae potestatis.

II. **Matth. XVI-19.** — Eamdem quoque conclusionem continent ea quae sequuntur apud Matthaeum: *Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Quae quidem sententia a superiori inciso non differt nisi ratione diversae similitudinis sub qua nunc repraesentantur et Christus et Petrus et Ecclesia. Prius enim proponebatur Ecclesia ut aedificium, Petrus ut rupes cui aedificium incumbit, Christus denique ut architectus. Nunc vero exhibetur Ecclesia ut regnum, Christus ut absolutus regni dominus et princeps, Petrus vero ut vice-rex qui regno gubernando praeficitur. Cohaerent itaque ambae partes continuatione sermonis prolati ab eodem Christo ad eumdem Petrum de eadem re, ita tamen ut sub eximia quadam imaginum varietate consilium Christi circa Ecclesiae regimen elucescat.

Quid autem in praesenti veniat nomine clavium regni coelorum, quidve importet auctoritas ligandi et solvendi quodcumque super terram, iam fuse declaratum est in Quaest. 11, Thes. 20 et 21. Ibi quippe ostensum est, per claves significari ius principatus seu veri nominis iurisdictionem, quam Ecclesiae militanti tanquam societati perfectae et undequaque independenti Christus Salvator contulit. Declaratum insuper fuit, auctoritatem ligandi

(1) Item. Serm. 76, n. 1, et Serm. 270. n. 2, etc.

sese extendere (intra terminos ex natura rei humanae providentiae assignatos) ad omnia ea quae ordinem dicunt ad finem regni coelorum. Auctoritatem quoque solvendi respicere non modo ligamina iuris ecclesiastici, verum etiam illa alia quae in foro interno sive divino per humanos actus contrahuntur. Utramque demum potestatem, ligandi pariter et solvendi, in eos omnes et solos esse exercendam, qui in regno coelorum super terram per baptismi sacramentum civitatem sunt consecuti. Haec, inquam, fuerunt satis declarata cum quaestio erat de potestate ecclesiastica secundum se, nec quidquam aliud circa hoc addendum occurrit. Sed nunc considerare oportet in sententia evangelica omnimodam terminorum universalitatem. Sermo enim est de clavibus regni coelorum simpliciter sine addito diminuente, et ne cui dubium adhuc suboriatur, signanter additur in explicationis modum, *quodcumque ligaveris, quodcumque solveris*. Quibus sane verbis exprimitur potestas *in genere potestatis ecclesiasticae* prorsus illimitata, et ea quidem ratione exprimitur, ut cum maiori claritate et evidentia exprimi omnino non potuerit. Subiectum autem huius potestatis assignatur Petrus ad quem dirigitur sermo. Si ergo Petro attribuitur regiminis potestas, secundum totam intensionem necnon et extensionem quam nata est habere in regno coelorum super terram quod est militans Ecclesia, manifeste consequitur plenam ac perfectam monarchiam fuisse in Beato Petro a Christo institutam.

Nec contra hoc valet quod infra in eodem evangelio, Matth. XVIII-18, omnibus apostolis iisdem terminis dicitur: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo*, quasi scilicet nihil proprium, nihil singulare Petro prae aliis quoad plenitudinem potestatis fuisset promissum. Et ratio evidens est, quia in superiori testimonio sermo dirigitur ad solum Petrum, in hoc autem posteriori dirigitur ad totum collegium apostolicum, incluso in primis ipso capite collegii Petro. In vi ergo testimonii prioris, caeteri apostoli tam singillatim quam collective sumpti iam subsunt iurisdictioni unius Petri, utpote quae ad omnes res et personas in regno coelorum comprehensas universaliter se extendat. In vi autem sententiae posterioris, exercitium supremae potestatis attribuitur etiam toti indivisim collegio in unione cum capite Petro, ut aequale robur indiscri-

minatim obtineat omne statutum quod vel a solo Petro, vel a Petro simul cum universo concilio fratrum seu coapostolorum sit edictum. Sed nec praetereundum arbitror quod in primo testimonio mentio fit tum collationis clavium, tum actus seu exercitii earumdem, in secundo autem de solo exercitio ligandi et solvendi sermo est. Hinc enim datur intelligi quod penes unum Petrum summae illae reponuntur claves, in quarum virtute, omne quodcumque vel ligabitur vel solvetur super terram, ligatum pariter vel solutum erit in coelo: pro quanto scilicet, sive a Petro solo, sive a Petro simul cum collegio apostolico suprema exerceatur potestas, semper tamen ratio faciens ad plenitudinem auctoritatis in eo solo residebit, cui soli absque restrictione dictum est: *tibi dabo claves regni coelorum.* Non ergo tollitur aut qualitercumque diminuitur Ecclesiae monarchia, sed specialis in ea adstruitur conditio infra ex professo examinanda, ubi luculenter quoque apparebit, non aliam illam esse praeter eam quam firmiter retinet catholica fides, dum eamdem indifferenter auctoritatem agnoscit tam in Pontificum quam in oecumenicorum Conciliorum definitionibus ac decretis. — Et de testimonio quidem Matthaei, hactenus.

III. **Ioann. XXI, 15-17.** — Sed quod ante passionem se facturum promiserat Christus, post resurrectionem iamiam ascensurus in coelos, actu adimplevit. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas.* In quo quidem testimonio tria per ordinem ponderanda veniunt: primo verbum *pasce,* secundo distributio gregis in agnos et oves, tertio pronomina *meos* et *meas.*

In primis, per hoc verbum *pasce,* βόσκε, ποίμαινε, significatur collatio potestatis quae ad omnes actus ecclesiastici regiminis se porrigat. Id quidem insinuat vel ipsa res a qua ducitur metaphora, cum idem sit pascere ac agere pastorem, id est, ducere, reducere, cogere, regere, et omnia praestare quae ad gubernandum ovile requiruntur. Id quoque inculcat usus communis apud auctores tam sacros quam profanos, quando voca-

bulum transferunt ad greges hominum. Sic apud Homerum reges sunt pastores populorum, ποίμενες λαῶν. Sic Isai. XLIV-28, Cyrus Persarum rex vocatur a Deo pastor: *Qui dico Cyro: pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis.* Sic 2 Reg. V-2, idem est pascere populum Israel ac regiam auctoritatem in eum habere: *Venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron dicentes... dixit Dominus ad te, tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.* Sic, Psalm, LXXIX-2, Deus ipse ratione supremae suae potestatis pastor appellatur, qui pascendi munus continuo exerceat: *Qui regis* (pascis) *Israel, intende: qui deducis velut ovem Ioseph.* Sic Mich. V, 2-4, Messias dominator annuntiatur egressurus de Bethleem Ephrata ut pascat in fortitudine, id est iuxta versionem Matthaei II-6, ut regat populum Dei. Sic Apocal. XII-5, exhibetur filius mulieris masculus *qui recturus erat* (pascere debet) *omnes gentes in virga ferrea,* ὅς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ.

Denique alia multa eiusdem tenoris eiusdemque sensus possent hic in medium afferri; sed rem eliquatam supervacaneum esset pluribus demonstrare. Et bene quidem usu biblico, regendi auctoritas generatim considerata, per auctoritatem pascendi significatur, ut quae tota sit ex natura sua, non in bonum eius qui regit, sed eorum qui reguntur; neque enim potuit benefica haec potestatis indoles melius exprimi quam per metaphoram ex vita pastorali desumptam. At si regimini etiam civili eiusmodi metaphora apte congruit, iuxta id quod scriptum est: *et qui potestatem habent inter eos benefici vocantur,* quanto magis regimini ecclesiastico. Constat igitur quod cum Petrum instituebat Dominus pastorem gregis sui, completam ei tradebat gubernandi potestatem, quae et magisterium et iurisdictionem comprehenderet secundum omnes partes in Quaest. 11 superius enumeratas. Verumtamen nondum apparuit eam potestatem esse cui subsint omnes omnino de Ecclesia tam distributive quam collective sumpti, potestatem dico supremam et plene monarchicam.

Id autem facile iam apparebit ex consideratione eius quod importatur per agnos et oves Petro commissas. Et ante omnia obiter notatum velim quam sit fundata sententia Bellarmini existimantis mendum aliquod irrepsisse in textu graeco, vitio librariorum. Loco enim legendi sicut nunc legitur, βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, βόσκε τό πρόβατά μου, censet

Bellarminus legendum esse secundo loco, non πρόβατα, sed προβάτια, ut sit sensus: pasce agnos, pasce oviculas, pasce oves. Sic certe legebat Ambrosius in Luc. l. 10, n. 176, ubi ait: « Con-
« tristatur (Petrus) quia tertio interrogatur, amas me?... Denique
« tertio Dominus, non iam diligis me, sed amas me interrogavit,
« et iam non agnos ut primo, quodam lacte pascendos, nec ovi-
« culas ut secundo, sed oves pascere iubet, perfectiores ut per-
« fectior gubernaret ». Sed et idem colligit Bellarminus ex nostra versione vulgata, quia si fuisset in graeco bis πρόβατα, ne indoctissimus quidem puer secundo loco vertisset agnos, cum nemo ignoret agnos dici ἀρνία, non πρόβατα. Quia ergo in vulgata habetur: pasce agnos, pasce agnos, pasce oves, dicere oportet interpretem legisse secundo loco προβάτια, id est oviculas, et vertisse agnos, eo quod oviculae et agni saepe pro eisdem accipiuntur. Facit denique ad eamdem conclusionem pulcherrima gradatio quam totus contextus suadere videtur.

Quidquid vero sit, patet Christum committere Petro gregem suum de integro pascendum. Et si quidem accipiamus nostram versionem vulgatam: *pasce agnos, pasce agnos, pasce oves,* dicemus agnos bis repetitos propter duos populos Iudaeorum et Gentilium, oves autem semel nominatas propter episcopos sive apostolos qui sunt veluti matres agnorum. Si autem accipiamus textum graecum prout probabilissime videtur restituendus: *pasce agnos, pasce oviculas, pasce oves,* dicendum cum Ambrosio supra citato, committi Petro incipientes et proficientes et perfectos, vel populos et presbyteros et episcopos. Si denique accipiamus textum graecum ut nunc est, legendo ad litteram: *pasce agnos, pasce oves, pasce oves,* tunc dicendum bis nominatas oves, quia cum magis dubium esse potuisset an Petro committeretur praefectura super ipsos populi christiani principes episcopos, conveniens fuit idipsum iterum atque iterum inculcari. Omnibus tamen illis modis satis perspicua elucet mens Christi, qui totum ovile subiicit Petro: « Prius agnos, inquit vetus auctor sub nomine Eusebii
« Emisseni aliquando vulgatus, deinde oves commisit, quia non
« solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit. Pascit
« igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et ma-
« tres, regit subditos, regit et praelatos. Omnium igitur pastor
« est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est ».

Caeterum, novum argumentum, idemque prorsus apodicticum,

suppeditabit pronomen illud *meas*. Pasce oves meas; meas dixit, et generaliter, non singulariter has vel illas. Meas dixit, quae sunt et manent meae; non enim eas a me abdico cum tibi illas committo, non depono pastoris nomen et officium dum tibi illud communico; te facio pastorem mecum et in me, ita scilicet ut secundum notissimam Leonis Magni sententiam, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. « Cum absque « ulla restrictione addatur ad nomen *oves* pronomen *meas*, mani- « feste significatur eas omnes oves Petro commendari, ad quas « extenditur pronomen *meas*. Certum autem est illud *meas* extendi « ad omnes simpliciter; nec enim ullus est in Ecclesia qui se « Christi ovem non glorietur. Igitur omnes omnino christianos, « nullo excepto, Petro Dominus commendavit. Et similes locu- « tiones vulgo passim usurpari videmus. Nam qui dicit: relinquo « mea bona filiis meis, sine dubio nihil ex suis bonis, nec ullum « ex suis filiis excludit. Et Dominus cum ait: *Pono animam meam* « *pro ovibus meis*, tametsi non dicat omnibus ovibus, tamen nemo « negare potest quin de omnibus sit locutus. Ad haec, cum « Dominus ait: *Pasce oves meas*, vel commendavit Petro oves « suas omnes vel nullas, vel aliquas certas ac definitas, vel ali- « quas indefinitas. At nemo dixerit nullas, aut aliquas certas « esse commendatas; id enim est manifeste falsum. Nec etiam « aliquas indefinitas, quia non est sapientis provisoris relinquere « indefinitam curam cum possit eam definire, praesertim cum certa « confusio et perturbatio ex illa indeterminatione oriatur. Prae- « terea, commendare aliquas, et non indicare quas, idem esse « videtur ac si commendarentur nullae. Quas enim, quaeso, pa- « scet qui gregem suum non cognoscit? Restat igitur ut omnes « omnino suas oves Petro Christus pascendas assignaverit » ([1]).

Hinc ergo potestas iurisdictionis quae ipsi Petro attribuitur, est non solum completa seu ad omnes actus regiminis sese extendens, sed etiam suprema et plene monarchica, quia huic eius potestati obnoxii sunt cuncti de Ecclesia tam collective quam distributive, tam pro statu ordinario quam pro quocumque casu seu eventu. Nam etsi collective accipias unumquodque collegium in Ecclesia exsistens, adhuc sane pertinebit ad aedificium in petra exstructum et per influxum petrae firmandum; adhuc erit

([1]) Bellarm., de Rom. Pont. l. 1, c. 16.

in regno quod Petri clavibus sine restrictione ulla, imo cum expressa exclusione restrictionis, subiectum a Christo est; adhuc pars erit gregis ovium Petro pastori cum illimitata potestate pascendi commissum. Nisi forte dicas accidere posse ut oves simul congregatae constituantur supra pastorem, pro quanto ei non subsunt nisi quando dispersae inveniuntur in agris suos agnos lactantes. Nisi forte dicas accidere posse ut muri aedificii casualiter substernantur petrae ad illam consolidandam vel rectificandam. Nisi forte dicas accidere posse ut qui omnia solvere potest vel ligare, casualiter ligetur per illam ipsam subordinatam potestatem cuius ligationes solvit aut solutiones ligat.

Sed iam occurrere oportet effugio eorum qui dicunt, fuisse quidem per clavigerum regni coelorum et pastorem agnorum et ovium designatum Petrum, sed Petrum reduplicative in quantum vices gessit totius communitatis, adeoque nihil peculiare Simoni filio Ionae aut promissum esse aut collatum, sed quidquid dicitur in praefatis evangelii locis ad totam Ecclesiam pertinere, cuius ille gerebat symbolica repraesentatione personam.

§ 2.

Quod petra Ecclesiae et regni claviger et totius ovilis pastor est Petrus prout condistinctus a caeteris apostolis et toto coetu fidelium.

Hanc veritatem catholici doctores sequentibus argumentis invicte demonstrant. In primis, apud Matth. XVI-17 seqq., sermo Christi dirigitur ad eam solam personam quae prius locuta fuerat: *respondens autem Iesus dixit.* At quae fuerat locuta? Petrus. Nam primum responsum dederant omnes (v. 14); alterum vero edidit solus Simon (vers. 16), cui iam Dominus rependit vicem, et ut Hieronymus notat, verae confessionis mercedem retribuit. An dices fortasse Petrum edidisse suam confessionem nomine aliorum apostolorum, ut quemadmodum in eo omnes fuerant locuti, sic in eius persona omnibus pariter responderit Christus? At praeterquam quod nihil omnino est in narratione evangelica quo vel a longe huiusmodi figmentum insinuetur, positive excluditur per ipsa Domini verba: *beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.* Ibi enim assignatur ut causa confessionis sola revelatio Patris Petro facta

et ab eo fide suscepta, ita ut non solum removeatur instructio aut commissio aliorum qui utique caro et sanguis erant, verum etiam expresse a caeteris segregetur atque contradistinguatur Petrus, ut qui inspirationem a Patre luminum solus habuerit ad testificandum quod vox humana nondum protulerat, ut Hilarius dicit l. 6. de Trinit. n. 36.

Praeterea propria ac singularis Petri persona tot modis totque adiunctis in sententia Christi designatur, ut non pluribus circumstantiis describere soleant aliquem certum hominem notarii illi qui instrumenta publica conficiunt, ut recte Caietanus annotavit. « Patet siquidem hoc, inquit [1], primo ex principio sermonis « dominici ad Petrum cum dixit: *beatus es Simon Bar-Iona.* Hoc « enim non potest referri vere ad omnes, tum quia exprimitur « proprium nomen Simonis, et explicatur cuius sit secundum « carnem filius, tum quia falsum hoc fuisset de Iuda, quoniam « non credidit in Christum, ut testatur Ioannes c. 6.... Secundo « ex subiuncta ratione: *quia caro et sanguis non revelavit tibi....* « Tertio ex subiuncta affirmatione: *tu es Petrus.* Monstrat enim « pronomen *tu*, et nomen prius impositum a Christo, Ioan. I-42: « *tu vocaberis Cephas*, quod ad solum Petrum sermo dirigitur. « Nam si per pronomen demonstrativum ad sensum, adiunctis « et nomine proprio a nativitate, et nomine patris carnalis, et « nomine quo solus cognominatus est a principio discipulatus, « et interiori dono revelationis quod non constat aliis fuisse con- « cessum: (si, inquam), non sufficienter signatum est quod ad « ipsum solum est sermo, quibus quaeso verbis describendum « fuit ab Evangelista quod ad solum Petrum erat sermo? Et « confirmatur, quia eodem pronomine demonstrativo ad sensum « usus est Dominus subiungens: *et tibi dabo claves.* Et confirmatur « ex eo quod non pluribus nec maioribus circumstantiis descri- « buntur et nominantur a notariis personae haeredes aut lega- « tariae, quam persona Petri in hoc textu descripta et nominata « est, ut patet colligendo: Simonem, filium Ionae, Petrum, ex « interna revelatione commendatum ».

Nunc autem quidquid dicitur de verbis promissionis apud Matthaeum, dici etiam debet de verbis institutionis apud Ioannem. Nam quod soli Petro dictum sit a Domino: *pasce oves meas,*

[1] Caietanus, de Romani Pontificis institutione, c. 4.

apparet primo ex illo nomine: *Simon Ioannis*, quo solus vocabatur Petrus. Nec sine causa eodem modo Christus Petrum interpellat cum ei promittit claves, et cum ei pascendas oves committit, ut scilicet intelligamus illud ipsum reipsa nunc dari quod ante fuerat promissum, et eidem illi Simoni dari cui fuerat promissum, nam idem omnino est *Simon Ioannis*, et *Simon Bar-Iona*. — Id quoque apparet ex interrogatione: *diligis me plus his?* Illi enim dicitur, pasce oves meas, cui dicitur, diligis me plus his, id est plus quam alii (1). Porro praesentes tunc cum Petro aderant Nathanael quem multi Bartholomaeum esse putant, necnon et duo filii Zebedaei Iacobus et Ioannes, tum Thomas, et duo alii discipuli. Ex quo statim consequitur, considerari nunc Petrum ut omnino condistinctum ab aliis, non ut eos repraesentantem, eorumque vices agentem. Falsum igitur est, ad omnes apostolos totamve Ecclesiam spectare ista: Pasce oves meas. — Accedit tertio quod Petrus ante passionem, suum amorem erga Christum ita professus fuerat, ut ab aliis omnibus sese seposuerit dicens: et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor; quo tamen non obstante, ter negaverat Christum. Huic ergo facto iam alludit Dominus, interrogans Petrum an reapse eo amore erga se nunc ardeat, quem praetenderat prius, trinumque exigens pro trina negatione testimonium dilectionis. Quae rursus respiciunt singularem ac propriam Petri personam, non autem personam repraesentativam communitatis ad sensum adversariorum. Ita fere Bellarminus, l. 1 de Rom. Pont. c. 14

II. Et omnes quidem considerationes ex canone interpretationis intrinseco hactenus propositae, tantae videntur esse evidentiae ut nihil magis. Quare adversariis in suo effugio unum manet qualecumque fundamentum, quod repetunt ex Ambrosii et Augustini auctoritate. Nam Ambrosius in Psalmum 38, n. 37, relatis prius verbis Domini ad Petrum, Matth. XVI-19, ait: « Quod « Petro dicitur, apostolis dicitur ». Augustinus vero, Tract. 50 in Ioan. n. 12: « Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam « significavit ». Et rursus, Tract. 124, n. 5: « Quando ei (Petro)

(1) Quidam e protestantibus interpretatus est *plus his*, plus quam haec, id est, diligis me plus quam navigium et pisces? Tantus est timor veritatis!

« dictum est: tibi dabo claves regni coelorum, universam signi-
« ficabat Ecclesiam ». Et rursus, Enarr. in Psalm. 108, n. 1:
« Quaedam dicuntur quae ad apostolum Petrum proprie pertinere
« videntur, nec tamen habent illustrem intellectum nisi cum re-
« feruntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse
« personam..., sicuti est: tibi dabo claves regni coelorum ». Haec itaque si nullo modo nullaque ratione placitis adversariorum patrocinari ostendantur, omni ex parte firma manebit nostra conclusio.

Res porro in primis manifesta efficitur quoad auctoritatem Ambrosii, qui loco citato Novatianorum profligat errorem: « Tibi,
« inquit, dabo claves regni coelorum ut et solvas et liges. Hoc
« Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit. Ideo ille in
« lapsu, nos in remissione: ille in impoenitentia, nos in gratia.
« Quod Petro dicitur, apostolis dicitur. Non potestatem usurpa-
« mus, sed servimus imperio, ne postea cum venerit Dominus,
« et ligatos invenerit quos oportuit solvi, commoveatur adversus
« dispensatorem ». Hucusque Ambrosius. Nunc autem norunt omnes, Novatianum pessimi schismatis auctorem sub Cornelio Pontifice, renovasse ex parte haeresim Montani et Priscillae, denegando Ecclesiae facultatem remittendi peccata, quam dicebant Petro datam solum ut personale privilegium. « Si, inquit
« Tertullianus iam Montanista, l. de pudicitia c. 21, quia dixerit
« Petro Dominus: tibi dedi claves regni coelorum, vel: quae-
« cumque alligaveris vel solveris etc., idcirco praesumis et ad
« te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem
« Ecclesiam Petri propinquam: qualis es evertens atque com-
« mutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro
« conferentem? ». Huic ergo errori sese opponens Ambrosius docet non ita collatas Petro claves, ut ad ipsum solum pertinerent et cum eo consequenter desinere debuerint, sed ita ut iure tum successionis tum communicationis ad inferiores praesules, in tota Ecclesia semper perduraverent. Non ergo negat plenitudinem potestatis clavium collatam fuisse Petro ut condistincto a caeteris apostolis, sed praecise asserit id quod mox citatus negabat Tertullianus, derivasse scilicet solvendi et alligandi potestatem ad omnem Ecclesiam Petri propinquam. Unde l. 1 de Poenit. c. 7, idem Ambrosius de eodem argumento agens sic interpellat Christum: « Novatianus illum minimum visitare nescit,

« in quo tu desideras visitari. Tu dicis Petro excusanti ne ei « pedes lavares: nisi lavero tibi pedes, non habebis partem me- « cum. Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui « claves regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata « debeant? Quod quidem recte de se fatentur; non habent enim « Petri haereditatem qui Petri sedem non habent, quam impia « divisione discerpunt ». Omnibus ergo modis evidenter efficitur, nihil aliud sibi velle Ambrosium, quam quod ait S. Leo, Serm. 4, c. 3: « Transivit quidem etiam in alios apostolos ius potestatis « istius, et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio « commeavit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus « intimetur, etc. ». Et S. Thomas l. 4 c. Gent. c. 76: « Soli Petro « promisit, tibi dabo claves regni coelorum, ut ostenderetur po- « testas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam « Ecclesiae unitatem ».

Ad auctoritatem vero Augustini in quibus dicitur Petrus, cum claves accepit, repraesentasse vel figurasse Ecclesiam, ante omnia noto distinctionem esse faciendam inter dogma de primatu monarchico Petri, et deductionem dogmatis ex eo Matthaei loco in quo de Ecclesiae petra et clavium collatione sermo est. Nam quod ad ipsum dogma attinet, non solum non infirmatur aut qualicumque modo in dubium adducitur in praecitatis Augustini textibus, sed imo expresse et formaliter affirmatur. Considerandum enim quod cum de typo Ecclesiae agitur, duplex omnino figurandi ratio est distinguenda. Una quae consistit in simplici similitudine allegorica, eo modo quo ex duabus uxoribus Iacob, Ecclesiam figuravit Rachel, et ex duobus filiis Abrahae, eamdem figuravit Isaac. Alia quae fundatur super auctoritatem et principatum, sicut Synagogam figuravit Moyses, et omnis rex dici potest repraesentare regnum. Nunc autem ubicumque apud Augustinum figuram Ecclesiae gessisse Petrus dicitur, signanter additur ratio ex primatu deducta: *Cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulis habuit,* inquit Enarr. in Psalm. 188, n. 1. Et Tract. 124 in Ioan. n. 5: *Cuius Ecclesiae Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam;* eum utique primatum de quo alibi, l. 2 de bapt. n. 2, ait idem Augustinus: *Quis nescit illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum?* Vide ergo quomodo e diametro opponatur sententia Augustini

opinioni protestantium, nam protestantes dicunt: ideo et in tantum Petrus primatum habuisse dici potest, quia et in quantum figuram gessit Ecclesiae. Augustinus vero ex adverso statuit: ideo figuram Ecclesiae gessit, quia Ecclesiae habuit principatum. Proinde si iuxta Augustinum, eadem ratione typum Ecclesiae gessit Petrus in certis evangelicae historiae circumstantiis, qua ratione typum Veteris Legis gessit Moyses in variis vitae suae eventibus, planum esse arbitror nullam exinde pro adversariis esse posse conclusionem.

Quare non ipsius dogmatis causa hic agitur, sed solius interpretationis sententiae Christi apud Matthaeum. Porro interpretationem quam ut probabiliorem secutus est Augustinus, ultro fatemur esse diversam a nostra, sed dicimus illam falso supposito inniti de quo supra. Dum enim ex diversa desinentia nominum *Petrus* et *Petra* deceptus, existimavit Simonem appellatum fuisse a petra, non quatenus esset ipse petra, sed solum quatenus hoc donum accepit ut in petra Christo fundaretur, consequens etiam fuit ut diceret Petrum accepisse nomen in figuram Ecclesiae, quae tota utique super petram Christum erat aedificanda. Item consequens fuit ut integram Domini sententiam: *tu ex Petrus, et tibi dabo claves regni coelorum,* intelligeret directam ad Petrum secundum quod modo supra dicto, totius Ecclesiae omniumque praepositorum eius ferebat prae se personam. « Quando ei dictum « est: *tibi dabo claves,* universam significabat Ecclesiam quae in « hoc saeculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, « tempestatibus quatitur, et non cadit, quoniam fundata est supra « petram unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, « sed Petrus a petra, sicut non Christus a christiano, sed chri- « stianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, *super hanc « petram aedificabo Ecclesiam meam,* quia dixerat Petrus: *tu es « Christus Filius Dei vivi.* Super hanc ergo, inquit, petram quam « confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat « Christus, super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est « Petrus... Ecclesia ergo quae fundatur in Christo, claves ab eo « regni coelorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi sol- « vendique peccata. Quod est enim per proprietatem in Christo « Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra: qua si- « gnificatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia ». Quae igitur cum ita sint, si de Augustini auctoritate quaeritur, aucto-

ritas exegetica in praesenti nulla est, cum sit mera auctoritas opinantis (1) qui ex errore philologico suam derivat interpretationem. Auctoritas vero dogmatica veritati catholicae in nullo contradicit. Non enim sequitur: si in persona Ecclesiae (eo modo quem signat Augustinus) accepit Petrus claves, ergo non est in solo Petro summa et suprema clavium potestas. Sed sequitur potius: si accipiendo claves, personam Ecclesiae gessit *praecise propter apostolatus principatum* ut supra, ergo penes ipsum solum tanquam penes principem sunt claves; quas tamen eo ipso, non titulo personalis privilegii accepit, sed in totius Ecclesiae bonum, adeoque ut illas caeteris praepositis communicaret. Unde tandem in eodem sensu quo Ambrosius, dicit Augustinus Tract. 50 in Ioan. n. 12: « Si hoc Petro tantum dictum est (quodcumque sol-« veris etc.), non facit hoc Ecclesia. Si autem et in Ecclesia fit « ut quae in terra ligantur, in coelo ligentur, et quae solvuntur « in terra, solvantur in coelo: quia cum excommunicat Ecclesia, « in coelo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Ecclesia, « in coelo solvitur reconciliatus: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus « quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit ».

Maneat ergo certissimum, ipsi Petro prout condistincto a caeteris apostolis, multoque magis a toto fidelium coetu, collatam fuisse *plenitudinem* potestatis. Adhuc tamen de monarchia Ecclesiae ambigitur, nisi demonstretur institutum fuisse in Beato Petro primatum tanquam perpetuo et in finem usque duraturum. De qua re sit ultima haec assertio.

§ 3.

Quod petra Ecclesiae et regni claviger et oecumenicus pastor est Petrus prout in successoribus suis ad finem usque saeculorum permansurus.

Huius assertionis veritas patet primo ex verbis Domini Ioan. XXI. Nam ut Bellarminus dicit l. 2 de Rom. Pont. c. 12, officium pascendi est ex natura sua ordinarium et perpetuum. Tamdiu enim durare debet quamdiu manet ovile; ovile autem manet et manebit usque ad finem mundi. Igitur eousque Petrus in summo illo pastorali officio maneat necesse est. Item, cum

(1) L. 1 Retract. c. 21, n. 1.

Dominus ait: *Pasce oves meas,* omnes oves suas commisit, ut supra ostensum est; neque solum omnes ratione locorum, sed omnes etiam ratione temporum, cum non minus nobis quam antiquis Christus providerit. Petrus autem non semper victurus erat in carne. Igitur Dominus in Petro omnes eius successores est allocutus.

Patet secundo ex verbis Domini Matth. XVI. Nam petra seu rupes super quam aedificata est civitas, quaeque totam arcem sustinet et ei toti causa inconcussae soliditatis exsistit, tamdiu perdurare debet, quamdiu duratura est ipsa arx seu civitas contra pluvias et ventos aliasque ruinarum causas firmanda. Quin imo apparet munus petrae firmantis multo magis fuisse necessarium pro toto decursu saeculorum, quam pro ipso aevo apostolico, quando omnibus et singulis apostolis immediate aderat Spiritus Sanctus per novas etiam revelationes specialesque inspirationes. Denique nemo est qui non videat quod dum uni Petro promittebat Dominus claves regni coelorum, et huius potestatis caeteros deinde participes efficiebat, specialem quamdam in Ecclesia sua regiminis formam instituebat, qua nempe omnia ad unitatem revocarentur et sub unitate continerentur. Atqui in omni societate forma regiminis est aliquid de se perpetuum, stabile, ac permanens. Dicendum ergo quod de instituto Christi fuit, ut Petrus in primatu haberet perpetuos successores. Et hoc etiam sensu dici potest datas fuisse claves Petro in persona Ecclesiae, quia non personae mox moriturae datae sunt, sed officio perenniter duraturo. Cum enim officium Petri sit officium capitis quod habet influere in reliquum corpus, si officio capitis claves datae sunt, toti corpori datae intelliguntur, quandoquidem non potest corpus expers remanere ubi caput semper manet, semperque suum officium exsequitur (1).

Hinc Leo Magnus, Serm. 2 de natali ipsius, c. 2 et 3; « Sicut « permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod « in Petro Christus instituit... Manet ergo dispositio veritatis, et « Beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans su« scepta Ecclesiae gubernacula non reliquit... Si quid itaque a « nobis rectum agitur recteque discernitur, illius est operum atque « meritorum, cuius in sede sua vivit potestas et excellit aucto-

(1) Caietanus, de auctoritate Papae et Concilii, cap. 9.

« ritas ». Et alibi, Serm. 5, c. 4: « Subiungit autem se ad ratio-« nem solemnitatis nostrae, non solum apostolica, sed etiam epi-« scopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suae praeesse non « desinit. Sodalitas enim illa quam de petra Christo etiam ipse « petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes ». Haec porro vox Leonis Magni vox totius Traditionis est; cuius quidem Traditionis testimonia hic facile congererentur, sed opportunior sese offeret occasio in sequenti Quaestione, cum de Sede Romana sermo erit. Interim vero, ut monarchia Ecclesiae in pleniori luce appareat, et in sua distinctiva atque characteristica ratione magis innotescat, considerandum iam venit, quid potestatis aliis praeter Petrum apostolis concessum sit. Et ad hoc pertinent duae sequentes propositiones, quarum prima agit de apostolis distributive et singillatim sumptis, altera vero de toto in solidum apostolico collegio.

THESIS XXVI.

Singuli praeter Petrum apostoli eidem Petro prorsus aequiparabantur, non solum quoad ordinis potestatem, verum etiam quoad speciale charisma infallibiliter exsequendi constitutionem Christi in prima Ecclesiae plantatione. Ecclesiamque ipsam initiandi sicut erat semper permansura seu continuanda omnibus abhinc diebus usque ad consummationem saeculi. — Sed omnis episcopalis iurisdictio quam vel ipsi, vel instituti ab eis antistites in particulares plebes habuerunt, de plenitudine pastoralis potestatis Petri descendebat. — Iurisdictio vero quam procul dubio praeter et ultra ordinarium particularium ecclesiarum episcopatum singulatim exercuerunt, in eis non fuit nisi ut in puris eiusdem Petri vicariis, cui soli monarchica Ecclesiae constitutio contulerat in proprium supremam atque universalem pascendi auctoritatem.

Non omnia quae hic asseruntur accipias velim tanquam in eodem certitudinis gradu convenientia, sed sedulo distingues id quod ad fidem catholicam pertinet, ab iis quae solidis (ut videtur) argumentis innixa, plurimum quidem inserviunt ad theologicam

explicationem constitutionis Ecclesiae, nondum tamen veritatis eliquatae vim et robur obtinuerunt. Sane vero, singulos praeter Petrum apostolos, etsi Petro pares in speciali quodam apostolatus charismate, adhuc fuisse quoad iurisdictionem ei inferiores, catholici dogmatis omnino est. Sed nunc, eiusmodi inferioritatem non omnes eodem modo explicant.

Si Bellarmino credas, in hoc distabant a Petro caeteri apostoli, quod Petrus a Christo recepit iurisdictionem ordinariam ad successores transferendam, alii vero habuerunt parem, sed mere delegatam privilegio speciali, ob peculiarem necessitatem quae tunc dabatur, propagandi fidem. « Respondeo, inquit l. 1 « de Rom. c. 9, pontificatum summum diserte positum ab Apostolo « in illis verbis: *et ipse posuit in Ecclesia primum apostolos, deinde « prophetas.* Summa siquidem potestas ecclesiastica non solum « data est Petro, sed etiam aliis apostolis. Omnes enim poterant « dicere illud Pauli: *instantia mea quotidiana sollicitudo omnium « ecclesiarum.* Sed Petro data est ut ordinario pastori cui per- « petuo succederetur; aliis vero tanquam delegatis quibus non « succederetur. Fuit enim in illis Ecclesiae primordiis necessa- « rium ad fidem toto orbe terrarum celeriter disseminandam, ut « primis praedicatoribus et ecclesiarum fundatoribus summa po- « testas et libertas concederetur. Mortuis autem apostolis, apo- « stolica auctoritas in solo Petri successore permansit ». Ita Bellarminus, qui idem habet infra c. 11, et l. 4, c. 23, et alibi passim. »

In eamdem fere sententiam abit Suarez, qui Disp. 10 de fide, Sect. 1, n. 12, superioritatem Petri in eo praecipue collocat, quod illi soli sit data potestas ordinaria regendi et pascendi universalem Ecclesiam, ut in ea ipsi perpetuo succederetur, non autem aliis apostolis. Ponit tamen n. 23 novum alium titulum praeeminentiae Petri: « Quia, inquit, iurisdictio Petri se extendebat ad « ipsas personas apostolorum directe; nimirum poterat illis prae- « cipere atque huc vel illuc mittere ». Tum addit: « Ad Petrum « spectasse curam universalis Ecclesiae quasi per se primo; hanc « enim oportuit in uno inveniri, cum ad caeteros tam universalis « potestas nonnisi secundario esset demandata ». Caeterum vult omnes et singulos apostolos accepisse a Christo Domino iurisdictionem (utique propriam) in totam Ecclesiam et in totum orbem, hancque conclusionem dicit saepe affirmatam a Patribus, qui

in illius sensu non raro pronuntiant apostolos fuisse dignitate pares.

Verum huic modo dicendi non omnes acquiescunt theologi, ut ipsemet testatur Suarez, l. c. n. 4: « Contra datam resolutio-« nem sentiunt Turrecremata l. 2 Summae c. 54, Iacobatius l. 10 « de Conc. a 7, contendentes totam iurisdictionem fuisse datam « soli Petro, ut nimirum commodius defendant episcopos omnes, « qui apostolis succedere dicuntur a Concilio Florentino in in-« structione Armenorum, et Tridentino Sess. 23, c. 4, et ab Au-« gustino in id Psalmi 44: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii,* « non immediate a Christo, sed a Pontifice Romano Petri suc-« cessore iurisdictionem habere ». Sic ille, statim subiungens non esse sufficiens fundamentum quo a communiori sententia recedatur. Constat enim, ait, similitudinem non valere in omnibus, etc. Sed contra est quod non sola, imo nec principalis haec ratio est dissensus praedictorum theologorum, aliorumque qui cum eis ad mittere nolunt universalem illam regiminis potestatem a Christo singulis apostolis concreditam, seorsum a monarchica potestate Petri. Re enim vera, in sententia Bellarmini et Suarezii maximum hoc inconveniens esse videtur, quod omnis potestas caeteris praeter Petrum apostolis commissa, potestas fuisset ex toto extraordinaria quae cum eis penitus exspirasset. Unde sequeretur collegium apostolicum non fuisse perpetuatum in eadem forma eademque distributione potestatum, in qua fuerat primo constitutum. Sequeretur episcopatum qui nunc est, non esse in omni veritate continuationem illius hierarchiae quam ascendens in caelos Christus in terris relinquebat. Sequeretur demum non iisdem iuridicis personis debuisse pro semper constare Ecclesiam regentem et docentem, quae procul dubio initiabatur in apostolis ipsis iuxta illud Matth. ult. « Euntes docete omnes gentes, ba-« ptizantes eos..., docentes servare omnia quaecumque mandavi « vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad « consummationem saeculi ». Uno demum verbo, duplex de facto constitutio adstruitur: una primitiva et provisoria, altera subsequens et definitiva, quae in solo apice et fastigio apostolatus cum priori convenisset. Id autem, nescio quid defectuosum importat in ordinatione divini operis, ut omittam interim quod gratuito prorsus regendi potestas singulis apostolis data, ea fuisse supponitur, quae ad successores non transiret. Quandoquidem omnia

testimonia ex quibus illam eruere volunt, manifeste referuntur ad permanentem ac perpetuum Ecclesiae statum, ut videre est apud Matth. XVIII-18, Ioan. XX-21, etc. (1).

Nobis itaque aliter sentiendum videtur, et tribus sequentibus punctis omnino censemus adhaerendum. Primum est quod extraordinarium apostolatus charisma in quo apostoli omnes erant aequales, nullo modo nulloque sensu reponebatur in summa et universali potestate regiminis. Secundum est quod iurisdictio singulis praeter Petrum apostolis in proprium commissa, eiusdem omnino rationis fuit cum iurisdictione quae usque nunc in particularibus episcopis manet. Tertium est quod potestas ultra hos limites sese extendens, in eisdem apostolis non fuit nisi ut in puris vicariis supremi capitis totius apostolici collegii Petri.

§. 1.

Dictum est in prima parte, Quaest. 6, ubi de nota apostolicitatis quod in apostolatu duplex missio includebatur: una quidem ad initiandam et plantandam Ecclesiam, alia vero ad eam gubernandam et conservandam et etiam dilatandam in eadem forma quam semel accepisset, usque ad consummationem saeculi. Porro missio prior ex natura sua extraordinarium munus erat, et ad tempus fundationis necessario restringebatur, ut in terminis evidenter liquet. Posterior e contra, ex propria sua ratione importabat munus ordinarium et nusquam exstinguendum quamdiu ipsa stabit Ecclesia. Unde statim consequitur, aliquid esse de apostolatu quod usque nunc durat et perpetuo durare debebit, aliquid vero quod cessavit cum illis apostolis per excellentiam dictis quos immediate elegerat et miserat Christus, et hoc ipsum est specialis eorum praerogativa de qua nunc sermo.

(1) Haec inconvenientia egregie explicat cl. D. Gréa, *de l'Eglise et de sa divine constitution*,, l. 2, c. 10. Unde Bellarmino et Suarezio in hac parte minime assentitur, tum addit: « Il nous semble que notre sentiment « fait mieux ressortir la grandeur et la beauté de l'œuvre de l'Eglise. « Elle nous apparaît procédant de la bouche et du cœur du Fils de « Dieu avec sa pure constitution, et cette constitution lui suffit dès les « premiers jours. Elle n'a pas besoin de secours étrangers aux puis- « sances mêmes de sa hiérarchie, et aucune autre autorité que cette « hiérarchie elle-même n'exerce en elle son empire ».

Praerogativa ista consistebat in duobus. Primo in eo quod constituebantur totius revelationis catholicae promulgatores, a Deo immediate edocti et electi ut in Ecclesiae depositorium conferrent quidquid fidei christianae est, ita scilicet ut non solum nulla nova revelatio foret post eos expectanda, verum etiam totus de integro revelatae veritatis thesaurus ex eorum traditione descenderet. Secundo in eo quod mittebantur primi exsecutores operis Christi in mundo, habentes singuli specialem Spiritus Sancti assistentiam ad infallibiliter disponendum Ecclesiam secundum edictam a Christo constitutionem, ut talis in finem usque saeculorum Ecclesia ipsa permaneret, qualis fuisset semel ab eis initiata. Haec profecto sunt quae de duodecim apostolis nominatim in Evangelio recensitis, (subrogato deinde Matthia in locum Iudae, et tertio decimo post Spiritus Sancti adventum superaddito Paulo), tota nos edocet cohaerens cum Scripturarum testimoniis christiana Traditio ([1]). Hoc est privilegium quo illi tre-

([1]) « Ad munus extraordinarium apostolatus pertinet prima promul-
« gatio totius revelandae veritatis, quam ipsi immediate a Christo vel a
« Spiritu Sancto acceperunt revelatam. Hoc charisma non solum posi-
« tive pertinet ad apostolatum, sed est ei proprium exclusive, eo ipso
« quod a Spiritu veritatis docebantur *omnem veritatem* pro Ecclesia Novi
« Testamenti, seu totam veritatem catholicae revelationis. Unde fit ut
« successores ab ipsis apostolis ordinati iubeantur tantummodo *custo-*
« *dire depositum,* et docere ea *quae didicerant ab apostolis*. Hinc porro
« tota Ecclesia in sua fide et doctrina innititur, omnesque fideles sunt
« *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* atque
« idcirco fidelibus omnibus commendatur ut non aliam admittant doctri-
« nam fidei, nisi quae derivatur ab apostolis... Quamvis igitur tempore
« apostolico quo testimonia citata Scripturarum sunt edita, revelatio ca-
« tholica nondum fuerit conclusa, attamen nulla nova revelatio in de-
« posito fidei suscipienda erat, quae non esset ab ipsis apostolis vel pro-
« mulgata vel confirmata. Hinc intelligitur pertinens ad ipsum magiste-
« rium proprium apostolatus, id quod veteres tradunt, ipsos libros inspi-
« ratos evangelii Marci a S. Petro, evangelii Lucae a S. Paulo fuisse
« probatos et Ecclesiae commendatos... Si quod dubium manere pos-
« set de vero sensu in allatis testimoniis Scripturae per se inspectis, res
« ipsa demonstratur ex diserta doctrina et practico agendi modo totius
« Ecclesiae. Semper et ubique in Ecclesia ratum erat principium, suc-
« cessores apostolorum esse custodes doctrinae apostolicae, cui nihil
« addi, a qua nihil detrahi possit (Epist. Barnab. n. 19; Iren. l. 10, n. 2;

decim constituti sunt principes Novi Testamenti, eumdem in eo locum obtinentes quem in antiquo habuerant Prophetae, et in populo cui omnia contingebat in figura, tredecim patriarchae capita tredecim tribuum (1). Hoc denique charisma in quo reposita fuit singularis et exsors dignitas eorum, transcendens scilicet omnem ordinem proprie hierarchicum, id est ad perpetuum Ecclesiae regimen institutum.

Neque aliud intelligit Paulus, cum Eph. IV-11 ait: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* In quo quidem animadvertas velim, formaliter intelligendam esse diversitatem eorum quae hic enumerantur, id est, secundum distinctionem non tam subiectorum quam donorum et charismatum. Non enim ita Christus quosdam dedit apostolos, ut non iidem fuerint et prophetae et evangelistae, ac praesertim pastores et doctores; unde in praefatione missae de apostolis dicitur: « Quos « operis tui vicarios eidem (gregi tuo) contulisti praeesse pa- « stores ». Sed distincta officia recensentur et dona, licet in easdem personas, vel omnia vel aliqua simul concurrerint. Interim vero illud diligenter notandum venit: quomodo nempe a munere pascendi et docendi diserte distinguat Paulus speciale *apostolatus* charisma, cui annumeratur quoque charisma *prophetiae* quo ex

---

« Tertull. de Praescript. c. 8 et 9; August. l. 5 de bapt. c. 26, etc.). « Ideo synonymae semper habebantur appellationes *fides apostolica* et « *fides Ecclesiae* (Clem. Alex. Strom. l. 7; Iren. l. 3, c. 1, etc.). Quo- « ties aliquod doctrinae caput ad fidem catholicam pertinere definitum « est, id semper intellectum est esse prorsus idem ac definivisse, illam « doctrinam revelatam ad nos pervenisse ab apostolis sive in divina « Scriptura sive sine scripto Traditione. Hinc inquisitio ad hoc unum « semper reducebatur, utrum doctrina contineretur in Scripturis vel in « apostolica Traditione; quod quidem acta omnium Conciliorum et histo- « ria omnium definitionum fidei evidenter demonstrant ». Franzelin, de Tradit. Thes. 22, § 2.

(1) Nota bene quod duodecim tribus et tredecim tribus dici possunt. Duodecim propter duodecim filios Iacob, tredecim propter unum Ioseph qui succrevit in tribus duas Ephraim et Manasse. Item duodecim, si ratio habeatur earum quae territorium in terra promissa acceperunt; tredecim, si addatur tribus Levi quae territorio proprio caruit.

inspiratione divina quidam futura praedicebant vel Scripturas exponebant, tum charisma *evangelistarum* quod duobus discipulis Marco et Lucae extra venerandum illum summorum apostolorum coetum novimus singulari modo concessum. Et recte quidem auctoritati regiminis sive iurisdictionis contraponitur supradictum apostolatus donum, quod non fuit pars *potestatis gubernativae,* sed magis se tenuit ex parte *potestatis constituentis,* tanquam exsecutive ad eam se habens. Dabatur enim ad primo actuandam institutionem Christi, et ad apponendum in armario Ecclesiae omnia principia veritatis et gratiae quibus in finem usque custodiendis, applicandis, et dispensandis, adlaborare haberet hierarchia. Unde ordine naturae praecedebat potestatem magisterii et iurisdictionis de qua in superioribus dictum est, sicut prius est esse depositum revelatae veritatis quam esse magisterium circa illam, prius quoque actuari societatem quam exerceri imperium in ea. Et simile esset si summus quispiam artifex ideam conciperet alicuius machinae novi usus novaeque structurae. Aliud namque requireretur in operariis destinatis ad construendum eam iuxta communicatum exemplar, aliud vero in iis quibus competeret machinam semel constructam movere et ad actum applicare. Idem igitur considerare est in praesenti, pro quanto proportionaliter nunc comparantur, hinc quidem extraordinarium apostolatus charisma, inde vero hierarchica regendi potestas.

Sicut autem in praedicto charismate eminebant tredecim apostoli supra omnes alios qui erant vel futuri unquam erant in Ecclesia, ita in eodem omnimodam inter se invicem aequalitatem habuerunt. Non quod fuerit in omnibus aequale charismatis exercitium, unde Paulus dicitur apostolus per excellentiam, ut qui in Ecclesiae fundatione plus aliis laboraverit (1). Sed quia quidquid in huius charismatis ordine singuli praestiterunt, eiusdem semper auctoritatis fuit, eiusdemque firmitatis. Non enim minus pertinet ad catholicae fidei depositum id quod contulit Ioannes qui suum evangelium suamque apocalypsim Ecclesiae tradidit post aliorum omnium mortem, quam quod

(1) « Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis apostolus, non « intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, et plus om- « nibus illis laboravit, I Cor. XV-10 ». August. l. 3 c. duas epist. Pelag. n. 4.

contulit Petrus vel Paulus vel Andreas. Neque minori infallibilitate initiavit et disposuit Ecclesiam Thomas apud Indos, Ioannes apud Parthos, Paulus apud Corinthios, quam Petrus apud Romanos.

At vero in eo solo charismate aequiparabantur, non autem in aliquo alio. Mittebantur enim ad construendam Ecclesiam secundum ius constitutionale a Christo edictum, in quo statutum erat ut unus in universali regimine principaretur Petrus, sicut in praecedenti propositione ostensum est. Unde ipsum infallibilitatis donum quod omnibus aequaliter ad constructionis opus fuerat concessum, impediebat ne aequalem sibi locum in structura socialis aedificii omnes vindicarent. Imo vero faciebat ut totam fabricae molem reponerent super petram, id est super Petrum, tam sibi quam a se fundatis ecclesiis hierarchica potestate praesidentem. De qua re indicium historicum minime praetereundum invenimus in Ecclesia Corinthiana adhuc recentissima a praedicatione Pauli. Quod enim in ea plane haberetur Petrus ut Paulo aliisque cunctis apostolis plenitudine iurisdictionis superior, satis monstrat res gesta in dissidiò orto circa Paulum ipsum et Apollo, dum vana quadam iactantia unusquisque praedicatorem magis sibi placentem pro studio partium extollebat. *Significatum est mihi de vobis, fratres mei,* inquit I Cor. I-II, *ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi.* Ubi statim animum pulsat quaestio, qua tandem de causa in hac Corinthiorum contentione in medium venire potuerit Cephas, id est Petrus. Quando enim Corinthum adveniens Paulus evangelium praedicavit, nunquam illuc appulerat Petrus, prout asseverat Paulus ipsemet, non solum Rom. XV-20, verum etiam in praesenti. Nam cum paulo infra scribat: *ego plantavi,* et subdat: *Apollo rigavit,* tum deinde de nullo alio mentionem habeat, sed Deum incrementum dedisse dicat, plane demonstrat se tantum et Apollo, nec alium quempiam ante haec tempora Corinthiis evangelium annuntiasse. Non ergo sic dicebant alii se esse Cephae, id est Petri, quod Petrus Corinthi praedicasset; sicut nec qui se dicerent esse Christi, id ob eam causam profitebantur, quod Christus cum in humanis esset, personaliter eos instruxisset. Sed haec vox: *ego vero Cephae, ego autem Christi.*

vox eorum erat qui contentionem illam et scissuram ecclesiae aut declinare aut componere volentes, rem reducebant ad principium in quo falli non possent, transcendendo scilicet tam Paulum quam Apollo, ut ei adhaererent qui omnium consensu supra utrumque erat, videlicet vel Petro, omnium post Christum pastori et supremo Ecclesiae capiti, vel ipsi auctori omnium Christo ([1]). — Nullo ergo modo in regiminis potestate attenditur ea aequalitas secundum quam apostoli omnes uno eodemque gradu recensentur, nec ulla omnino in hunc sensum afferri potest auctoritas ex Patribus.

Certe quando Cyprianus, de Unitate Ecclesiae n. 4 dicit: « Hoc erant utique et caeteri apostoli quod fuit Petrus, pari « consortio praediti honoris et potestatis », et paulo infra: « Pa« stores sunt omnes, sed grex unus ostenditur qui ab apostolis « omnibus unanimi consensione pascatur », ea dicit ad quorum plenam explicationem necessariae forent declarationes in sequenti propositione afferendae de apostolis *collegialiter* consideratis. Interim vero manifeste efficitur non esse sensum Cypriani, *singulos* praeter Petrum apostolos aequalem habuisse cum Petro ipso *iurisdictionem*, cum statim post prima verba subdat: « Sed « exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut « una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur ». Et post alia: « Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem « credit?... Qui cathedram Petri super quem fundata est Ecclesia « deserit, in Ecclesia se esse confidit? » Minime igitur quantum ad regiminis auctoritatem, hoc erant apostoli singuli quod fuit Petrus, Cypriano teste. Nisi forte haec duo vel apparenter conciliare posse confidas: omnes fuisse in iurisdictione pares, et tamen penes unum fuisse primatum (dico autem primatum iurisdictionis qui solus ad unitatem de qua hic agitur, aliquid conferre valet); quod esset idem ac dicere, primatum uni dari, et simul nemini dari. Quidquid ergo sit de adaequato sensu sententiae Cypriani, de qua re postea, manifestum per se est, quod non intendit aequalitatem omnium inter se in hierarchica regendi potestate. Unde et alibi plane contestatur non aliunde obortas haereses esse ac nata schismata, quam inde quod unus in Ecclesia Dei sacerdos qui Christi vice fungatur, non cogitetur

([1]) Ita fere Baronius, Annal. ad an. Christi 57, n. 2.

ac penitus cognoscatur; quem esse Petri successorem pro constanti et absque aliqua controversia saepius asseverat (1).

Et idem omnino dicendum ad auctoritatem Hieronymi, qui l. 1 c. Iovin. n. 26, praerogativas virginitatis commendans exemplo Ioannis qui virgo a Christo electus, virgo in aevum permansit, praeoccupat obiectionem desumptam ex hoc quod non super Ioannem, sed super Petrum qui uxorem habuerat, fundata est Ecclesia. « At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia. « Licet id ipsum in alio loco (Matth. XVIII-18) super omnes « apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex « aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea « inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis « tollatur occasio ». Quibus in verbis, secundum quod suadebat argumenti convenientia, quodam veluti artificio sermonis extenuat quantum potest Petri praeeminentiam, sicut cum alibi ad retundendam superbiam diaconorum qui se supra presbyteros efferebant, sic exaggerat presbyterorum dignitatem ut eos episcopis fere aequales facere videatur. Nihilo tamen minus, dum quaerit undique id quod intentum iuvare posset, minime adstruit hierarchicam Petri et Ioannis aequalitatem, sed solum observat, omnibus apostolis collegialiter sumptis datam potestatem, quae per prius uni Petro fuerat collata. Ipsum enim collegium simul cum capite, non vero singulos distributive intelligit, cum ait super omnes aeque ac super unum Petrum, Ecclesiae fortitudinem solidari. Quod ne cui obscurum appareat, statim gravissimis verbis Petrum asserit constitutum principem ad praecidendas schismatum occasiones, ac demum obiectam rationem directe solvit dicendo, praelationem Petri minime esse in detrimentum privilegiorum virginitatis, sed habuisse alias alterius ordinis causas: quia nempe non conveniebat ut omnium iunior Ioannes supra caeteros haberet principatum: « Sed cur non Ioannes ele- « ctus est virgo? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat, « ne adhuc adolescens ac pene puer, progressae aetatis homi- « nibus praeferretur, et magister bonus qui occasionem iurgii « debuerat auferre discipulis..., in adolescentem quem dilexerat, « causam praebere videretur invidiae ». Iterum ergo, plena sen-

(1) Cyprianus, epist, 55 ad Cornel. c. 5, apud Migne, Patr. Lat. Tom. 3, col. 802, seq.

tentiae Hieronymi explicatio ex dicendis pendet in propositione sequenti, de toto in solidum corpore episcopali; sed nedum vel apparenter in ea insinuetur aequalitas omnium inter se invicem apostolorum quoad regendi potestatem, expressis disertisque verbis categorice excluditur.

Nec solidius fundamentum sumeretur ex Ioanne Chrysostomo cum in cap. 1 epistolae ad Galatas, n. 11, haec de Paulo invisente Petrum edisserit: « Quid hoc animo (Pauli) possit esse « modestius? Post tanta tamque praeclare gesta, cum nihil opus « haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore par esset « illi (nihil enim hic dicam amplius), tamen ascendit velut ad « maiorem ac seniorem..... Vides quomodo illis tribuit congruen- « tem honorem, neque solum non ducit seipsum illis meliorem, « verum ne parem quidem esse (ex modestia) putat ». At quisquis commentarium Chrysostomi, ad amussim argumento Pauli loco citato respondentem perlegerit, videbit sermonem ibi esse ab initio ad finem de speciali illo apostolatus charismate in quo Paulum tam Petro quam caeteris undecim prorsus aequalem ultro confitemur. Et re quidem vera, ad hoc charisma pertinebat accepta immediate a Deo revelatio. Pertinebat quoque missio, non solum non ab homine, sed nequidem mediante homine data, quam in initio epistolae ad Galatas sibi vindicat Paulus contra pseudoapostolos qui evangelium ab eo praedicatum hoc nomine subvertebant, quod ipse, utpote non ante ascensionem cum caeteris a Christo vocatus, authentici et legitimi apostoli auctoritatem non haberet. Huc profecto spectant haec et similia: *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem .... Notum vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine didici illud, sed per revelationem Iesu Christi..... Mihi enim qui videbantur aliquid esse* [1] *nihil contulerunt,* etc. In hoc ergo apostolatus charismate aequiparat Chrysostomus Paulum Petro, imo et aliquo modo praefert, eo scilicet sensu qui supra fuit indicatus [2]. Sed nequaquam de ordine hierarchicae potestatis agit, quem alias Hom. 87 in Ioan.

[1] Οἱ δοκοῦντες, phrasi usitata apud Graecos ad significandum primates civitatis.

[2] Vide supra, pag. 549.

n. 1, gravi assertione contestatur inquiens: « Dicit ei (Iesus « Petro): pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis, de his hunc « alloquitur? (Petrus) eximius erat inter apostolos, et coetus « illius caput; ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul « ostendens oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, « fratrum ei praefecturam committit... Dicit autem: Si amas me, « fratrum praefecturam suscipe, et ferventem illum amorem quem « semper exhibuisti, nunc ostende ». Haec Chrysostomus, cui tota de integro Traditio consonat.

Sed iam de inferioritate aliorum sub Petro apostolorum in iurisdictionis potestate satis superque dictum. Superest ut haec ipsa in eis iurisdictionis potestas positive declaretur, cuiusnam ordinis, cuiusve extensionis et mensurae extiterit.

§ 2.

Dico autem iurisdictionem quam *in proprium* singuli habuerunt, fuisse eiusdem ordinis et gradus cum iurisdictione quae usque nunc in particularibus episcopis est, ac per hoc, de plenitudine potestatis Petri descendentem et participatam. Cuius quidem assertionis argumentum *directum* ex Scriptura forte nullum est. Interim vero, solidissimum sumitur fundamentum ex Traditione, quae unanimi consensu successores apostolorum in episcopis agnoscit. Omnium enim orthodoxorum sententia receptum est, loco apostolorum successisse episcopos, et ideo eam dem esse originem et dignitatem episcopatus, quae est etiam apostolatus. Nam et hoc, inquit Baronius, in saeculi magistratibus experimur, ut qui in locum alterius suffectus est, idem cum illo dicatur deducere principium et potestatem, quo praedecessor est munere auctus et dignitate praelatus. Certe Cyprianus epist. 65 ad Rogatianum c. 3 dicit: « Apostolos, id est epi- « scopos et praepositos Dominus elegit, diaconos autem post « ascensum Domini in coelos apostoli sibi constituerunt episco- « patus sui et Ecclesiae ministros ». Item Hieronymus epist. ad Evagrium, de episcopis loquens, omnes apostolorum successores esse confirmat. Et ad Marcellam scribens: « Apud nos, inquit, « apostolorum locum episcopi tenent ». Eadem in Michaeam c. 2, aliisque in locis repetit. Item Augustinus in Psalmum 44, num. 32: « Quid est *pro patribus tuis nati sunt tibi filii?* Patres missi sunt

« apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt epi-
« scopi. Hodie enim episcopi qui sunt per totum mundum, unde
« nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit,
« et ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes
« desertam quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia
« non vides illos per quos nata es; de prole tua tibi crevit paterni-
« tas..... Filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis
« principes super omnem terram ». Denique ipsa Tridentina Synodus perpetuam hanc traditionem recapitulans ac veluti sigillans declarat, *praeter caeteros ecclesiasticos gradus, episcopos qui in apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* (1). Ubi vides successionem apostolorum in episcopis agnosci quoad ipsam potestatem iurisdictionis, et non quoad solam potestatem ordinis, quae caeteroquin sine iurisdictione nequaquam esse potest in iis qui secundum plenam et adaequatam episcopatus rationem episcopi dicuntur et sunt.

Atqui in omnibus praeter Petri successorem episcopis attenditur iurisdictio non universalis, sed particularis, iuxta illud 1 Petr. V-2: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Item attenditur iurisdictio participata a suprema potestate pastorali Petri, deque eius plenitudine descendens, quia potestas est pascendi partem illius ovilis quod totum Petro velut proprio pastori commendatum est, iuxta illud Ioan. XXI-17: *Pasce oves meas,* id est totum ovile meum. Constat enim quod ex quo quis super gregem universum constituitur tanquam omnium omnino ovium pastor proprius et ordinarius, nulla iam esse potest in singulas portiones gregis pastoralis auctoritas quae de plenitudine eius non sit participata. Unde Augustinus Serm. 296, n. 11: « Ergo commen-
« davit nobis (episcopis) Dominus oves suas, quia Petro com-
« mendavit ». Et Cyprianus epist. 27, c. 1: « Dominus noster
« cuius praecepta et monita observare debemus, episcopi hono-
« rem et Ecclesiae suae rationem disponens, in evangelio loqui-
« tur et dicit Petro: Ego tibi dico quia tu es Petrus... et tibi
« dabo claves regni coelorum... Inde per temporum et successio-
« num vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit ».
Et Optatus de schism. Donat. l. 7, n. 3: « Bono unitatis, beatus

(1) Sess. 23, cap. 4.

« Petrus... et praeferri apostolis omnibus meruit, et claves regni « coelorum communicandas caeteris solus accepit ». Et Gregorius Nyssenus, Orat. adversus aegre ferentes castigationem : « Per « Petrum episcopis dedit (Christus) claves coelestium bonorum ». Et Innocentius I, epistola ad concilium Carthaginiense, n. 1 : « Scientes quid apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum « sequi desideremus apostolum (Petrum), debeatur, a quo (Petro) « ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit » (1). Et Caesarius Arelatensis in exemplo libelli ad Symmachum Papam oblati : « Sicut a persona B. Petri apostoli episcopatus su- « mit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus San- « ctitas Vestra singulis ecclesiis quid observare debeant eviden- « ter ostendat » (2). Haec quidem de iurisdictione episcoporum secundum quod particularis est, et de Petri plenitudine participata.

Nunc autem, si ut prius dictum est, episcopi in hierarchia ecclesiastica eum tenent locum quem primo tenuerunt antecessores apostoli, iam sponte sua sequitur conclusio : iurisdictionem scilicet apostolorum eamdem habuisse rationem tum particularitatis, tum participationis. Particularitatis quidem, iuxta illud Gregorii Magni l. 5 epist. 18 ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum : « Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singu- « larium sunt plebium capita ? ». Participationis vero, iuxta illud S. Innocentii I ad Victricium episcopum Rothomagensem, n. 2 : « Adiuvante sancto apostolo Petro, per quem *et apostolatus et « episcopatus* in Christo coepit exordium ».

At contra hanc conclusionem statim arguunt, quia apostoli cuncti immediate a Christo acceperunt omnem suam missionem tum initiandi tum regendi Ecclesiam. Ergo, sicut extraordinarium apostolatus charisma nequaquam in eis exstitit participatum a Petro, ita nec regiminis potestas. Et si regiminis potestas non fuit a Petro participata, sed immediate a Christo accepta, ergo in omnibus et singulis fuit universalis, et aequalis iurisdictioni Petri, hoc solo discrimine quod in Petro ordinaria erat ad successores transmittenda, non autem in caeteris (3).

(1) Migne, Pat. Lat. Tom. 20.
(2) Migne, Pat. Lat. Tom. 62, col 53.
(3) Ita Bellarm. de Rom. Pont, l. 4. c. 23.

Respondeo in primis negando paritatem inter speciale charisma apostolatus et hierarchicam regendi potestatem, quia charisma apostolatus quale fuit in superioribus declaratum, ex sua essentiali ratione debuit esse *omnibus modis* immediate a Deo descendens, utpote constituens immediata revelationis organa, infallibilesque exsecutores constitutionis Ecclesiae per immediatam Dei assistentiam. At non est simile de hierarchica potestate regendi, ut constat, quoniam hoc videmus in suavi ordine Providentiae universaliter observari, quod regantur infima per media, media per summa, et potestate quidem quae in subordinatis praelatis participatur a potestate superiorum.

Hac igitur observatione praemissa, statim negatur consequentia argumenti quoad regiminis potestatem. Quod enim in apostolis haec potestas fuerit immediate a Christo *accepta,* id minime excludit quin fuerit simul a potestate Petri *participata,* deque Petri plenitudine desumpta ac descendens. Et ratio est quia cum potestas Petri plane dependeret a Christo, nihil profecto impediebat quominus Christus per seipsum faceret apostolos huiusmet potestatis tam vere tamque proprie *participes,* ac si actu et voluntate Petri iurisdictio ad eos fuisset derivata. Cuius quidem rei exemplum est manifestum, quando Summus Pontifex per seipsum deputat aliquem in vicarium episcopi vel capituli, aut per seipsum constituit parochum cum ordinaria iurisdictione quae huic muneri propria est. Tunc enim ordinaria iurisdictio parochi tam vere tamque proprie est participatio quaedam potestatis proprii episcopi, ac si ab ipsomet episcopo fuisset accepta. Et similiter vicarius tam vere tamque proprie vicarius est, ac si ab iis quorum est vicarius fuisset assumptus. Quod ergo iurisdictio aliqua sit secundum propriam rationem a suprema Petri potestate participata, id quidem ostendit quod nata est conferri a Petro, et quod regulariter dari debet a Petro, sed non tollit quin potuerit etiam conferri immediate a Christo, eiusdem rationis, eiusdemque omnino ordinis et gradus. Nam ex hoc quod visus facultas naturalis est, sequitur quidem quod natus est dari a natura; at sequiturne quod nequeat dari immediate ab auctore naturae? Numquid recte concluderes: ergo visus quem recepit caecus natus, non fuit eiusdem generis ac visus quem in caeteris hominibus natura format? Non ergo considerandum est an potestatem hierarchicam receperint apostoli immediate a Christo,

vel non ; sed unice videndum quid ferat ordo ecclesiasticae hierarchiae quam in apostolis Christus initiabat (1), quaeve sit propria ratio iurisdictionis episcoporum quorum apostoli antecessores fuerunt, ut tota Traditio nos edocet.

Si autem inquiras de modo quo iurisdictio in singulis apostolis determinari potuit ad greges particulares, facile respondebitur id fuisse per voluntatem Christi dispositum, ut episcopalem haberent potestatem in eas quas fundarent ecclesias. Hoc enim est congruum naturae rerum, et Scripturae quoque documentis apprime consentaneum.

Congruum quidem naturae rerum, quia si fundatio alicuius ecclesiae non in hoc absolvitur, quod infideles unius regionis vel civitatis trahantur ad lumen evangelii, et per baptismi ianuam in ovile Christi introducantur (in quo quidem nihil plus est quam merum quoddam praesuppositum ad iurisdictionis exercitium), sed ulterius perfici debet per informationem, disciplinam, caeterasque ordinationes quae nonnisi a veri nominis hierarchis respectu subditorum esse possunt : statim apparet episcopalem potestatem debuisse connaturaliter annecti muneri fundatorum, ac per hoc, determinari in apostolis singulis ad ecclesias a singulis plantatas atque initiatas.

Est quoque consentaneum Scripturae documentis, uti patebit conferenti exempli gratia, epistolas Pauli ad Corinthios et ad Galatas cum epistola eiusdem ad Romanos vel etiam ad Hebraeos. In prioribus enim loquens ad ecclesias quas ipse fundaverat, ubique monstrat auctoritatem vere episcopalem, ut cum excommunicat incestuosum, minatur se venturum in virga, gloriatur de potestate sibi a Domino data in aedificationem, disponit omnem ordinem servandum in synaxibus, et verbis praeceptivis continuo utitur, sicut decet episcopum scribentem ad suos.

(1) Iurisdictionis participatae a Petro, et tamen immediate a Christo apostolis collatae figura praecessit in Veteri Testamento, Numer. XI, 11-25 : « Ait (Moyses) ad Dominum.... Non possum solus sustinere « omnem hunc populum, quia gravis est mihi.... Et dixit Dominus ad « Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel..., et au- « feram de spiritu tuo, tradamque eis ut sustineant tecum onus populi, « et non tu solus graveris.... Descenditque Dominus per nubem, et lo- « cutus est ad eum auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans se- « ptuaginta viris, etc. ».

Ad Romanos autem scribens, nullibi propriam in eos vindicat iurisdictionem, sed imo ab initio excusationem affert dicens se propter speciale donum apostolatus a Deo acceptum, Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus esse debitorem, adeoque promptum, non quidem Romanos regere et gubernare, sed eis evangelizare ut aliquid impertiatur gratiae spiritualis, et in eis quoque quemdam fructum habeat sicut et in caeteris gentibus.

Itaque rursus, haec duo simul stare omnino possunt: et quod apostoli immediate a Christo iurisdictionem episcopalem acceperint, et quod nihilominus non habuerint iurisdictionem universalem, sed limitatam ad greges particulares. Caeterum si quis inter apostolos aliter quam titulo fundationis episcopatum alicuius ecclesiae consecutus sit, tunc communi et ordinaria via iurisdictionem hanc accepisse dicendus erit, sicut de Iacobo minore vetus traditio refert: « Iacobus qui appellatur frater Domini, post « passionem Domini statim *ab apostolis* (ac per hoc, a Petro) *Hie-* « *rosolymorum episcopus ordinatus,* unam tantum scripsit epistо- « lam, etc. ». Ita Hieronymus c. 2 de viris illustribus, ex testimonio veterum apud Eusebium His. eccl. c. 5 et 23.

At dices iterum, apostolos exercuisse iurisdictionem longe excedentem limites iurisdictionis particularium antistitum. Instituebant enim episcopos, ut de seipso Paulus testatur scribens ad Titum I-5, et ad Timotheum I-3. Quin imo regebant ecclesias quibus iam proprii praeerant episcopi, quemadmodum in c. 9 de viris illustribus Hieronymus refert de Ioanne, qui sub Nerva principe rediit Ephesum, « ibique usque ad Traianum principem « perseverans, totas Asiae... rexit ecclesias ». Haec autem nullam haberent explicationem si in ipsis apostolis non fuisset summa potestas ecclesiastica, non secus ac in Petro, salvo semper discrimine de quo supra.

Verum respondeo quod eodem argumento probaretur summam potestatem ecclesiasticam fuisse etiam penes patriarchas Alexandriae et Antiochiae, eo quod secundum veterem disciplinam ad eos spectabat instituere episcopos suarum provinciarum, et alia multa praestare quae omnino transcendunt ordinem particularis episcopatus. Et si consequentia non admittitur quoad praefatos patriarchas, neque etiam valebit quoad apostolos. Re enim vera non sufficit considerare quid in hoc genere factum sit, sed ex qua potestate factum sit intuendum est, an scilicet ex

ordinaria potestate episcopali, an solum ex potestate vicaria. Respondebunt ergo omnes, maiores patriarchas orientales exercuisse ius instituendi episcopos titulo vicariorum Petri. Quo quidem sensu scripsit Gregorius Magnus l. 7 epist. 40 ad Eulogium patriarcham Alexandrinum : « Suavissima mihi sanctitas vestra « multa in epistolis suis de S. Petri apostolorum principis ca- « thedra locuta est dicens, quod ipse in ea nunc usque in suis « successoribus sedeat.... Sed cuncta quae dicta sunt in eo li- « benter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui « Petri cathedram tenet.... Itaque, cum multi sint apostoli, pro « ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in au- « ctoritate convaluit, quae in tribus locis unius est. Ipse enim su- « blimavit sedem in qua etiam quiescere et praesentem vitam « finire dignatus est (Romanam). Ipse decoravit sedem in qua « evangelistam discipulum misit (Alexandrinam). Ipse firmavit « sedem in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit (Antio- « chenam) ». Quidquid igitur de sedibus patriarchalibus dices, distinctione facta inter iura proprie episcopalia et superaddita iura vicariatus ut supra, hoc idem de apostolis dicendum esse respondebo. Sicut enim per immediatam concessionem Christi potuerunt accipere ordinariam potestatem episcopalem vere participatam de plenitudine Petri, ita per eamdem viam potuerunt deputari in simplices Petri vicarios pro omni dispositione vel administratione in stadio fundationis necessaria, quae ex sese dependeret a suprema iurisdictione, iuxta constitutivam Ecclesiae eiusque hierarchiae legem.

Quae si diligenter consideres, videbis quid dicendum sit ad argumentum Bellarmini, ubi episcopos proprio sensu apostolorum successores esse negat : « Non succeditur proprie inquit [1], « nisi praecedenti. At simul fuerunt in Ecclesia apostoli et epi- « scopi, ut patet de Timotheo, Tito, Evodio, aliisque permultis. « Si igitur episcopi apostolis succedunt, cui apostolo successit « Titus ? cui Timotheus ? ». Equidem non succeditur nisi praecedenti, modo tamen praecedens, formaliter consideretur secundum munus in quo ei succeditur. Porro ex quo apostoli instituebant episcopos ut loco sui novellas ecclesias gubernarent, eo ipso abdicabant ordinariam illam potestatem quam prius habe-

[1] De Rom. Pont. l. 4, c. 25.

bant in dictas ecclesias sua opera erectas et initiatas. At retinebant in eas ipsam vicariam iurisdictionem ex qua sibi successores poterant constituere. Proinde Titius successit Paulo prout primo Cretensium episcopo, Timotheus eidem prout primo episcopo Ephesino, et sic de aliis. Eodem modo ac si nunc aliquis esset episcopus habens plures ecclesias, cui onus episcopale abdicanti, retinenti tamen titulo delegati Sedis apostolicae altum quoddam dominium ac regimen, plures succederent episcopi. Neque haec dicendo divinamur, sed attendimus propriam ecclesiasticae hierarchiae rationem, quae absque ullo fundamento diceretur fuisse alia atque alia secundum distinctionem inter periodum fundationis et statum definitivum ac permanentem. Inhaeremus antiquae traditioni quae in apostolis decessores episcoporum unanimiter agnoscit. Denique consentimus Gregorio Magno ubi supra: « Petrus apostolus primum membrum sanctae et universalis Ec« clesiae est (scilicet caput sub capite Christo). Paulus, Andreas, « Ioannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? ».

THESIS XXVII.

Verumtamen ad commendandam illam unitatem de qua in ultima coena pro apostolis orans dicit: Ut sint unum sicut et nos, ut in nobis unum sint, ut sint consummati in unum, **stabili perpetuaque institutione disposuit Christus ut collegium apostolicum prout unitum principi Petro, consors esset supremae potestatis. Hinc monarchia Ecclesiae est monarchia sui generis, quae cum plenam minimeque diminutam monarchici iuris rationem per omnia retineat, adhuc tamen particularium antistitum regimen sic coniunctum habet, ut etiam in individuum summae auctoritatis exercitium admittat cohaerens cum capite episcopale corpus.**

§ 1.

Veritas huius assertionis constat ex Matth. XXVIII-20, Ioan. XX-21, et clarissime ex Matth. XVIII-18, ubi Christus totam apostolorum communitatem alloquens ait: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque*

solveritis super terram erunt soluta et in coelo. Haec enim verba prius soli Petro dicta, important exercitium plenitudinis potestatis, uti supra declaratum est, Thes. 25 § 1. Ergo sicut in Petro fuit summa auctoritas ecclesiastica, sic etiam in toto collegio collegialiter considerato. Hoc autem qualiter possit et debeat intelligi, paulo fusius exponendum est, comparatione instituta inter Petrum principem ex una parte, et collegium integrum ex altera.

In primis ex vi verborum evangelicorum non est *plus potestatis* in collegio quam in uno Petro. Ratio est evidens et manifesta, quia Petro dicitur: *Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris.* Collegio vero iisdem terminis eademque forma: *Quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis.* Insuper si utrobique significatur potestas in genere potestatis ecclesiasticae illimitata, constat quod potestas collegii non addit supra potestatem unius Petri, quia ei quod plenum est, in eo ordine in quo plenitudo consideratur, nihil potest addi omnino.

Sed neque etiam est *plus potestatum.* Equidem fateri oportet consequenter ad dicta in propositione praecedenti, quod potestas Petri et potestas episcopalis singulorum apostolorum plures erant potestates, eodem scilicet pacto quo Deus et creaturae sunt plura entia, eodemque sensu quo dici solet plus esse entium post creationem quam ante, sed non plus entis (1). Verumtamen diligenter considerare oportet quod potestas collegii apostolici collegialiter sumpti nequaquam consurgit ex summa potestatum membrorum collegii. Etenim potestas collegii est potestas suprema: potestas autem singulorum praeter Petrum apostolorum, non erat nisi potestas particularis et subordinata. Porro una vel plures subordinatae potestates quocumque tandem modo additae cogitentur, nihil omnino conferre possunt ad potestatem supremam, quia ad rem superioris ordinis nihil unquam facit additio rerum ordinis inferioris, quantumvis additio in infinitum protrahi supponatur. Itaque potestas collegii adaequate distinguitur a summa particularium potestatum quae in membris collegii erat.

Unum ergo dicendum restat: de Christi institutione fuisse ut ipsissima suprema potestas quae tota erat in uno Petro, esset

(1) Non plus potest Papa et Ecclesia quam Papa solus, licet plures « potestates sint potestates Papae et Ecclesiae ». Caietanus, Tract. 1 de auctoritate Papae et Concilii, c. 9.

quoque in eo prout cum aliis subordinatis senatus apostolici membris, unum efficiente corpus, unum tribunal, unumque plenarium atque amplissimum subiectum auctoritatis. In quo quidem subiecto, non ex aequo venit Petrus et reliquus apostolorum coetus, sed ubique immobilis perseverat habitudo capitis ad membra de qua Matth. XVI, Ioan. XXI, et etiam Luc. XXII, cum dictum est Petro: *Confirma fratres tuos.* Hinc primo, sine Petro nulla est in collegio suprema auctoritas, quia collegium acephalum non ipsum est cui a Christo fuit dictum: *Quaecumque alligaveritis,* etc. Hinc secundo, Petrus in collegio non se habet ut praeses in parlamento, primus inter pares. Sed cum sit semper petra Ecclesiae, et confirmator fratrum, et pastor tam agnorum quam ovium, ipse unus est fons et ratio supremae totius coetus auctoritatis. Hinc tertio, ipse idem nullo pacto est subditus collegii, dum reliqui omnes singillatim sumpti eadem ratione subsunt iurisdictioni senatus cuius pars exsistunt, qua singuli in parlamento deputati ligantur legibus quae a toto coetu edicuntur. Hinc denique quarto, collegium apostolicum suprema auctoritate investitum nihil est aliud quam totum corpus subordinatorum praelatorum, prout assumptum ad caput Petrum in unitate unius agentis seu gubernantis, idque in commendationem et manifestationem compactae illius connexionis per omnem subministrationis iuncturam, quam suae Ecclesiae propriam tesseram perpetuumque miraculum esse voluit Christus.

Quae igitur cum ita sint, non est quaerendum cur supremae auctoritatis exercitium fuerit adscriptum toti apostolico collegio, cum haec eadem suprema auctoritas plena atque integra iam resideret, et quidem per prius, penes unum Petrum. Consilium enim Christi satis elucescit ex ipso contextu evangelico, ubi statim post verba ad communitatem apostolicam directa, *quaecumque alligaveritis,* etc., leguntur ea quae ad unitatem et concordiam commendandam faciunt: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* « In tantum igitur « humanae pacis studuit concordiae, inquit Hilarius in c. 18 Matth. « n. 9, ut unitatis merito omnia quae a Deo precanda sint, im- « petranda esse confirmet, et ubi duo atque tres pari spiritu ac « voluntate collecti sint, ibi se medium eorum polliceatur futurum.

« Ipse enim pax atque charitas, sedem atque habitationem in « bonis et pacificis voluntatibus collocabit ». Et hoc attendens Cyprianus, de Unit. Eccles. n. 4-7, de apostolis dicit: « Et pa- « stores sunt omnes, et grex unus qui ab apostolis omnibus una- « nimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur... « Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiae inseparabi- « liter cohaerentis ostenditur, quando in evangelio tunica Do- « mini Iesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sor- « tientibus de veste Christi quis Christum indueret, integra ve- « stis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. « Loquitur ac dicit Scriptura divina: *De tunica autem, quia de « superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, « dixerunt ad invicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de « ea cuius sit.* Unitatem illa portabat de superiore parte venien- « tem, id est de coelo et a Patre venientem, quae ab accipiente « ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam simul et « solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat.... Quia Christi po- « pulus non potest scindi, tunica eius per totam textilis et cohae- « rens, divisa a possidentibus non est. Individua, copulata, con- « nexa, ostendit populi nostri concordiam cohaerentem. Sacra- « mento vestis et signo declaravit Ecclesiae unitatem ».

§ 2.

Nunc autem, institutionem in collegio apostolico initiatam debuisse ad finem usque in episcopatu perpetuari, vix opus est demonstrare. Et sane, allata evangelii testimonia procul dubio respiciunt perennem ac perpetuum Ecclesiae statum. Insuper nihil magis explicitum in fide catholica inde ab initio, quam dogma de suprema auctoritate totius episcopatus, sive in oecumenicum concilium adunati, sive etiam dispersi per orbem universum [1]. Et de hac collegiali omnium episcoporum cum capite Petro cohaerentium auctoritate, recte intelligitur dictum Cypriani, de Unit. Eccl. n. 5: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.* Non quod singulus quisque episcopus possit ratione sui id totum quod potest episcoporum universitas; ridi-

[1] Cf. litteras Pii IX ad archiepiscopum Monacensem, 21 Dec. 1863 apud Denzinger, n. 1536.

culum enim hoc esset. Sed quia in unoquoque distinguere oportet rationem capitis unius particularis ecclesiae, sive in quantum ecclesia particularis est, sive in quantum participat individuam Ecclesiae universalis unitatem. Primo modo nihil plus est quam singularis antistes; alio modo est membrum oecumenici episcoporum collegii. Et quia una indivisibilisque est huius collegii sub suo capite et cum suo capite auctoritas, utpote quae nequaquam coalescat ex additione singularium potestatum, ut dictum est supra, ideo unusquisque in communione caeterorum agens, potest et facit, non quidem ratione sui, sed ratione totius cuius pars unanimis exsistit, quidquid facit et potest episcopatus universus.

Hactenus ecclesiasticam hierarchiam delineavimus secundum quod in Petro et apostolis fuit principiata. Superest nunc ut de ipsorum apostolorum successoribus magis particulariter pertractemus, et primo de successore Petri, Romano Pontifice.

QUAESTIO XIV.

DE ROMANO PONTIFICE

Iam de eo episcopo dicendum venit qui summam potestatem in Ecclesia haereditavit, dum accipientibus aliis singillatim unam tantum dominicorum vestimentorum partem, ipse unus tunicam inconsutilem indivisam solidamque sortitus est. Et tota disputatio ad tria capita reducetur. Primo enim dicendum de successione Petri penes Romanos episcopos existente. Secundo de vi et ratione primatus Romani Pontificis. Tertio de eius infallibili magisterio.

THESIS XXVIII.

Fide catholica certum est, Romanum Pontificem apud quem est de facto successio Principis apostolorum, iure divino universae praeesse Ecclesiae. — Insuper, hanc Petri successionem quae titulus est ad Ecclesiae monarchiam, penes ipsum esse, non modo veritas est facti, sed etiam definitum fidei dogma. — Quin imo, si huius dogmatis conditio et tenor inspiciatur, dicendum omnino videtur, alligationem primatus ad episcopalem Sedem Romanam fuisse divino iure sancitam, adeoque (quod ex maxima convenientia requirebatur), summum Ecclesiae principatum esse eiusdem Sedis praerogativam in finem usque saeculorum omnibus modis ab ea inamovibilem.

Tria sunt in praesenti distinguenda secundum tres principales assertiones quibus integra propositio constat. In prima id unum affirmatur: esse certum de fide, quod Romanus Pontifex, utpote Petri successor, iure divino habet primatum in universam Dei Ecclesiam. Porro ad huius propositionis veritatem minime necesse est, formaliter saltem loquendo, quod exsistentia suc-

cessionis Petri apud Romanos episcopos sit veritas a Deo revelata, vel quod successio ipsa fuerit determinata ad Romanam Sedem per ius divinum. Sed satis est ut revelatio nos edoceat institutionem Christi de primatu Petri prout in eius successoribus seu haeredibus perpetuo permansuro, et insuper certum nobis sit quod Petri haereditas devoluta est ad Romanum episcopum, undecumque id constet, et quocumque iure id factum sit. Et sane ad propositum nihil refert qua via innotescat designatio haeredis Principis apostolorum, an per testimonium Dei, vel solum per testimonium historiae seu etiam Ecclesiae. Item non refert qua auctoritate haec designatio contigerit, an auctoritate divina, an propria auctoritate apostoli cuius erat ordinanda successio (1). Quacumque enim hypothesi facta, adhuc satis certa erit identitas de facto exsistens inter Romanum episcopum et Petri successorem, et ex consequenti satis constabit referendum esse ad Romanum episcopum quidquid de Petri successore testatur revelatio. Quia igitur successor Petri fide divina credendus est habere de iure divino Ecclesiae monarchiam, idem omnino de Romano Pontifice credere oportebit. Et in his quidem terminis continetur assertio prima.

Sed iam secundo loco quaeritur, qua certitudine certa sit praedicta identitas successoris Petri cum Romano episcopo: an scilicet simplici certitudine historica seu humana; an forte certitudine facti dogmatici quod infallibiliter quidem, non tamen ut divinitus revelatum ab Ecclesia proponitur, an denique (quod magis est) summa etiam certitudine fidei divinae. Nam in vi superioris propositionis, ut iam ex dictis liquet, unaquaeque ex his suppositionibus adhuc est possibilis, et quaenam ex tribus veritatem habeat nondum constat. Sicut cum dico de fide esse, Caium vel Titium contraxisse peccatum originale, praesuppono ut certum quod Caius vel Titius via ordinaria et secundum seminalem rationem genitus ac procreatus est; id autem constat simplici evi-

(1) « Ut Ecclesiae certo constet in tali sede impletam esse, et hacte-« nus impleri institutionem a Christo factam et in Scriptura revelatam, « satis est ut applicatio (ut sic dicam) illius institutionis et dignitatis ad « talem episcopatum per evidentem traditionem et continuum ac no-« tissimum usum eidem Ecclesiae sufficientissime proponatur ». Suarez, Defens. fidei, l. 3, c. 13, n. 3.

dentia seu certitudine naturali. Et cum dico de fide esse, libros qui in vulgata editione continentur esse scripturam sacram dictante Deo conscriptam, praesuppono ut certum quod iidem vulgatae editionis libri sunt identici quoad substantiam cum scriptis originalibus datis ab hagiographis; et hoc rursus nullibi invenitur revelatum, sed tamen definitum est ut factum dogmaticum in Tridentino, Sess. IV, Decret. de editione et usu sacrorum librorum. Item cum dico de fide esse, Extremam Unctionem conferre gratiam ex opere operato, praesuppono ut certum quod Extrema Unctio est verum N. L. sacramentum; sed iam praesuppositum ipsum de fide divina et catholica est. Simili itaque modo, cum ad dogmaticam veritatem primatus Romani Pontificis praesupponatur ut certum, devolutionem haereditatis Petri fuisse ad eum factam, statim ulterior sese offert quaestio, quo tandem genere assensus id tenendum sit. Affirmatur autem, tenendum quoque ut dogma fidei a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum, quod Romanus episcopus Petri habeat successionem. Et haec est assertio secunda.

At nondum omnino quiescit animus, quia adhuc quaerere solent theologi quo iure contigerit ut successor Petri esset episcopus Romanus potius quam quilibet alius, puta Antiochenus, Alexandrinus, vel etiam nullius determinatae sedis antistes. Et nota quod quaestio ista non omnino convertitur cum praecedenti, formaliter loquendo, quandoquidem potest institutio aliqua esse de fide divina, quin de iure quoque divino sit, sicut patet exempli gratia de obligatione abstinendi a suffocato et sanguine (Act. XV-20) primis christianis imposita. Nam haec obligatio de fide quidem divina et erat et est, utpote in libro divinitus inspirato consignata; non tamen ideo de iure divino fuit, cum alias perseverasset usque nunc, et non potuisset decursu temporum abrogari. Caeterum, ratio a priori per se evidens est, cum nihil prohibuerit quominus revelaretur a Deo dispositio legislativa emanans a sola apostolica potestate. Quo in casu auctoritas Dei interveniret quidem in dicendo, et ideo res ab eo dicta de fide divina esset; non autem intervenisset in instituendo, et ideo de iure divino non foret. Nunc autem alligationem successionis Petri ad episcopalem sedem Romanam, non modo fidei dogma esse, verum etiam institutionem divini iuris, in posteriori propositionis parte asserimus. Asserimus, inquam, velut veritatem quae etsi

nondum definita, adhuc tamen cum conditione et tenore definiti dogmatis necessario cohaerere videatur.

Denique, hac demonstratione peracta, nihil aliud residuum erit nisi ut coronidis instar declaremus summam convenientiam ac pene dicam necessitatem talis institutionis: ex qua scilicet factum sit ut iura primatus uni eidemque sedi usque ad consummationem saeculi immobiliter prorsus affixa remanerent.

§ 1.

Prae primis vindicandum venit illud fidei dogma quo credendum ab omnibus Christi fidelibus est: *Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum..., et ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse* (1). Qua in re supponuntur omnia quae iam demonstrata sunt in quaestione praecedenti, praesertim vero, ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino esse, ut Beatus Petrus in primatu haberet perpetuos successores (2). Et ideo id unum, iuxta mox praemissa, superest ostendendum: penes Romanum episcopum esse de facto Petri successionem seu haereditatem. Et cum ad hanc veritatem firmandam plurima concurrant argumenta, maioris claritatis gratia, sub certis ac distinctis capitibus cuncta sunt breviter recensenda.

Argumentum primum, ex testimoniis historicis de fundata a Petro, Petrique sanguine consecrata, Sede Romana.

Hic per prius observabis, esse necessario admittendum quod successio in primatu fuit de facto reposita in ea sede episcopali quam Petrus initiavit et retinuit usque ad mortem. Ratio est quia etsi ratiocinando a priori, nihil forte obstaret quominus successio Petri in monarchia Ecclesiae cogitaretur tanquam ab omni sede fixa vel locali episcopatu absoluta, loquendo tamen a posteriori, eiusmodi suppositio apparet omnino excludenda. In tota enim historia et traditione ecclesiastica, ne vestigium quidem invenire est alicuius haereditariae potestatis quae non fuerit certae

(1) Definitio Florentini innovata in Concilio Vaticano, Sess. IV, cap. 3.

(2) Supra, Thes. 25, § 3.

cuidam ac determinatae cathedrae appropriata. Insuper, omnia quotquot prostant documenta certissimam fidem faciunt, nulla unquam in quolibet antistite agnita fuisse iura successionis, nisi per ordinem ad praecedentes in eadem territoriali sede episcopos. Proinde unum de duobus dicendum restat. Vel quod ratio successionis Principis apostolorum penitus latuit Ecclesiam inde ab origine sua (et hoc impossibile esse nemo non fatebitur); vel quod successio ista revera est et hactenus permansit in ea cathedra quam prior Petrus occupavit. Occupavit, inquam, non transitorie tantum, velut mox ad aliam perrecturus, secumque asportaturus incommunicabilem supremae potestatis praerogativam, sed ultimato et definitive tanquam in ea manens et conquiescens, sicut scriptum est: *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Nunc ergo, hac observatione praemissa, per se manifesta est vis demonstrativa argumenti quod deducitur ex testimoniis historicis iam proferendis de fundata a Petro, Petrique sanguine consecrata, Sede Romana.

Et primo quidem, quoad mansionem Petri in urbe Roma, non praetereunda ipsiusmet Scripturae attestatio est. Sic enim legitur in I Petr. V-13: *Salutat vos ecclesia quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Nam Babylonis nomine hic significari Romam (propter babelicam illam confusionem qua omnium gentium serviebat idolis, et diligentissima superstitione collectum in se habebat quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum), veteres tradiderunt: Eusebius l. 2 Hist. eccl. c. 15, tum Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis, in Marco. Quibus consonant quotquot dicunt cum Tertulliano adversus Iudaeos c. 9, et l. 3 c. Marc. c. 13, Babylonem in Apocalypsi portare figuram Romanae urbis regno superbae et sanctorum debellatricis; vel cum Augustino l. 18 de civit. c. 22, conditam esse Romam velut alteram Babylonem et illius prioris filiam (1). Cae-

(1) Mira protestantium inconsequentia! Licet hic negent per Babylonem Romam significari, ne fateri cogantur Petrum fuisse episcopum Romae, id tamen in Apocalypsi pro inconcusso dogmate habent, nec alia sane de causa nisi ut in Romanam Ecclesiam convertant omnia quae ibi de Babylonis idololatria caeterisque abominationibus leguntur. In quo etiam nescio an calumnia superet imperitiam, vel imperitia ca-

terum, praesentem locum minime posse intelligi de ea quae est apud Assyrios Babylone, multoque minus de Babylone alia quae fuit apud Aegyptios, pluribus rationibus ostendet tibi Baronius ad annum Christi 45, n. 17. His vero interim omissis, ad monumenta historiae nos convertamus oportet, demonstrandumque nihil esse in annalibus ecclesiasticis illustrius, nihil certius atque testatius quam adventum Petri in urbem Romam, eiusque in eadem urbe episcopatum, martyrio tandem consummatum ac veluti sigillatum.

Iam saeculo II, praeter Papiam ab Eusebio commemoratum l. 2 Hist. c. 15, testes nobis adsunt, primo Dionysius Corinthiorum episcopus ad Romanos scribens his verbis: « Ambo (Petrus « et Paulus)... in Italiam profecti, cum vos instituissent, eodem « tempore martyrium pertulerunt » (1). Tum Caius in libro quem scripsit adversus Proclum Cataphrygarum haeresis auctorem: « Ego vero apostolorum (Petri et Pauli) tropaea possum osten- « dere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere « libet, occurrent tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundave- « runt » (2). Tum denique praestantissimus doctor et martyr Irenaeus l. 3 c. haeres. c. 3: « Quoniam valde longum est omnium « ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae « et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro « et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam « habet ab apostolis traditionem... per successiones episcoporum « pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos « qui quoquo modo... praeterquam oportet colligunt... Fundantes « igitur et instruentes beati apostoli ecclesiam (3), Lino episco- « patum administrandae ecclesiae tradiderunt... Succedit autem « ei Anacletus, etc. ». Et sequitur catalogus Romanorum episcoporum qui perducitur usque ad Eleutherium.

---

lumniam. Quippe, ne per somnium quidem, ut notat Baronius, quis unquam inveniet Romanam *Ecclesiam* esse Babylonis nomine nuncupatam, sed ipsam tantum *civitatem;* ac id quidem non semper, sed cum impietate referta adversus ipsam Ecclesiam bellum gereret.

(1) Apud Eusebium, l. 2 Hist. c. 25.

(2) Apud Eusebium, l. 2 Hist. c. 25.

(3) Quo sensu Paulus adiungatur Petro in episcopatu Ecclesiae Romanae, dicetur postea.

Saeculo III, praeter Clementem Alexandrinum in sexto Institutionum libro (1), testis adest primo Origenes: « Qui (Petrus) « ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum « demisso; sic enim uti in cruce collocaretur oraverat... *Haec « Origenes in tertio volumine Expositionum in Genesim disertis « verbis commemorat* », inquit Eusebius l. 3 Hist. c. 1. — Adest et Tertullianus, de Praescript. c. 36: « Age iam qui voles cu- « riositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre « ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae aposto- « lorum suis locis praesidentur, apud quas ipsae authenticae lit- « terae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes fa- « ciem uniuscuiusque. Proxime tibi est Achaia, habes Corinthum... « Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque « auctoritas praesto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam « apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni « Dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis (Baptistae) exitu « coronatur ».

Saeculo IV: Lactantius l. 4 Instit. c. 21, et de mortibus persecutorum c. 2: « Cum iam Nero imperaret, Petrus Romam ad- « venit..., et Deo templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad « Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed « ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolo- « rum, et ad religionem novam transire..., primus omnium per- « secutus Dei servos, Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit ». — Eusebius l. 2 Chronicorum: « Petrus apostolus... cum primum « Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ibique « evangelium praedicans, 25 annis eiusdem urbis episcopus per- « severat ». — Optatus l. 2 de schism. Donat. c. 2 et 3: « Igitur « negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathe- « dram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apo- « stolorum caput Petrus... Ergo cathedram unicam... sedit prior « Petrus, cui successit Linus, etc. ». Tum catalogum Romanorum episcoporum ducit usque ad Siricium. — Cyrillus Hierosolymitanus, Cathech. 6, n. 15: « Cum vero error (Simonis Magi) se « latius sparget... Petrus et Paulus Ecclesiae praesules, illuc (ad « Romanorum civitatem) appulsi, Simonem superbe se ostentan- « tem subita morte perculerunt ». — Gregorius Nazianzenus l. 2

(1) Cf. Eusebium l. 2 Hist. c. 15.

Carminum XIV: « Dissecabatur Isaias, sed constanter ferebat... « Obiiciebatur feris Daniel tanquam amicis. Romae Paulus et « Petrus victoriam reportarunt ». — Epiphanius, Haeres. 27, n. 6: « Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, « Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, etc. ». Tum seriem ducit usque ad Anicetum, cuius tempore exorta erat haeresis Carpocrasiorum de qua tractat. — Chrysostomus in Psalm. 48, n. 6: « Piscator Petrus qui... civitatem maxime regiam occupavit, « etiam post mortem resplendet sole clarius ». Et l. 1 contra Iudaeos, n. 9: « In regia urbe Roma, missis aliis omnibus, ad se- « pulcra piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt imperatores, « consules, exercituum duces ». — Prudentius, Peristeph. Hymn. 2, vers. 430 et seq. « O Christe numen unicum... qui sceptra Ro- « mae in vertice rerum collocasti..., da Romanis tuis sit christiana « ut civitas per quam dedisti in caeteris mens una sacrorum « foret... Et iam tenemus obsides fidissimos huius spei. Hic nempe « iam regnant duo apostolorum principes, alter vocator gentium, « alter cathedram possidens primam recludit creditas aeternitatis « ianuas. Discede, adulter Iupiter... relinque Romam liberam... Te « Paulus hinc exterminat, te sanguis exturbat Petri ». — Philastrius de Haeres. c. 29: « Qui (Simon Magus) cum fugeret B. Pe- « trum apostolum de Ierosolymitana civitate, Romamque ve- « niret, ibique pugnaret cum beato apostolo apud Neronem, « devictus undique oratione beati apostoli... sic meruit inte- « rire ».

Saeculo V: Hieronymus, de viris illustribus c. 1: « Simon « Petrus... princeps apostolorum, post episcopatum Antiochensis « ecclesiae... secundo Claudii imperatoris anno, ad expugnandum « Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis « cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum Ne- « ronis... A quo et affixus cruci martyrio coronatus est... Sepultus « Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem, totius orbis ve- « neratione celebratur ». — Orosius l. 7 Hist. 6: « Exordio regni « (Claudii) Petrus apostolus Romam venit et salutarem cunctis « credentibus fidem fideli verbo docuit..., atque exin christiani « Romae esse coeperunt ». Et cap. 7: « Primus (Nero) Romae « christianos suppliciis et mortibus affecit..., ipsumque nomen « extirpare conatus, beatissimos Christi apostolos, Petrum cruce, « Paulum gladio occidit ». — Augustinus epist. 53, n. 2: « Si

« ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto « certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui... Do- « minus ait: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. « Petro enim successit Linus, Lino Clemens..., Siricio Anastasius. « In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus inveni- « tur, etc. ».

Sed et integra volumina non sufficerent, si alios sine numero testes adducere oporteret. Iure ergo meritoque Synodus Vaticana, Sess. IV, cap. 2: *Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput... a Domino nostro Iesu Christo claves regni accepit; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis Sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet.*

Argumentum secundum, ex nominibus quibus a Patribus Romana Sedes insignitur. — In hoc argumento iam non directe respicitur ad originale factum Petri initiantis Sedem Romanam, sed proferuntur testimonia fidei totius Ecclesiae de huius sedis principatu, ut qui cum haereditate principis apostolorum intime connexus sit, imo in ea sola suam habeat essendi rationem. Enumeratio igitur praecipuorum titulorum qui passim occurrunt apud Patres de Romana ecclesia vel sede vel cathedra, (nihil enim in praesenti distat inter Ecclesiam et Sedem), haec est.

Primo: *Ecclesia cuius est potior principalitas.* « Ad hanc enim « Ecclesiam, inquit Irenaeus l. 3, c. 3, propter potiorem princi- « palitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos « qui sunt undique fideles ». Circa quam auctoritatem observabis, sensum profecto non esse quod illuc proficisci tenerentur ii qui locorum distantia a Romana Sede separabantur, id enim vel cogitare perabsurdum; sed quod necesse esset cum ipsa convenire et concordare in rebus fidei et religionis. Et ratio affertur, quia licet caeterae ecclesiae in suis quaeque finibus principatum in sibi subditos fideles obtineant, longe tamen potior est is quem obtinet Romana, utpote quae principatus ac primatus iure omnibus dominetur, omnibus praesit, omnesque sibi habeat subditas (1).

(1) D. Massuetus, Dissert. 3 de Irenaei doctrina, n. 31.

Secundo: *Ecclesia maxima, omnibus cognita, omnium antiquissima.* Ita Irenaeus ubi supra, necnon et Origenes relatus ab Eusebio l. 6 Hist. c. 14: « Origenes vero, Zephyrino per haec « tempora Romanam Ecclesiam gubernante, se in urbem Romam « advenisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicut ipsemet ali- « cubi dicit, Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram « videre. Ibi paulisper moratus Alexandriam rediit ». Sed quid nunc putas his titulis significari? *Ecclesia maxima,* id est, non tam fidelium numero, de quo tunc temporis potuissent procul dubio aliae quaedam ecclesiae cum ea contendere, quam auctoritatis amplitudine. *Omnibus cognita,* id est, quam caeteris sublimiorem et excellentiorem aliae omnes ut caput et primam suscipiebant ac venerabantur. *Omnium antiquissima,* at non ordine temporis, cum constet ecclesiam Hierosolymitanam statim post ascensionem Domini incepisse, Antiochenam vero in qua primum cognominati sunt discipuli christiani, eodem ordine chronologico praecessisse. Dicitur ergo ab Irenaeo et Origene antiquissima omnium propter dignitatem et primatum, eadem scilicet ratione qua in Actibus et in apostolorum epistolis, presbyterorum seu seniorum nomine appellantur ii omnes qui in Ecclesia auctoritatem habebant. Proinde idem sonat *omnium antiquissima,* ac omnium princeps et praecipua.

Tertio: *Cathedra principalis.* « Post ista, inquit Cyprianus « epist. 55 ad Cornelium c. 14, adhuc insuper pseudoepiscopo « sibi ab haereticis constituto, navigare audent et ad Petri ca- « thedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdo- « dotalis exorta est..., nec cogitare eos esse Romanos... ad quos « perfidia habere non possit accessum ». — *Caput, id est, Petri apostoli sedes.* Apud Hilarium, Fragm. I operis historici de Ariminensi Concilio, ubi refertur epistola Concilii Sardicensis ad Iulium I: « Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse « videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli Sedem, de sin- « gulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes ». — *Cathedra singularis, cathedra unica in qua unitas ab omnibus servaretur.* Ita Optatus ubi supra, de schism. Donat. l. 2, c. 2 et 3. — *Cathedra prima* quam tenet apostolorum princeps, teste Prudentio in loco superius citato. — *Cathedra Petri, petra super quam aedificata est Ecclesia,* teste Hieronymo epist. 15 ad Damasum. — *Ipsa Petri sedes, petra quam non vincunt superbae in-*

ferorum portae. Ita Augustinus in Psalmo abecedario quem composuit tanquam canticum populare ad muniendos catholicos contra artes schismaticorum.

Quarto: *Thronus apostolicus.* Sic Romanam Sedem appellat magnus Athanasius, epist. ad monachos, Hist. Arian. n. 35: « Nam neque Liberio Romano episcopo ab ipso initio pepercere « (Ariani), sed usque ad eius urbis cives suum propagarunt fu- « rorem, nihil reveriti quod apostolicus thronus ille sit... Cum « enim illum (Liberium) cernerent sanae fidei cultorem..., arbi- « trati sunt impii homines se, si Liberium seducere possint, om- « nes illico superaturos ». Et eadem appellatio adeo frequens est, adeo usitata in antiquis Patribus et Conciliis, ut *Sedis apostolicae* nomen, proprium ac distinctivum Sedis Romanae nomen evaserit. At nota quod haec sedes dicitur apostolica sensu prorsus singulari, non solum ratione originis seu fundationis, quo modo multae antiquitus sedes apostolicae erant, sed maxime ratione potestatis, pro quanto scilicet apostolica regiminis potestas erat in ea non per participationem et derivationem ut in caeteris, sed per excellentiam et plenitudinem tanquam in fonte, in matrice, in radice. Hoc sane significat Augustinus epist. 43, n. 7: « Romana Ecclesia « in qua semper *apostolicae cathedrae viguit prin-* « *cipatus* ». Hoc Patres Concilii Aquileiensis in epistola ab Ambrosio scripta ad Imperatores: « Totius orbis Romani caput « Romanam Ecclesiam... ne turbari sineret, obsecranda fuit Cle- « mentia Vestra. *Inde enim in omnes venerandae communionis* « *iura dimanant* » (1). Hoc quoque Cyprianus, epist. 45 ad Cornelium Pontificem c. 3, ubi testatur se cum collegis misisse Romam coepiscopos Caldonium et Fortunatum qui de legitimitate electionis ipsius Cornelii, Romanam tunc ecclesiam conturbante pseudopapa Novatiano, certiores fierent: « Scimus, inquit, nos « hortatos eos esse ut *Ecclesiae catholicae radicem et matricem* « agnoscerent ac tenerent » (2).

Quinto: *Quae praesidet universis.* Ita Gregorius Nazianzenus, Carmine XI de vita sua, vers. 560, seq. « Duos quidem natura « non dedit soles. Duas at Romas, totius terrarum orbis lumina, « antiquam potestatem et novam ». Crederes ipsum aequiparare

(1) Inter opera Ambrosii, epist. 11, n. 4.
(2) Migne, Patr. Lat. Tom. 3, col. 710.

Constantinopolim Romae, id est novam Romam Romae antiquae. Audi tamen quod sequitur: « Quod spectat ad illarum fidem « (Roma) iamdudum atque etiam nunc recte currit, Occidentem « totum devinciens salutari doctrina, quemadmodum par est ut « *quae universis praesidet,* totam colat Dei concordiam. Nova autem « (Constantinopolis) antea stabat pedibus rectis..., et non item « post ».

Ecquis igitur haec veteris traditionis testimonia considerans, in quibus Oriens et Occidens, Graeci et Latini, unanimi et nusquam dissonante confessione conspirant (1), de veritate possessionis qua Romana Sedes penes se habet primatum in Beato Petro divinitus institutum, adhuc ambigeret? At nondum satis.

Argumentum tertium, ex affirmatione etiam exercita supremae in Romana Sede potestatis. — In hoc argumento praecedens confirmatur, quia tanto maioris ponderis noscitur esse testimonium, quanto magis apparet non solum depuratum ab omni motivo proprii interesse, verum etiam positive contrarium iis praeiudiciis quibus homines vulgo ad dissimulandam veritatem inducuntur. Ecce ab antiquis Patribus Romana Sedes titulis decoratur amplissimis. Sed utrum ad platonicam quamdam considerationem eiusmodi asseverationes pertinuerint, an vero titulis ipsis practica agendi ratio, etiam ex parte eorum qui aemuli videri possent, per omnem modum responderit, non immerito forsitan inquires. Ne autem iustos limites excedat haec nostra disquisitio, ad solos Graecos nos convertamus oportet. Si enim antiqui episcopi Orientales, iique maximarum sedium praesules, non verbis modo, sed factis quoque et actuosa subiectionis

(1) Praeclare Bossuet, ubi Gallicanis praeiudiciis non obfuscatur: « C'est cette chaire Romaine tant célébrée par les Pères, où ils ont exalté « comme à l'envi, *la principauté de la chaire apostolique, la principauté « principale, la source de l'unité, et dans la place de Pierre l'éminent de- « gré de la chaire sacerdotale; l'Eglise mère qui tient en sa main la con- « duite de toutes les autres églises; le chef de l'épiscopat d'où part le rayon « du gouvernement; la chaire principale, la chaire unique en laquelle seule « tous gardent l'unité.* Vous entendez dans ce mots saint Optat, saint « Augustin, saint Cyprien, saint Irénée, saint Prosper, saint Avite, « saint Théodoret, le concile de Chalcédoine, et les autres: l'Afrique, « les Gaules, la Grèce, l'Asie, l'Orient et l'Occident unis ensemble ». Sermon sur l'unité de l'Eglise, 1.ère partie.

professione, in Romano episcopo supremum Ecclesiae principem successorem Petri agnoverunt, constat certitudinem traditionis esse in hac parte omni exceptione maiorem. Et communis quidem veterum Orientalium disciplinae locupletissimus testis esse posset vel solus Socrates, qui eo ipso tempore quo Ecclesia graeca in maximo suo splendore versabatur, l. 2 Hist. eccl. c. 8, haec scripta reliquit: « Sed neque Iulius interfuit Romanae urbis « episcopus (scilicet Synodo Antiochenae ab Eusebio Nicome- « diensi Arianorum duce collectae), nec quemquam eo misit qui « suum locum impleret, *cum tamen ecclesiastica regula vetet ne « absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decer- « natur* ». Cui consonat Sozomenus l. 3, c. 10. Verumtamen non sola generali attestatione historici id comprobatum volumus, sed adductis quibusdam illustribus exemplis quae ex maxime authenticis monumentis desumantur.

Et primo quidem praesto nobis sunt acta oecumenicorum Conciliorum quae in Oriente celebrata, Orientalibus episcopis, sin minus ex toto, at certe ex longe longeque maiori parte constabant. In his semper sine contestatione ulla praesidentiam obtinuerunt Romanae Sedis legati. In his Romani Pontificis ius monarchicum semper adsertum, et quandoque solemniter affirmatum vindicatumque est, non modo non reclamantibus, verum etiam acclamantibus Patribus universis. De quibus plura iam documenta superius allata sunt in Quaest. 2, cum de notis Eccelesiae in communi ageretur. — Insigne vero inter alia multa illud est quod legitur gestum in Synodo Chalcedonensi, occasione famosi canonis 28 quem hodierni Graeci et Moscovitae pro se adducunt. Hic canon in quo sedi Contantinopolitanae, simul cum iuribus patriarchalibus primus post Romanam gradus decernebatur, subdole fuerat introductus extra sessionem conciliarem. Quo comperto, statim legati S. Leonis protestantur: « Hesterna die, post- « quam Potestas Vestra surrexit..., quaedam gesta facta dicun- « tur, quae nos et praeter canones ecclesiasticos et disciplinam « aestimamus facta. Poscimus ergo ut Vestra Magnificentia re- « legi haec praecipiat, ut omnis fraternitas inspiciat utrum iusta « an iniusta sint ea quae gesta sunt ». Tunc in pleno Concilio relegitur canon. Et cum unanimi voto Patrum firmaretur (erat enim in desiderio Imperatorum Valentiniani et Marciani, necnon et senatus et totius imperii civitatis), opponunt legati se a Bea-

tissimo Papa contraria mandata accepisse, suasque instructiones proferunt in quibus sic habebatur: « Sanctorum quoque Patrum « constitutionem prolatam nulla patimini temeritate violari vel « imminui, servantes omnimode Personae Nostrae in vobis quos « vice nostra transmisimus, dignitatem. Ac si qui forte civitatum « suarum splendore confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hac « qua dignum est constantia retundatis ». Quare iterum res in deliberationem venit, sed iterum sententia unanimi firmatur, clamantibus episcopis: Haec omnes dicimus, haec omnibus placent, hoc iustum decretum. Tunc Lucentius vicarius sedis apostolicae dixit: « Sedes apostolica nobis praesentibus humiliari non debet, « et ideo quaecumque in praeiudicium canonum hesterna die gesta « sunt, nobis absentibus, Sublimitatem Vestram petimus ut cir- « cumduci iubeatis. Sin alias, contradictio nostra his gestis inhae- « reat, ut noverimus quid apostolico viro universalis Ecclesiae « Papae referre debeamus, ut ipse aut de suae sedis iniuria aut « de canonum eversione possit ferre sententiam ». Haec quidem in authenticis actis Synodi Chalcedonensis referuntur (1).

Porro in eiusmodi circumstantiis, in tali statu animorum, indubium plane est quin professio subiectionis erga Romanam Sedem, et quidem quoad ipsum negotium quod totius litigii causa erat, singularem habitura sit significationem. Nunc ergo, quid dicant Patres Concilii in relatione facta ad S. Leonem de omnibus quae in Synodo gesta erant, attende. Primo de fidei decreto agunt, in quo praedefinitionem ipsius Leonis in litteris ad Flavianum datis secutos se commemorant, asserentes Leonem fuisse *vocis Beati Petri omnibus constitutum interpretem,* ipsumque omnibus Concilii Patribus *sicut membris caput praefuisse* in persona eorum qui eius tenebant vicem. Tum de depositione Dioscori Alexandrini certiorem Pontificem faciunt; qui Dioscorus inter alia crimina, etiam *contra eum cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te qui corpus Ecclesiae unire festinas.* Tandem ad litigium ortum circa praerogotivam Sedis Constantinopolitanae accedentes: « Con- « firmavimus autem..... regulam quae praecepit post vestram san- « ctissimam et apostolicam Sedem, honorem habere Constantino-

(1) Apud Labbe, Conc. Chalced. Act. XVI.

« politanam quae secunda est ordinata, confidentes quia lucente « apud Vos apostolico radio, et usque ad Constantinopolitano- « rum ecclesiam hunc saepius expandetis, eo quod absque invi- « dia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare do- « mesticos. Quae igitur definivimus ad interemptionem totius con- « fusionis..., dignare complecti, sanctissime Pater. Qui enim lo- « cum Vestrae Sanctitatis obtinent, sanctissimi episcopi Pascha- « sius et Lucentius et qui cum eis est reverendissimus presbyter « Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, « procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum vo- « lentes, ut sicut fidei, sic bonae ordinationis vobis deputetur « effectus. Nos enim.... opportunum credimus esse, honoris eius « confirmationem ab universali concilio celebrari, et velut haec « a Tua Sanctitate fuerint inchoata roboravimus praesumentes, « dum noverimus quia quidquid rectitudinis a filiis fit, ad patres « recurrit facientes hoc propriium sibi. Rogamus igitur, et tuis « decretis nostrum honora iudicium, et sicut nos capiti in bonis « adiecimus consonantiam, sic et Summitas Tua filiis quod decet « adimpleat » (1). Haec sane sunt quae nullo indigent commentario. Porro tam apertae totius ecclesiae Orientalis professioni adde alias non minus explicitas, sive in Concilio Constantinopolitano IV, sive in Lugdunensi II, sive demum in Florentino; quas omnes diserte commemorat et refert Concilium Vaticanum Sess. IV, cap. 4. – Sed nunc ad quaedam singularia facta ex vetustis Patribus Graecis deprompta veniendum est, ubi illustria reperiuntur exempla exercitae affirmationis supremae potestatis in Sede Romana.

1. Ex Athanasio, epist. ad monachos, in historia Arianorum. Quippe, cum totus Oriens haeresi illa commoveretur, et Ariani duce Eusebio Nicomediensi, in Athanasium recens ordinatum

(1) Apud Migne, Patr. Lat. Tom. 54, col. 957, seq. — Notum est S. Leonem constanter denegasse id quod a Patribus Concilii petebatur. (Vide epist. 104 ad Marcianum Imperatorem, 105 ad Pulcheriam Augustam, 106 ad Anatolium episcopum Cp.). Noverat enim quid periculi immineret ex parte Constantinopolis, unde velut futura praesagiens, probeque sciens obstandum esse principiis, legatis suis ad Concilium proficiscentibus hanc dederat instructionem: *Si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hac qua dignum est constantia retundatis.*

Alexandrinum patriarcham omnes suas vires converterent ut a sua sede eum deturbarent, non ad Antiochenam, non ad Hierosolymitanam aut quamlibet aliam orientalem sedem causa ab Orientalibus ipsis delata est, sed sine contestatione ulla, ab utraque parte ad Iulium Pontificem Romanum tamquam ad supremum Ecclesiae iudicem fuit appellatum. Et Athanasius quidem sponte et ultro Romam se contulit. Eusebiani vero iudicium non declinaverunt nisi cum intellexerunt se illic potentia Imperatoris destitutos nihil esse obtenturos. « Itaque, cum adver-« terent Eusebiani frangi haeresis suae vires, litteras Romam.... « mittunt adversus Athanasium.... Romanus vero episcopus Iulius « litteris suis indicavit, quo vellemus loco, cogendam synodum « esse.... Athanasius porro, ad primum rei auditum Romam na-« vigavit, quod haereticorum furorem probe perspectum haberet, « ut etiam prout statutum fuerat, synodus ibi celebraretur. Iu-« lius autem presbyteros Elpidium et Philoxenum cum litteris « mittit, tempusque illis (Eusebianis) praestituit ut intra illud « Romam se conferrent, aut scirent se in omnibus suspectos « haberi. At Eusebiani, ubi solum audiere illic fore ecclesiasticum « iudicium, ubi nec comes adesset, nec milites pro foribus stantes, « ubi nec synodi acta ex imperatoris metu ederentur..., tanto « sunt terrore perculsi, ut futilem excusationem commenti: Ob « Persarum bellum nequimus, aiebant, iam accedere ». Haec Athanasius, ubi supra, n. 9-11.

2. Ex Epiphanio, Haeres. 68, c. 9. Ibi Epiphanius referens res actas in causa Athanasii, in medium adducit conversionem Ursatii et Valentis, Arianorum episcoporum, qui ut in communionem catholicam reciperentur, non ad Athanasii, sed ad Romani Pontificis veniam debuerunt confugere. « Poenitentia ducti (Ur-« satius et Valens) Iulio Romano Pontifici libellos obtulerunt, « quibus errorem suum deprecabantur. Calumniam, inquiebant, « contra papam Athanasium struximus; tu vero ad communio-« nem et poenitentiam nos admitte ».

3. Ex Basilio, qui tamen a praeiudiciis contra Occidentales non omnino immunem se ostendit. Conqueritur enim identidem de *supercilio Occidentali*, de eo quod *dignitatem aestimant superbiam* (Epist. 239, n. 2). Item alibi queritur quod Romani episcopi altius sedeant cum legati eos adeunt (Ep. 215); imo quod cum elato et sublimi nihil prodesse possit congressus viri cuius mores

sint ab illiberali adulatione alieni (Ibid.). His tamen non obstantibus, quid ad Damasum Pontificem scribat attende: « Omnis « propemodum Oriens, Pater colendissime, ingenti tempestate « ac aestu agitatur, cum dudum quidem sparsa haeresis ab inimico « veritatis Ario, nunc vero impudenter emergens.... iam domi- « netur.... Horum unicam solationem expectavimus miserationis « vestrae visitationem.... Eo devenimus ut vos per litteras obse- « cremus ut ad opem nobis ferendam excitemini, et mittatis « aliquos qui vel dissidentes concilient, vel Dei ecclesias ad ami- « citias reducant, vel certe perturbationis auctores vobis clarius « indicent, ita ut deinceps vobis manifestum sit, quibuscum com- « munionem deceat habere.... Animarum captivitatem quotidie ab « haeresis propugnatoribus perfici videmus. Quare nisi iam ad « suppetias ferendas excitemini, paulo post ne quibus manum « porrigatis inventuri estis, omnibus sub haeresis potestate « redactis ». Haec Basilius epist. 70, cum qua conferenda est epistola 69 scripta ad Athanasium, tum epistola 263 ad Occidentales [1].

4. Ex Ioanne Chrysostomo qui semel atque iterum ab aulicis episcopis de sua sede Constantinopolitana depositus atque in exsilium pulsus, appellat ad iudicium Innocentii I Romani Pontificis, ad quem duas scripsit epistolas quae exstant in tertio operum ipsius Chrysostomi tomo. In prima dicit Romanum Pontificem de causis maioribus esse docendum ut quantocius rebus succurratur (n. 1), eiusque muneris esse scribere ut inique iudicata non habeant robur (n. 4). In altera ait quod quanto fluctus extolluntur sublimius et plures latent scopuli, vehementioresque sunt tempestates, tanto magis sollicitudo Innocentii augetur, qui velut optimus gubernator, tunc maxime vigilat quando mare intumescere videt. Tum protestatur esse Innocentio certandum pro toto orbe, pro ecclesiis deiectis atque prostratis, pro populis dispersis, pro clero divexato, pro episcopis exsulibus,

[1] In epistola 69 ad Athanasium Basilius scribit: « Nobis autem « visum est ad episcopum Romae scribere ut res nostras invisat, et con- « silium dare ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti « difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur; eligens homines... « secum habentes quaecumque post Ariminense Concilium gesta sunt, « ad eorum quae per vim illic acta fuerant dissolutionem ».

pro constitutione Patrum violata, addens charitatem eius sibi fuisse pro muro, pro securitate, pro portu, pro innumerorum bonorum thesauro et laetitiae mirificaeque voluptatis causa.

5. Ex Cyrillo Alexandrino qui epistola 17 ad Nestorium, scribit Nestorium ipsum, nisi intra terminum a Caelestino Papa praescriptum haereses suas revocet, ab omnibus ut excommunicatum et depositum debere vitari: « Quod nisi iuxta tem-« pus in litteris Caelestini sanctissimi reverendissimique fratris « et comministri nostri Romanorum episcopi expressum praefi-« nitumque praestiteris, certo scias nullam tibi deinceps cum epi-« scopis et sacerdotibus Dei sortem..., nullum denique inter eos « locum futurum esse ». Et in epistola 11 ad Caelestinum ipsum, petit ab eo Cyrillus num velit cum Nestorio ad tempus adhuc communicari, an vero eum deinceps ab omnibus vitari. « A Ne-« storii tamen communione, inquit, palam et aperte nosmetipsos « non prius divellimus, quam haec pietati tuae indicaverimus. « Digneris igitur nobis declarare quid tibi videatur, et utrum « aliquando cum illo communicare oporteat, an libere denuntiare « neminem cum eo qui talia sentit ac docet communicare ». Quae omnia, additis iis quae gesta sunt in Concilio Ephesino, satis declarant quo loco Romanum Pontificem Sanctus Cyrillus habuerit, cum in damnatione et depositione Nestorii nihil se aliud quam exsecutorem et administrum eiusdem Pontificis exhibuerit.

6. Ex Theodoreto, qui ab iniusta depositione quam a Dioscoro Alexandrino passus fuerat, ad S. Leonem appellat: « At « ego, inquit epist. 113, apostolicae vestrae sedis expecto sen-« tentiam, et oro atque obtestor Sanctitatem Tuam ut mihi ad « rectum ac iustum tribunal vestrum provocanti opem ferat.... « Ante omnia, ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac « iniusta depositione acquiescere an non; vestram enim senten-« tiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, ma-« nebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum « Dei Salvatorisque nostri iudicium exspectabo ».

Haec igitur et alia multa a quibus referendis consulto abstinemus, plane ostendunt quanto iure in ipso initio Photiani schismatis Nicolaus I scribere potuerit ad Michaelem imperatorem: « Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos « necessario quales Dominus noster I. C. hos haberi praecepit, « qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum Ec-

« clesiae Romanae privilegia Christi ore in Beato Petro firmata, « in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis « universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter « venerata, nullatenus possint minui.., quoniam fundamentum « quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus ».

Argumentum quartum, ex identitate inter communionem Romanam et communionem catholicam. — Nova est confirmatio praecedentium, quia si secundum Patres, idem est esse catholicum et esse in communione Romani Pontificis, ergo Romanus Pontifex ipsum est supremum caput in Beato Petro a Christo constitutum, a quo quisquis communione separatur, de catholicae Ecclesiae corpore non est, cum quo quisquis vinculo communionis coniungitur, membrum corporis est. Accipe ergo hac de re selecta quaedam antiquae Traditionis testimonia.

Certe Cyprianus epist. 52 ad Antonianum, identitatem ponit inter communionem cum legitimo Pontifice Romano et communionem catholicam. Cum enim Antonianus, acceptis litteris ab antipapa Novatiano, in partes illius animo propendere coepisset, confirmat illum Cyprianus in priori sententia ut cum Cornelio communicare pergat, his incipiens verbis: « Accepi primas lit- « teras tuas.... quibus significasti cum Novatiano te non com- « municare, sed sequi consilium nostrum, et cum Cornelio coe- « piscopo nostro unum tenere consensum. Scripsisti etiam ut « exemplum earumdem litterarum ad Cornelium transmitterem, « ut deposita omni sollicitudine iam sciret *te secum, hoc est cum « Catholica Ecclesia communicare* ». — Item Optatus l. 2 de schism. loco supra citato, post recensitam successionem Romanorum Pontificum ea ratione convincit schismaticos esse extra Ecclesiam catholicam, quod nullus ipsorum episcopus eidem Romanae Cathedrae communicet, et concludit c. 69: « Igitur de « dotibus supradicta cathedra est prima, quam probavimus per « Petrum nostram esse.... Et per cathedram Petri quae nostra « est, per ipsam et caeteras dotes apud nos esse ». Ubi per dotem cathedrae intelligit Optatus notam apostolicitatis sitam in communione cum cathedra illa in qua apostolicae potestatis fons est et origo. — Rursus Hieronymus, epist. 15 ad Damasum, n. 2: « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini « tuae, id est cathedrae Petri communione consocior. Super illam « petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc

« domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca « non fuerit, peribit regnante diluvio.... *Quicumque tecum non « colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antichristi est.* ». Et in apologia adversus libros Rufini, l. 1, n. 4: « Fidem suam « quam vocat? Eamne qua Romana pollet Ecclesia? an illam « quae in Origenis voluminibus continetur? *Si Romanam respon- « derit, ergo catholici sumus, qui nihil de Origenis errore trans- « tulimus* ». — Item Ambrosius, uno signo e sede Petri petito, id est ex Romanae Ecclesiae communicatione, quinam veri catholici habendi essent, solitum esse investigari demonstrat, dum haec scribit de suo fratre Satyro, qui adhuc catechumenus e naufragio ereptus, et statim sine mora baptismum recipere cupiens, sed nonnisi a catholico episcopo: « Advocavit ad se episcopum (loci), « nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, *percontatusque « ex eo est utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum Ro- « mana Ecclesia conveniret* » (1). — Sed et eiusdem persuasionis circa identitatem inter Romani et Catholici nomen fidem faciunt testimonia quoque exterorum, ut videre est ex documentis in primo tomo huius operis occasione data iam relatis, et ex iis quae habet Baronius ad annum Christi 45, n. 10. — Denique in ipso Concilio Constantinopolitano IV, episcopi qui Photio adhaeserant non fuerunt prius ad communionem catholicam admissi, quam sequenti formulae subscripsissent: « Sequentes in « omnibus apostolicam Sedem, et observantes eius omnia con- « stituta, speramus ut in una communione quam Sedes apostolica « praedicat esse mereamur, in qua est integra et vera christianae « religionis soliditas; promittentes etiam, *sequestratos a com- « munione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi « apostolicae,* eorum nomina inter sacra non recitanda esse my- « steria » (2).

Una igitur hac tessera, concludit Baronius, hoc uno symbolo, hoc uno denique rogato et reddito nomine, qui catholici essent, quive haeretici, semper innotescere consueverunt: nempe ut ille absque controversia catholicus censendus esset, qui se Romanae Ecclesiae communicare profiteretur, ac ille contra es-

(1) Ambr. de excessu Satyri l. 1, n. 47.
(2) Denzinger n. 41.

set conclamandus haereticus, qui ab eadem Romana cathedra probaretur esse divisus.

Argumentum quintum, ex adimpletione in cathedra Romana prophetiae Christi, Matth. XVI-18. — Certe, cum primatum in Beato Petro instituebat Dominus Iesus Christus, successionem pontificum praedicebat perennem futuram atque indestructibilem, in qua scilicet vigeret potestas semper exstitura vivax religionis radix, et tenax Ecclesiae vigor. Atqui in sola cathedra Romana, *haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus,* ut legitur in formula Hormisdae a Patribus Graecis et Latinis in Concilio VIII subscripta.

Et primum indicium est, quia de sola cathedra Romana ostendi potest certa et indisrupta successio episcoporum inde ab apostolis. Nec sane immerito in hac ipsa usque ad nos continuata successione, prodigii quidpiam inesse dixeris. Nullum enim simile exemplum in tota historia reperitur, quamvis omnes causae quae humanis principatibus finem imponere solent, hic quoque locum habuerint, atque etiam magis (1).

Secundum indicium est, quia in sola sede Romana, prae aliis quae apostolica origine gloriantur, *citra maculam semper est catholica servata religio.* Imo dum in aliis sederunt insignes haeresiarchae, (puta in Antiochena Paulus Samosatenus Arianorum praecursor; in Alexandrina Dioscorus, Gaianus, tum Cyrus Monothelitarum princeps: in Constantinopolitana Macedonius, Nestorius, etc., ut ea tantum nunc commemorem quae in confesso sunt apud omnes): a Romana cathedra ita fuerunt prostrata omnia haeresum monstra, ut Leo IX in epistola ad Michaelem Caeru-

(1) Id confirmare placet ex confessione auctoris Protestantis, qui dein veritate convictus, ad catholicae Ecclesiae gremium accessit : « Portez vos regards en arrière, remontez d'une époque quelconque à d'autres temps, et voyez comment l'institution de la papauté a survécu à toutes les autres institutions en Europe ; comment dans les variations sans fin de la puissance humaine, elle seule est demeurée invariable et a conservé et retenu le même esprit. Serez-vous surpris que plusieurs la regardent comme le roc qui s'élève inébranlable au-dessus des vagues orageuses du temps ? ». Et rursus : « L'origine, le développement, l'étendue et l'influence (du pouvoir pontifical), forment le spectacle le plus remarquable de l'histoire du monde ». Hurter, vie du Pape Innocent III, apud Migne, Dém. Ev. Tom. 15, col. 938.

larium, tamquam de re notoria loquens, scribere non dubitaverit : « Nonne a Romana Ecclesia... reprobata et convicta atque expu-« gnata omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide « Petri quae hactenus non defecit nec usque in finem deficiet, « sunt confirmata ? ».

Tertium indicium est, quia omnis ecclesia quae a Romana communione sese separavit, fato insuperabili atque lege invariabili inventa est, vel in dies dissolvi, vel in quodam lethargiae statu languescere, omnibus vero modis in probrosam semper incidere servitutem, mancipium Caesaris effecta. Quippe aiebat Cyprianus : Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit ; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit ; a fonte praecide rivum, praecisus arescit.

Quartum denique indicium est, quia praeter Romanam sedem nullum aliud invenitur aut inventum est unquam universale centrum religionis. Et iam suo tempore testabatur Hieronymus qualiter ex toto terrarum orbe consultationes mittebantur ad Sedem apostolicam, et ab ea velut ab oraculo responsa petebantur : *Ante annos plurimos,* inquit epist. 123, n. 10, *cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae urbis episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.* Sed et nihil sane usque nunc in hac parte immutatum. Nam usque nunc, quidquid vere in christianismo viget, viget in huius Sedis communione et dependentia. Usque nunc, totius splendor religionis nihil aliud esse videtur quam luminis eius irradiatio. Usque nunc, forma cultus, leges et canones, fidei symbola, omnia ab ea derivant cum plena obedientia. Quis haec considerans non ibi agnoscet petram Ecclesiae quam designabat Christus ? Caput unum sive originem unam de qua eleganter Cyprianus : « Ecclesia Do-« mini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit. Unum « tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis « separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis « extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum ta-« men caput, et origo una, et una mater fecunditatis successibus « copiosa ».

Sic ergo certissimis argumentis efficitur, successionem Petri esse penes Romanos episcopos, adeoque ad Romanam sedem applicari de facto institutionem Christi initiatam in persona principis apostolorum. Quo semel posito, iam demonstratum manet,

fide divina esse credendum quod Romanus Pontifex iure divino plenitudinem potestatis habet super universam Ecclesiam. Sed nondum innotuit an devolutio successionis Petri ad eumdem Romanum Pontificem sit pura et simplex veritas facti, vel divinae etiam fidei dogma. Et hoc superest ut adstruamus.

§ 2.

Plane autem dicendum quod non est tantum veritas facti, verum etiam fidei dogma solemniter ab Ecclesia definitum. Certe Concilium Florentinum duo sancivit tanquam de fide : primo quod Romanus episcopus in universum orbem tenet primatum, deinde quod ipse Pontifex Romanus successor est beati Petri : « Diffini- « mus, inquit, sanctam apostolicam sedem et Romanum Pontifi- « cem in universum orbem tenere primatum, *et ipsum Pontificem « Romanum successorem esse Beati Petri principis apostolorum* ». Similiter Vaticanum, Sess. IV, cap. 2 : « Si quis ergo dixerit, « non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu iure divino, « ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat « perpetuos successores, *aut Romanum Pontificem non esse Beati « Petri in eodem primatu successorem, anathema sit* ». Ergo fide divina catholica credibilis et credenda est, non modo veritas primatus Romanae Sedis, verum etiam veritas alia quae se habet ut praerequisita conditio, id est veritas devolutionis sive applicationis haereditatis Petri ad Sedem praedictam.

At si haec quoque veritas, veritas fidei est, oportet ut fuerit a Deo revelata, et statim occurrit quaestio, ubinam contineatur eiusmodi revelatio. Quidam dicunt consequenter ad sua principia de obiecto fidei divinae, veritatem hanc tunc primum evasisse revelatam quando primum fuit ab Ecclesia definita, quia ex tunc coepit contineri formaliter implicite in propositione universali revelata : quidquid ab infallibili Ecclesiae magisterio credendum proponitur, est verum. Sed haec opinio cum suis fundamentis iam fuit satis confutata, cum de potestate magisterii agebatur. Vide ea quae ibi dicta sunt [1].

Alii ergo existimant revelatam esse praesentem veritatem in scriptura evangelica, Matth. XVI-18 et Ioan. XXI-17 ; plurimas-

[1] Thes. 18, § 2.

que congerunt considerationes ut hoc ipsum persuadeant (1). Sed hoc videtur difficile, quia in ea scriptura revelatur quidem perpetuitas successionis in primatu, ut dictum est supra, Thes. 25 § 3; nihil tamen invenitur quod explicite aut implicite determinet concretam sedem in qua haec successio erat reponenda. Nec dicas quod per facta posteriora innotuit Christum locutum esse de Romano episcopo, cum dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Nam aliud omnino est, quod facta posteriora ostenderint *quis nunc sit* successor Petri cui verba evangelica applicantur; aliud vero est, quod facta posteriora ostenderint etiam *quis fuerit a Christo revelatus* tanquam futurus ille successor. Et primum quidem veritatem habet, estque de se sufficiens ut possimus et debeamus credere Romanum Pontificem, utpote verificantem in se rationem successoris Petri, esse Ecclesiae petram, et clavigerum regni, et confirmatorem fratrum, et totius ovilis pastorem. At secundum videtur falsum, et nulla verosimili ratione firmatur. Non ergo est fide divina credibile vi evangelicae sententiae, quod Romanus episcopus sit per identitatem ille de quo loquebatur Christus, id est successor Petri in primatu, sed hoc remanebat aliunde accipiendum.

Restat itaque ut dicamus proprium locum huius dogmatis esse traditionem. Dico autem traditionem divinam, et non pure historicam vel ecclesiasticam, quatenus testimonia Patrum circa coniunctionem primatus cum Sede Romana sunt de re revelata apostolis per Spiritum Sanctum, quae deinde quasi per manus tradita, et continua successione in Ecclesia catholica conservata, ad nos usque transmissa pervenit. Et hoc interim manifestat satis vel ipsa Ecclesiae definitio, quia non potuisset Ecclesia definire tanquam veritatem de fide, Romanum Pontificem esse successorem Petri, nisi in traditione antiqua de Sancta Sede Romana agnovisset characteres traditionis non solum historicae, sed etiam vere divinae.

Caeterum, praeter Ecclesiae auctoritatem, theologica quoque ratio nobis praesto est, quia quidquid in traditione proponitur tanquam a Deo institutum, eo ipso proponitur tanquam a Deo revelatum. Sed in traditione Patrum applicatio haereditatis Pe-

(1) Franzelin, de Eccles. Thes. 12, n. 3, post Suarez in Defens. fid. l. 3, c. 13.

tri ad Romanam sedem proponitur tanquam a Deo ipso sancita atque ordinata. Ergo haec traditio revelatam veritatem refert, et hac de causa legitimum fuit ecclesiastico magisterio dogmaticae definitionis fundamentum. In hoc porro argumento maior est per se nota, quia etsi possit esse revelatum id quod de iure divino non est, tamen e converso, nihil apud nos de iure divino positivo esse potest, quod revelatum non sit. Minor vero apparebit ex iam dicendis pro declaratione tertiae partis huius propositionis, ad quam statim accedo.

§ 3.

Sane vero, quisquis relegerit testimonia traditionis quae fuerunt superius relata in secundo, tertio, et quarto argumento, videbit ea esse de primatu Romanae Sedis tanquam de re penitus immobili et nulli potestati humanae obnoxia. Absolute enim testantur Patres hanc sedem esse sedem ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam, sedem cuius communio est tessera verae religionis, et dos cum qua infallibiliter connectuntur caeterae omnes verae Ecclesiae dotes, sedem quae rationem habet radicis et matricis Ecclesiae catholicae, a qua in omnes venerandae communionis iura dimanant, sedem quam non vincunt superbae inferorum portae, sedem a Deo collatam Petro ut in ea unitas servaretur ab omnibus, etc. Absolute, inquam, haec attestantur Patres secundum totam vim atque amplitudinem terminorum, nulla usquam insinuata restrictione ad eum rerum statum qui contingenter tantum in Ecclesia hactenus viguisset, nulla quoque vel longinqua allusione facta ad possibilitatem mutationis. Et de mutando quidem ordine aliarum sedium saepe actum est, praesertim in causa ecclesiae Constantinopolitanae, cuius expetita ad gradum patriarchalem promotio convellebat provincialium iura primatuum (1), quin imo in tertio reponebat loco sedem Alexandrinam, Antiochenam in quarto (2). Porro, etsi a S. Leone et proximis eius successoribus constanter denegata sit haec mutatio, non ideo certe, quia pontifices eam habebant tanquam excedentem limites apostolicae potestatis, sed quia praeter alia motiva,

(1) Leo, epist. 106 ad Anatolium episcopum CP., c. 5.
(2) Id., ibid.

aestimabant non adesse pro tunc rationem sufficientem quae *licitam* redderet perturbationem pacis ecclesiarum per abrogationem antiquae regulae, decreto etiam Nicaeni Concilii solemniter confirmatae (1). Ratum itaque fixumque erat, tum apud Patres Chalcedonenses tum apud Pontificem ipsum, praerogativas caeterarum sedium esse simpliciter de iure ecclesiastico, et pro tanto posse transferri, minui, augeri, et vel ex parte vel ex toto aboleri. At, quod attinet ad disiunctionem haereditatis Petri a Sede Romana, non solum nunquam fuit mota quaestio de translatione facienda, sed ne unum quidem vestigium invenire est cuiuscumque suspicionis de hypothetica eius possibilitate. Signum igitur est quod testimonia traditionis circa devolutionem ecclesiasticae monarchiae ad Romanam sedem sunt omnino accipienda sicut revera sonant, videlicet ut attestantia absolutam veritatem et constitutionem undequaque immobilem. Immobilis autem constitutio non esset nisi esset institutio de iure divino, quia id quod propria auctoritate Petri fuisset introductum, eadem auctoritate quae plena atque integra ad successores transivit, posset abrogari. Ergo sensui antiquae traditionis fideliter inhaerendo, dicendum plane quod non humana, sed divina dispositione apostolis revelata, ordinatum fuit ut iura primatus Beato Petro collati ad Romanam Sedem devolverentur, ita scilicet ut non solum repugnet, *alicuius concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto Summum Pontificem ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque urbem transferri* (2), verum etiam repugnet id fieri lege et decreto ipsius supremi Pontificis.

Equidem haec conclusio quae in traditione maiorum implicite continetur, nondum fuit ab Ecclesia expresse definita; sed est definibilis, imo cum definitionibus iam exsistentibus tam intime connexa, ut ab eis vix differre videatur. Dicit Florentinum: *Diffinimus ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri.*

(1) « Rescribens itaque ad epistolas tuas, pro ea qua diligo affe-« ctione, te moneo ut maior apud te sit universalis Ecclesiae status, sa-« luberrima olim et vera ordinatione munitus, quam ut in cuiusquam gra-« tiam et a me velis postulare, quae sine reatu utriusque nostrum, nec « mihi concedere, nec tibi liceat obtinere ». S. Leo, epist. 107 ad Iulianum Coensem episcopum.

(2) Propositio damnata in *Syllabo*, n. 35.

Dicit Vaticanum : *Si quis dixerit R. P. non esse B. Petri in primatu successorem, anathema sit.* Sed si possibile esset ut per quamcumque causam Summus Pontifex ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferretur, definitiones istae, ut veritatem haberent, sic deberent intelligi : Diffinimus R. P. successorem esse B. Petri, quamdiu scilicet manebit successionis ratio quae usque nunc viguit, vel donec circa Petri successionem nova aliqua interveniat ordinatio, vel usquedum mutetur praesens rerum status et conditio. Atqui huiusmodi limitatio, praeterquam quod gratis effingitur, apparet positive excludenda. Primo quia debuisset explicite et signanter exprimi, ne canones fidei in suo sensu maxime obvio et naturali evadere possent aliquando falsi. Secundo quia nedum subaudiatur, rèmovetur potius a Vaticanis Patribus cum praemittunt, saeculis omnibus notum esse quod sanctus beatissimusque Petrus claves regni accepit : « Qui ad hoc usque tempus *et semper,* in suis succes- « soribus episcopis S. Romanae Sedis vivit et praesidet. Unde « *quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi* « *ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam ob-* « *tinet* » [1]. Ubi apparet statui nexum necessarium et perpetuum inter successionem in cathedra Romana et successionem in primatu. Utitur enim Concilium terminis universalibus, *semper, quicumque,* adeo ut purificata conditione successionis in cathedra, eo ipso necesse sit haberi successionem in primatu. Uno denique verbo : « Supponamus primatum a Sede Romana Petri transla- « tum et iam coniunctum sedi alteri, Neapolitanae, Parisiensi, « Coloniensi. Ergo pro illa supposita futura aetate non erit am- « plius verum quod definitum est, et usque ad illud tempus ab « omnibus fide catholica credendum erat : *ipsum Pontificem Ro-* « *manum successorem esse* (non solum fuisse aliquando) *B. Petri* « *principis apostolorum, totiusque Ecclesiae caput.* Ac propterea « tum temporis non erit anathema, *qui dixerit Romanum Ponti-* « *ficem non esse B. Petri in primatu successorem.* Nec amplius « profitendum erit, *Ecclesiam Romanam disponente Domino, super* « *omnes alias ordinariae potestatis obtinere* (non solum obtinuisse) « *principatum ;* hancque non esse aliam quam *Romani Pontificis* « *iurisdictionis potestatem, erga quam pastores atque fideles tum*

[1] Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 2.

« *seorsum singuli tum simul omnes obstringuntur.* Erit mutandum « quod eousque propositum erat credendum in professione Lu- « gdunensi et Tridentina : *Ipsa sancta Romana Ecclesia summum « et plenum primatum super universam Ecclesiam catholicam ob- « tinet. Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et ma- « gistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri apostolorum « principis successori ac I. C. vicario veram obedientiam spondeo « ac iuro.* In summa, vera Ecclesia Iesu Christi non erit amplius « Ecclesia Romana catholica, sed Ecclesia Neapolitana vel Pari- « siensis catholica. Absurditas ipsa horum consectariorum catho- « licis auribus intolerabilis, quae tamen omnia in illa supposi- « tione translatae sedis necessario continentur, demonstrat in- « commutabilitatem obiecti quod in definitionibus et professionibus « fidei credendum proponitur (1).

Caeterum duobus adhuc modis intelligi potest fuisse iure divino sancitam, adeoque immobilem effectam coniunctionem primatus cum Sede Romana. Vel iure divino antecedente, quatenus lex divina Petro revelata indixisset ei necessitatem suscipiendi Romanum episcopatum ut primatus in eo perpetuo subsisteret. Vel iure divino consequente, quatenus per revelatam divinam legem fuisset duntaxat ordinatum ut quidquid tandem Petrus determinaret quoad conditiones successionis, id firmum ratumque remaneret, inviolabiliter in finem usque retinendum. Ex his duobus modis prior sane magis arridet, quia apparet magis connaturalis, sed ab omni interim determinatione in hac parte abstinere visum est. Neque enim in hoc reponitur quaestionis momentum, sed solum in omnimoda sedis primatialis immobilitate sive fixitate, quae quidem ex tanta convenientia exigebatur, ut non immerito convenientiam diceres absolutae necessitatis fines fere attingere.

Considerandum enim, quot et quantis perturbationibus originem daret omnis mutatio in sede supremi regiminis. Considerandum praesertim quid distet inter regimen ecclesiaticum et regimen civile. Nam in civilibus auctoritas non est necessario ex traduce, quia destructo quolibet gubernio, novum de integro semper instaurari potest, eiusdem legitimitatis cum praecedente, etiamsi cum eo nullam continuitatem habeat, nullamque paren-

(1) Franzelin, de ecclesia, Thes. 12, § 3.

telae connexionem. Et ratio patet ex dictis superius, Quaest. 12. de formis politici principatus. Sed in societate supernaturali non habetur legitima potestas praeter eam quae a Christo primum collata, continuatur et perseverat usque nunc sibi ipsi identica, instar haereditatis per manus veluti transmissae a maioribus in successores. Et haec potestatis continuatio, alio nomine vocatur apostolicitas regiminis. Ex disputatis autem ubi de Ecclesiae monarchia, constat quod principium et fons apostolicae potestatis non est nisi in pontificibus successoribus Petri, a quibus in alios cunctos antistites venerandae communionis iura dimanant. Ad hoc igitur ut in Ecclesia apostolicitas regiminis in lumine solis semper splendesceret, semperque esset in signum levatum super tot tamque multiplices sectas quae segregaverunt semetipsas et a semetipsis inceperunt, oportuit ut in finem usque, maxime conspicua appareret successio principalis sive successio Petri, qua ablata perit ipso facto praedicta ministerii apostolicitas, et qua habita, ipso facto de integro tenetur, ut demonstratum est. Ergo etiam oportuit ut possessio unius sedis a Petro initiatae esset invariabilis atque immutabilis titulus ad Petri successionem, quia hic est maxime connaturalis modus quo apud homines successio innotescit, et continuata haereditatis transmissio : dum scilicet ascendendo ab eo qui nunc praeest, ad eos qui ante illum eamdem cathedram tenuerunt, idemque in ea gesserunt munus, pervenitur tandem ad eum primum quem Christus ipse constituit in potestate.

Et hac immobili constitutione semel supposita, semper verum erit quod aiebat Cyprianus, de unitate Ecclesiae, n. 4 : *Tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Semper enim aderit breve illud demonstrationis catholicae compendium, in Romanorum episcoporum successione fundatum, quo utebatur Irenaeus l. 3, c. 3, et Optatus l. 2 de schism. c. 2, et Augustinus in Psalmo contra partem Donati. Quin imo brevis illa et semper invariata demonstratio, tanto in dies evadet illustrior, quanto plura transierint saecula, et longior pontificum series, tot inter mundi vicissitudines, indisrupta conspicietur. Haec demonstratio est quae in ingressu Basilicae S. Pauli extra muros, splendore veritatis percellit etiam

lippientes oculos. Huic demonstrationi innixi, non egemus commendatitiis litteris ad omnem conscientiam hominum, sed fidenter illud apostolicum assumimus : *Pro Christo legatione fungimur* (1) ; et iterum : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (2). Una enim apostolica Sedes est immobiliter constituta, quae a Christo immediate suam habet potestatem ; a qua una, apostolicitas sive missio legitima in totum corpus Ecclesiae ei adhaerentis, per omnes hierarchiae gradus refunditur. At contra, quibuscumque sectarum ministris iure meritoque diceres : Qui estis vos ? unde venitis ? in qua potestate ministerium exercere praesumitis ? Quis misit, quis munus demandavit ? Ubi sunt tituli, ubi legationis testimonium, ubi commendatitiae litterae ? *Vestrae cathedrae,* aiebat Optatus, *vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.*

COROLLARIUM I.

Romanus episcopatus et supremus pontificatus non sunt duo episcopatus in actu, sed potentia tantum, hoc sensu scilicet quod potuissent esse duo.

Ratio patet ex praemissis tum in praecedenti propositione, tum in quaestione de Ecclesiae monarchia. — Et primum suppono ut per se notum, quod supremus pontificatus et particularis episcopatus urbis Romae potuissent esse realiter separati, et ab invicem disiuncti. Si autem absolute potuissent dividi, utpote diversis functionibus respondentes, virtualiter saltem et potentia duo episcopatus sunt. Tota igitur quaestio in hoc est, utrum sint duo, etiam in actu. Et dicendum quod non sunt duo, sed unum. Etenim duo episcopatus qui actu tales exsistant, sunt duae iurisdictiones distinctae quae simul sumptae faciunt vel plus potestatis, vel certe plus potestatum.

Atqui in primis, episcopatus Romanus simul cum summo pontificatu non ponit *plus potestatis* quam summus pontificatus solus. Nam summus pontificatus ponit plenitudinem ecclesiasticae potestatis, et quilibet episcopatus particularis ratione sui non ponit nisi participationem plenitudinis. Sed perfectionis plenitudo

(1) I Cor. V-20.
(2) Cor. IV-1.

et perfectionis participatio nunquam faciunt plus perfectionis, sicut Deus et creaturae non faciunt plus entis. Si ergo non plus est potestatis in Pontifice et episcopis totius orbis simul, quam in solo seorsum Pontifice, a fortiori plus potestatis non facient pontificatus supremus et solus particularis episcopatus urbis Romae. — At neque etiam faciunt *plus potestatum.* Nam etsi in distinctis subiectis papatus et episcopatus particularis sint plures potestates, sicut etiam plura entia sunt Deus et creatura, non tamen plures potestates esse possunt si supponantur in eodem subiecto. Et ratio est quia pontificatus supremus importat potestatem vere episcopalem atque immediatam in universam Dei Ecclesiam, ut infra demonstrabitur. Impossibile autem est ut *in una eademque persona,* praeter iurisdictionem immediatam in totum ovile Christi, adsit alia numero iurisdictio in particularem gregem, quantumvis subordinato ordinario carentem ; non enim esset unde ab illa priori distingueretur. Omnis ergo episcopatus quem forte sibi Papa adiunget, non poterit esse nisi unum actu cum pontificali potestate. Sed quoad alium quemvis episcopatum, coniunctio eiusmodi non esset nisi contingens et ad placitum Pontificis. Nunc autem ipso iure divino, ut ostensum est, cum episcopatu Romano coniunctus fuit episcopatus universalis Ecclesiae. Immobiliter ergo et in perpetuum sunt *actu* episcopatus unus ([1]).

Ex hac autem coniunctione episcopatus Romani cum pontificatu Ecclesiae universae, videtur consequi indefectibilitas *Romanae particularis ecclesiae.* Non enim intelligitur Romanus episcopus cui plebs Romana non adhaereret. Unde si Romanus episcopus semper futurus est caput Ecclesiae catholicae, semper quoque in urbe Roma futura est plebs catholica. « Ecclesia Ro« mana, inquit Bellarminus l. 4 de Rom. Pont. c. 4, id est, po« pulus et clerus Romanus non potest errare errore personali, « ita ut omnes omnino errent, et nulli sint in Romana Ecclesia « fideles et Pontifici adhaerentes. Tametsi enim unusquisque « seorsim errare potest, tamen id fieri non potest, ut omnes er« rent simul, et tota Romana Ecclesia apostatica efficiatur ». Et infra: « Sixtus IV primum per Synodum Complutensem, deinde

([1]) Cf. Caietanum, Tract. 3 de Rom. Pontif. institutione, c. 13 ; Bellarminum l. 2 de Rom. Pont. c. 12, etc.

« etiam per se damnavit articulos Petri cuiusdam Oxoniensis, « quorum articulorum unus erat, Ecclesiam urbis Romae errare « posse. Et quanquam haec intelligi debere videntur praecipue « ratione Pontificis, tamen quia Ecclesia Romana non est solus « Pontifex, sed Pontifex et populus, ideo cum dicunt Patres aut « Pontifices, Romanam ecclesiam non posse errare, dicere volunt, « in Romana ecclesia semper futurum episcopum catholice do- « centem, et populum catholice sentientem ».

COROLLARIUM II.

Sedes Romana est sedes Petri, non autem coniunctim Petri et Pauli; nec Paulus aliquid contulit quantum ad ius potestatis, sed solum quantum ad nobilitatem originis.

Paulum non fuisse episcopum Romae, ex multis apparet. Primo quia iam erat fundata Romana sedes et ecclesia, antequam Paulus Romam adveniret, ut aperte colligitur ex iis quae dicit ipsemet, Rom. I, 8-15. Secundo quia martyrio coronatus est simul cum Petro, qui usque ad mortem Romanam cathedram tenuit. Tertio quia totius traditionis unanimis vox est, quod in una cathedra, non duo simul episcopi, sed unus tantum praeesse potest. Quarto quia in monumentis antiquitatis, episcopalis sedes urbis Romae ubique vocatur sedes Petri, cathedra Petro collata, cathedra in qua Petrus ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et praesidet et iudicium exercet, cathedra in qua per Leonem, per Agathonem loquebatur, atque ita porro. Et ne unum quidem documentum invenire est in quo dicta sit cathedra vel sedes Pauli.

Si quando igitur coniungatur Petro in episcopatu Romano, ut apud Irenaeum l. 3, c. 3, et Epiphanium, Haer. 27, n. 6, id eo sensu accipiendum est quo *coadiutor episcopi* simul cum episcopo potest recenseri, maxime si primo episcopo in ipsa sedis fundatione adlaboraverit, et eiusdem sedis illustrationi plurimum contulerit. Et sic est in praesenti, quia oportebat Romanam cathedram eminere non solum iure potestatis, verum etiam splendore ac nobilitate originis. Eminet autem nobilitate originis, quatenus in sui initio consecrata est sudoribus et sanguine duorum apostolorum, quorum alter fuit specialis apostolus Iudaeorum,

alter specialis apostolus Gentium (1), quique ambo simul compendiaverunt in se magnum illud apostolatus charisma, quod ad primam Ecclesiae plantationem, ut dictum est supra (2), ordinabatur. At potestas primatus ex unius Petri haereditate est.

Hinc Leo Magnus, Serm. in natali apostolorum Petri et Pauli, c. 1 : « Isti sunt viri per quos tibi evangelium Christi, « Roma, resplenduit... Isti sunt sancti patres tui verique pa- « stores, qui te regnis coelestibus inserendam multo melius mul- « toque felicius condiderunt quam illi quorum studio prima « moenium tuorum fundamenta locata sunt... Isti sunt qui te ad « hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, « civitas sacerdotalis et regia per sacram Beati Petri sedem « caput orbis effecta, latius praesideres religione divina quam « dominatione terrena ». Ubi vides quod licet sanctos Petrum et Paulum *patres et pastores* Romanae urbis Leo dixerit paulo ante, *sedem* tamen episcopalem uni Petro tribuit, ac per eam *caput orbis* Romam effectam tradit, cuius sedis causa praesidet universo orbi potestate primatus. — Et eadem quoque observatio facienda occurrit circa decretum Gelasii de canonicis scripturis: « Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris « ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris « primatum habuit: Tu es Petrus, inquientis, et super hanc pe- « tram aedificabo Ecclesiam meam... Addita est etiam societas « beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, « sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die « gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cesare Nerone « agonizans coronatus est, et pariter supradictam sanctam Ro- « manam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omni- « bus urbibus in universo mundo sua praesentia atque vene- « rando triumpho praetulerunt. Est ergo prima Petri apostoli « sedes, Romana ecclesia, non habens maculam neque rugam, « neque aliquid huiusmodi » (3).

(1) « Creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro cir- « cumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumci- « sionis, operatus est et mihi inter Gentes ». Gal. II-7.

(2) Supra, Thes, 26, § 1.

(3) Rem totam egregie exponit Bossuet in sermone de unitate Ecclesiae : « Mais pourquoi voyons-nous ici l'apôtre saint Paul ? Le mys- « tère en serait long à déduire. Souvenez-vous seulement du grand

COROLLARIUM III.

Si sermo sit de personis quae primatu decorantur, non una est Petri et successorum eius conditio, pro quanto Petrus fuit personaliter a Christo electus, et nulla mediante designatione humana, primatu insignitus: successores vero investituram potestatis iure divino non obtinent, nisi praesupposita designatione personae in Romanum episcopum per electionem canonicam.

Horum ratio in promptu est, quia coniunctio supremae potestatis cum persona Petri omnibus modis fuit a Christo. Sed

« partage où l'univers fut comme divisé entre Pierre et Paul, où Pierre « chargé du tout en général par sa primauté, et par un ordre exprès « chargé des Gentils qu'il avait reçus en la personne de Cornélius le « Centurion, ne laisse pas, pour faciliter la prédication, de se charger « du soin spécial des Juifs, comme Paul se chargea du soin spécial des « Gentils. Puisqu'il fallait partager, il fallait que le premier eût les aînés, « que le chef à qui tout se devait unir, eût le peuple sur lequel le « reste devait être enté, et que le vicaire de J. C. eût le partage de « J. C. même. Mais ce n'est pas encore assez, et il faut que Rome « revienne au partage de saint Pierre; car encore que, comme chef « de la gentilité, elle fût plus que toutes les autres villes comprise dans « le partage de l'apôtre des Gentils, comme chef de la chrétienté, il « faut que Pierre y fonde l'Eglise. Ce n'est pas tout. Il faut que la com- « mission extraordinaire de Paul expire avec lui à Rome, et que réunie « à jamais, pour ainsi parler, à la chaire suprême de Pierre à laquelle « elle était subordonnée, elle élève l'Eglise Romaine au comble de l'auto- « rité et de la gloire. Disons encore: Quoique ces deux frères, St. Pierre « et St. Paul, nouveaux fondateurs de Rome, plus heureux comme plus « unis que ses deux premiers fondateurs, doivent consacrer ensemble « l'Eglise Romaine; quelque grand que soit saint Paul en science, en « dons spirituels, en charité, en courage; encore qu'il ait travaillé plus « que tous les autres apôtres, et qu'il paraisse étonné lui-même de ses « grandes révélations et de l'excès de ses lumières, il faut que la pa- « role de J. C. prévale: Rome ne sera pas la chaire de saint Paul, « mais la chaire de saint Pierre; c'est sous ce titre qu'elle sera plus « assurément que jamais le chef du monde; et qui ne sait ce qu'a « chanté le grand saint Prosper, il y a plus de 1200 ans: *Rome le siège « de Pierre, devenue sous ce titre le chef de l'ordre pastoral dans tout l'uni- « vers, s'assujettit par la religion ce qu'elle n'a pu subjuguer par les armes* ».

quoad successores, a Christo non est potestatis coniunctio cum singularibus personis praecise in quantum hae singulares personae sunt, sed solum in quantum sunt personae quibus accessit legitima electio ad Romanum episcopatum sive ad Petri successionem. Et haec electio quae necessario praesupponitur ut persona electa fiat vi evangelicae institutionis petra Ecclesiae, et claviger regni coelorum, et pastor agnorum atque ovium: haec, inquam, electio ab hominibus est, et iure ecclesiastico regulatur.

Propterea, subiectum quod ad mare Tiberiadis *iure divino* accepit praefecturam totius Ecclesiae, fuit persona Simonis filii Ioannis seu Ionae in quantum erat haec singularis persona. At subiectum quod in conclavi *iure pariter divino* recipit primatum, non est haec vel illa singularis persona nude sumpta, sed haec vel illa prout facta legitima per canonicam designationem electorum et voluntariam electionis acceptationem.

Hinc statim suboritur quaestio de legitimitate personae Pontificis successoris Petri: a quibus conditionibus dependeat, an sit penitus inammissibilis vel non, qua demum ratione infallibiliter innotescat. Et ad horum dubiorum elucidationem sequens statuitur propositio.

THESIS XXIX.

Cum titulus ad successionem Petri in primatu totius Ecclesiae sit legitima in Romanum episcopum electio, prae primis tenendum est conditiones huius electionis a solo iure pontificio, regulariter saltem loquendo, dependere. — Insuper, in persona rite electa et semel pontificatu aucta, pontificia potestas cessare quidem potest per voluntariam abdicationem, sed minime per depositionem, imo nec quovis alio modo, si iuxta fundatissimam Bellarmini aliorumque theologorum sententiam, supponatur impossibilis casus Pontificis qui per haeresim notoriam desineret esse de Ecclesia. — Quidquid vero de possibilitate huius hypothesis adhuc sentias, id saltem necessario admittendum: pacificam universalis Ecclesiae adhaesionem fore semper infal-

libile signum legitimitatis personae Pontificis, adeoque et existentiae omnium conditionum quae ad legitimitatem ipsam sunt requisitae.

§ 1.

Quod legitima electio Pontificis a solo iure pontificio *de facto nunc* dependeat, facili atque obvio argumento demonstratur, quia lex regulans electionem fuit edicta per pontifices summos. Ergo quoadusque a Pontifice ipso abrogetur, in suo vigore manet, et non est aliqua potestas in Ecclesia, etiam sede vacante, per quam possit immutari. « Papa namque instituit ad quos spectet « electio, et mutat et limitat sic actum electionis, ut opposito « modo sit irritus. In Ecclesia autem seu Concilio non esse hanc « auctoritatem, secluso Papa, ex hoc patet quod tota Ecclesia « non potest auctoritative mutare legem factam a Papa: puta quod « electio non spectet ad Cardinales veros et indubitatos, quod « electus a minus quam duabus partibus Cardinalium sit papa. « Sed bene e converso Papa posset (hoc) statuere..., quia eiusdem « est destituere, cuius auctoritative est constituere in his quae « sunt iuris positivi » (1). Et ideo, si exempli gratia contigisset vacare sedem, durante Concilio Vaticano, non ad Patres Concilii spectasset legitima electio, sed ad solos consuetos electores, sicut etiam speciali bulla expresse providerat Pius IX.

Sola igitur esse potest quaestio *de possibili*, an scilicet ad aliquam auctoritatem praeter pontificiam, pertinere potuisset assignatio conditionum electionis. In quo quidem nullum movetur dubium de auctoritate concilii oecumenici quae a potestate pontificia minime contradistinguitur, cum de ratione oecumenicorum decretorum sit ut habeant confirmationem a Pontifice. Unde dubitatur tantum de aliqua alia auctoritate inferiori. Sed conclusio essè debet negativa, quia cum soli Petro datus sit primatus pro ipso et successoribus eius, ad illum solum, id est ad solum Summum Pontificem spectat determinare modum transmissionis haereditariae potestatis, adeoque et electionis per quam haec ipsa transmissio perficitur. Accedit praeterea quod omnis lex respiciens ordinem universalis Ecclesiae transcendit limites ex natura

(1) Caietanus, Tract. 1 de auctoritate Papae et Concilii, c. 13.

rei praefixos potestati non supremae. Sed ad ordinem universalis Ecclesiae spectat sine dubio electio summi antistitis. Ergo ex natura rei reservatur determinationi illius cui cura totius communitatis a Christo commissa est.

Et istae quidem conclusiones absque controversia valent pro statu ordinario ac regulari. Quaeritur vero quid iuris, si forte extraordinarius accideret casus in quo ad electionem Pontificis procedere oporteret, quin amplius possibile esset servare conditiones quas antecedens lex pontificia determinaverat, sicut plures contigisse existimant tempore magni schismatis in electione Martini V.

Porro, supposita semel talium occurrentia circumstantiarum, sine difficultate admittendum quod potestas electionis devolveretur ad concilium generale. Ex ipso enim iure naturali est, quod in eiusmodi casibus attributio potestatis superioris deveniat per devolutionis viam ad potestatem proxime sequentem, quantum praecise requiritur ut possit societas conservari et extremae necessitatis angustias evadere. « In casu autem ambiguitatis (quia nescitur si aliquis est verus Cardinalis....., « mortuo vel incerto Papa, ut tempore magni schismatis inchoati sub Urbano VI contigisse videtur), in Ecclesia Dei « esse potestatem applicativam papatus ad personam, servatis « debitis requisitionibus, asserendum est. Et tunc per viam devolutionis ad universalem Ecclesiam potestas haec devenire « videtur, tanquam non existentibus electoribus determinatis a « Papa » (1). Haec, inquam, sine difficultate intelliguntur, contingentia casus admissa. Sed utrum casus de facto unquam contigerit, alia omnino quaestio est. Quin imo, electionem Martini V, non ex propria auctoritate Concilii Constantiensis factam fuisse, sed ex facultatibus expresse concessis a legitimo Pontifice Gregorio XII, antequam papatui renuntiaret, nunc apud eruditos fere pro certo habetur (2), ita ut iure meritoque

(1) Caietanus, ubi supra.

(2) Legitimitas electionis Urbani VI videtur nunc undequaque explorata; et ex ea sequitur legitimitas successorum Urbani, id est Bonifacii IX, Innocentii VII, et Gregorii XII. Porro Gregorius XII de plenitudine potestatis constituit Synodum Constantiensem in verum ac legitimum Concilium *pro exstirpatione horrendorum schismatum et inte-*

dicat Cardinalis Franzelin: Esse scilicet « cur humili laude mi-
« remur Christi regis, sponsi et capitis Ecclesiae providentiam,
« qua ingentes illas turbas cupiditate et ignorantia hominum
« invectas ac sustentatas composuit. *salvis omnibus legibus;* de-
« monstrans clarissime, non ope humana, sed divina fidelitate
« in promissis et omnipotentia in gubernatione, niti indefectibi-
« litatem petrae in qua ipse aedificavit Ecclesiam suam, ut por-
« tae inferi non praevaleant adversus eam » (1).

Et haec quidem de electione personae Pontificis. At nunc quaeritur utrum possibile sit, personam rite electam et semel pontificatu auctam aliquando a pontificatu cessare, et quatenus affirmative, quanam ratione id contingere possit.

§ 2.

Triplex via excogitabilis est. Primo, libera Pontificis abdicatio. Secundo, depositio eius a Cardinalibus vel Concilio generali. Tertio, defectio eius ab Ecclesia trahens secum ex natura rei amissionem pontificatus, cum intrinsece repugnet

---

gra unione merito optanda et perficienda. Hanc Gregorii constitutionem legatus eius Cardinalis de Dominicis solemniter promulgavit in Sess. XIV: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Auctoritate « ipsius Domini Nostri Papae, quantum ad eumdem spectat... ut sub « diversorum professione pastorum dissidentes christiani in unitate « sanctae matris Ecclesiae et charitatis vinculo coniungantur, *istud « sacrum Concilium generale convoco, et omnia per ipsum agenda aucto-« rizzo et confirmo* iuxta modum et formam, prout in litteris Domini « Nostri Papae plenius continetur ». Tunc Synodus per impertitam sibi auctoritatem, in Sess. XVI decrevit modum et formam futurae electionis Romani Pontificis post S. Sedis vacationem, ipsi Concilio hac vice statuendam reservari. Accessit tandem in eadem Sess. XVI libera abdicatio Gregorii. Per hanc ergo renuntiationem Sedes Apostolica vere relicta est vacua, ac proinde Concilium ex facultatibus sibi a suprema Pontificis potestate attributis potuit legitime procedere, modo, forma, loco, tempore et materia per ipsum Concilium ordinatis, *ad canonicam et certam electionem unici futuri summi Pontificis*, eamque tandem post biennium in Martino V feliciter perfecit. — Ita Franzelin, de Ecclesia, Thes. XIII, in Scholio. Vide apud eumdem documenta.

(1) Franzelin, l. c.

ut qui desiit esse Ecclesiae membrum, adhuc Ecclesiae caput exsistat.

Porro, quod primo modo cessare possit in Petri successoribus pontificia potestas, omnino indubium est. Nam coniunctio pontificatus cum hac singulari persona non est de iure divino nisi praesupposita personae legitimitate, quae causam sui habet in electione humana. Effectus autem humanae electionis semper dependet a libero consensu seu acceptatione electi, et non minus dependet in secundo, tertio, et quarto instanti, quam in primo (1). Sicut ergo haec persona tunc primum incepit esse legitima, quando acceptavit electionem de se factam in Summum Pontificem, ita et desinit esse, statim ac per renuntiationem destruit in se electionis effectum. Et nota quod pontifex Petri successor, nec cum ipso Petro, nec cum quibuslibet aliis episcopis, eiusdem conditionis esse invenitur. Nam Petrus a Christo constitutus fuerat in potestate, nulla praesupposita electione hominum; unde videtur quod abdicare pontificatum non potuisset. Caeteri vero episcopi auctoritate Romani Pontificis assumuntur, ut habetur in Tridentino Sess. 23, can. 8, et ideo renuntiare quidem possunt, sed ita ut renuntiatio effectum non consequatur nisi postquam fuerit acceptata ab eo a quo sunt in partem sollicitudinis vocati. Solus papa Petri successor in ea speciali conditione est, ut et renuntiare possit, et renuntiatio valeat per semetipsam. Non enim superiores habebat aut habet eos a quibus electus est, neque potuit electio ei imponi ab electoribus per modum obligationis, sicut fit in capitulis generalibus quarumdam religionum iuxta proprias Ordinis constitutiones. Proinde, sicut non indigebat eorum consensu ad hoc ut per non acceptationem impediretur ab initio canonicus electionis effectus, ita nec eodem indiget ad hoc ut per renuntiationem nunc perimatur. Et quia sublato hoc effectu, tollitur conditio requisita

(1) De humana electione hic sermo est, quae nihil plus sit quam electio. Potest enim cogitari hypothesis in qua corpus electorum potestatem habet supra singulos eligibiles, et quidem in ordine ad imponendam electionem. Quo in casu, non nuda et simplex electio est, sed quae simul induat rationem mandati. Verum de tali electione nulla in praesenti quaestio esse potest, ut constat.

ad investituram iuris divini per quam designatus in Petri successorem, summas acceperat claves et pastoralem in totum gregem Christi potestatem, consequitur plane quod ipso abdicationis facto a pontificatu cessat. Hinc Bonifacius VIII in Sexto, l. 1, Tit. 7 de renuntiatione: « Quoniam aliqui..... in « dubitationem sollicitam, an Romanus Pontifex renuntiare « valeat papatui, eiusque oneri et honori, deducere minus « provide videbantur: Caelestinus Papa quintus praedecessor « noster, dum (universalis) Ecclesiae regimini praesidebat, « volens super hoc haesitationis cuiuslibet materiam amputare....., auctoritate apostolica statuit et decrevit: Romanum « Pontificem posse libere resignare. Nos igitur, ne statutum « huiusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eamdem in recidivam disceptationem ulterius deduci « contingat, ipsum inter constitutiones alias ad perpetuam rei « memoriam, de fratrum nostrorum consilio duximus redigendum ».

At quantum certum est, personam quae semel fuit pontificatu aucta, posse per liberam abdicationem a pontificatu ipso cessare, tantumdem pro indubitato tenendum, nequaquam id posse fieri per depositionem qua Pontifex ab Ecclesia vel quolibet collegio in Ecclesia exsistente, sua auctoritate privaretur. Et ratio generalis est, quia superior non deponitur ab inferiore. Papa autem est supra omnes et singulos in Ecclesia tam distributive quam collective sumptos, et non solum regulariter, verum etiam pro quocumque casu seu eventu, sicut iam constat ex dictis de monarchia ecclesiastica, et ex professo declarabitur infra, ubi de vi et ratione primatus. Quare opinio Gallicanorum in hac parte, eodem censu habendâ est ac opinio eorumdem de superioritate Concilii supra Papam, quae iam evasit, post definitiones Vaticanas, haeretica.

Nec dicas adhuc concipi depositionem, non quidem per directam ablationem pontificiae potestatis, (cum haec immediate a Deo sit, et habeat sub se omnem aliam potestatem in Ecclesia), sed per simplicem mutationem subiecti, pro quanto scilicet auferretur a persona Pontificis legitimitas quam induxit electio. Hoc enim multiplici ex capite repugnare agnoscitur. Primo quidem quia semper poneretur Pontifex obnoxius iudicio inferiorum, quod apertam involvit contradictionem. Se-

cundo quia praedicta personae immutatio non correlative opponitur electioni, sed est in alio ordine, nimirum in ordine actus iurisdictionalis et potestativi, et ideo non sequitur: si persona Pontificis potest ab hominibus designari, ergo ab iisdem potest legitimitate privari. Tertio quia Ecclesia vel collegium Ecclesiae non habet aliquem actum circa Pontificis personam praeter actum electionis; electione ergo canonice peracta, nihil agendum relinquitur quoadusque novae electioni locus detur, et novae electioni locus non est nisi consequenter ad vacationem sedis. Omnibus igitur modis de impossibilitate depositionis constat. Quid autem sentiendum sit de decretis Sessionis quartae et quintae Concilii Constantiensis, dicetur infra.

Duobus itaque in tuto iam positis tanquam extra omnem dubitationem exsistentibus, tertia tandem restat celebris quaestio de casu in quo Pontifex per apostasiam, schisma, vel haeresim deficeret ab Ecclesia. Per apostasiam quidem, ut si Papa fieret Turca. Per schisma, ut si cum Ecclesia catholica communicare iam nollet. Per haeresim, ut si profiteretur se personaliter non credere aliquod dogma hactenus sufficienter propositum et ab omnibus fidelibus christianis firma fide tenendum, puta divinitatem Christi, realem praesentiam eius in sacramento, immaculatam conceptionem Deiparae, aut si quid aliud huiusmodi. Verum ex tribus praedictis hypothesibus, duae priores adeo inverosimiles exsistunt, ut apud theologos vix ac ne vix quidem in considerationem veniant. Et ideo quaestio integra solet reduci ad casum papae qui fieret personali professione haereticus.

Hac igitur suppositione semel facta, concedunt omnes auferendum fore vinculum communionis et subiectionis, propter auctoritates divinas quae expresse iubent separationem ab haereticis, Tit. III-10, 2 Ioan. 10, etc. Sed aliqui cum Caietano volunt ut papa factus haereticus subsit potestati ministeriali Ecclesiae in ordine ad depositionem, dicuntque hanc esse unicam exceptionem in generali doctrina paulo supra asserta et declarata. Alii vero statuunt quod talis ipso suo facto a pontificatu excideret, ita ut ex parte Ecclesiae non esset locus depositioni, sed solum sententiae declaratoriae de vacatione sedis. « De « modo quo papa propter crimen haeresis deponitur, varia est

« opinio. Quidam dicunt quod hoc fit propter defectum subiecti. « Subiectum namque papatus dicunt esse hominem fidelem, ac « per hoc, sicut deficiente vita corporali per mortem, desinit « subiectum papatus, ita deficiente fide in illo homine qui est « papa, per haeresim desinit subiectum papatus. Fundatur haec « opinio super hoc, quod fides constituit viatorem in hoc quod « est esse membrum Ecclesiae Christi. Huic enim adiuncta alia « propositione, scilicet quod negatio prioris inducit negationem « posterioris in essentialiter ordinatis ordine causae formalis, « (quae patet inductive: si enim non est animal, non est homo, « et si non est color, non est albedo, et sic de aliis), subiun- « gunt: Sed esse membrum et esse caput, sunt sic essentialiter « ordinata, quod esse membrum est prius quam esse caput, « ut patet, quia caput oportet esse membrum, sed non e con- « verso; quod igitur non est membrum, non est caput. Et sic « homo carens fide, qualis est haereticus, non est membrum « Ecclesiae, igitur non est caput eiusdem, ac per hoc, cum « papa nihil aliud sit quam caput Ecclesiae, eo ipso quo fit « sine fide, fit non papa. Et hoc est quod sub aliis verbis ab « aliis dicitur, quod cum papa fit haereticus, ipso facto iure « divino quo fit distinctio fidelium ab infidelibus, est privatus « papatu. Et quando per Ecclesiam propterea deponitur, non « iudicatur neque deponitur Papa, sed qui iam iudicatus est, « et qui iam depositus est, dum propria voluntate translatus « est extra corpus Ecclesiae factus infidelis, declaratur iudica- « tus et depositus » ([1]).

Porro ex duobus dicendi modis hic posterior videtur unicam premere viam in qua certissima ecclesiasticae constitutionis principia adhuc illaesa servantur. Et facile apparebit perlegenti considerationes quas congerit Caietanus ut priorem persuadeat opinionem, frustra laborans in ostendendo quomodo tria haec possint stare simul, videlicet: *Quod papa factus haereticus non est ipso facto, divino aut humano iure depositus. Et quod papa manens papa, non habet superiorem in terris. Et quod papa, si a fide deviat, est nihilominus ab Ecclesia deponendus.* Sed contra est, quia si in casu haereseos potest papa adhuc manens papa ab Ecclesia deponi, unum de duobus necessario consequitur:

([1]) Caietanus, Tract. 1 de auct. Papae et Concilii, cap. 17.

quod depositio non arguit superioritatem deponentis respectu deponendi, vel quod papa manens papa habet revera pro aliquo saltem eventu superiorem in terris. Insuper, semel ac depositioni aperitur via, nulla amplius adest ratio sive ex natura rei sive ex iure positivo, cur depositionis possibilitas ad solum casum haereseos restringatur. Iam enim convelluntur omnia principia quibus repugnantia eius generaliter adstruitur, et nihil remanet nisi voluntaria regula cui arbitraria quoque adiungitur exceptio.

Caeterum, rationes ex quibus reiicit Caietanus modum dicendi suorum adversariorum vix alicuius ponderis sunt. « Monstratur, inquit, quod nec iure divino nec humano papa haereticus, est ipso facto privatus (pontificatu), tali ratione: Alii episcopi si sint haeretici, non sunt ipso facto privati iure divino aut humano; ergo nec papa. Sequela patet, quia papa non est deterioris conditionis quam alii episcopi. Assumptum probatur sic. Episcopus discredens contra fidem solo actu interiori est vere, proprie, et perfecte haereticus et non est privatus ipso facto. In hoc processu sunt duae propositiones. Prima est quod solo actu interiori constituatur perfecte haereticus, et haec est manifesta per se... Secunda autem probatur..., quia talis haereticus non est excommunicatus; non enim potest Ecclesia excommunicare quod non potest iudicare. Ergo multo minus est privatus iurisdictionis potestate quae est ab hominis commissione, etc. » (1). Ubi vides fundamentum Caietani esse unice in hoc quod ad haeresim sufficit actus interior, et quod ratione haeresis interioris nunquam iurisdictio amittitur. Sic enim procedit argumentum: Propter haeresim interiorem ac per se occultam non excidit episcopus a sua potestate; ergo nunquam episcopus factus haereticus, episcopali iurisdictione ipso facto privatur; ergo nec papa qui deterioris conditionis non est. At vero considerandum quod non agitur in praesenti de haeresi praecise in quantum peccatum est contra virtutem fidei in foro interno Dei et conscientiae, sed pure et simpliciter de haeresi quae vim habet praecidendi hominem a visibili corpore Ecclesiae, et directe opponitur exteriori professioni religionis catholicae. Eiusmodi autem haeresis

(1) Caietanus, ubi supra, cap. 19.

non est haeresis interior vel occulta, sed sola exterior et notoria, ut late expositum est in Quaest. 7, thes. 11, § 2. Non enim occulte discredens, sed aperte profitens se discredere ea quae fidelibus christianis catholica fide tenenda proponuntur, vinculum abrumpit quo ad visibilem societatis ecclesiasticae compaginem pertinebat, et ex consequenti amittit statim rationem membri cum omnibus titulis qui hanc rationem essentialiter praesupponunt. Facta ergo hypothesi papae qui fieret *notorie* haereticus, incunctanter concedendum est quod ipso facto amitteret pontificalem potestatem, *dum propria voluntate transferretur extra corpus Ecclesiae, factus infidelis,* sicut bene dicunt auctores quos immerito, ut videtur, confutat Caietanus.

Dixi, *facta hypothesi.* Sed quod hypothesis ipsa sit mera hypothesis, nunquam ad actum reducibilis, longe probabilius apparet, iuxta illud Luc. XXII-32: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Haec enim esse intelligenda de Petro eiusque in perpetuum successoribus, vox totius Traditionis est, et ex professo declarabitur infra, ubi de infallibili Romani Pontificis magisterio; interim vero tanquam certissimum assumitur. Nunc autem, etsi verba evangelica respiciant principaliter personam publicam docentis ex cathedra, ad personam quoque privatam pontificis, quod attinet ad praeservationem ab haeresi, necessitate quadam sese extendere dicenda sunt. Committitur enim pontifici ordinarium munus confirmandi caeteros in fide, et ad hoc ipsum impetratur ei a Christo qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, donum fidei indefectibilis. At cui, quaeso, impetratur? An personae abstractae et metaphysicae, an potius personae reali et viventi a qua esse debet confirmatio caeterorum? Aut forte dicetur indefectibilis esse fides in eo qui errare quidem non potest in determinando quid ab aliis credendum sit, adhuc tamen personaliter naufragium circa fidem pati potest? Et nota quod licet Pontifex in notoriam haeresim incidens, ipso facto a pontificatu excideret, nihilo tamen minus laberetur in haeresim prius natura quam amitteret potestatem, et ideo defectibilitas in fide semper componeretur cum munere confirmatoris fratrum, quod promissio Christi videtur omnino excludere. — Insuper, si spectata Dei providentia, fieri nequit ut Pontifex incidat in haeresim occultam vel mere internam, multo

minus in exteriorem et notoriam quae secum traheret inconvenientia longe longeque maiora. Atqui, quod Pontifex summus ut particularis persona haereticus esse non possit, etiam mere interne amittendo fidem, id prorsus requirit ordo divinitus institutus. « Nam Pontifex non solum non debet nec potest haeresim praedicare, sed etiam debet veritatem semper docere, et sine dubio id faciet, cum Dominus illi iusserit confirmare fratres suos. At quomodo, quaeso, confirmabit fratres in fide, et veram fidem semper praedicabit Pontifex haereticus? Potest quidem Deus ex corde haeretico extorquere verae fidei confessionem, sicut verba posuit quondam in ore asinae Balaam. At violentum erit, et non secundum morem providentiae Dei suaviter disponentis omnia » (1). — Denique, verificata hypothesi Pontificis qui fieret notorie haereticus, ad tot et tales angustias Ecclesia deveniret, ut vel a priori credibile sit, Deum nusquam id esse permissurum.

Neque aliquid probant auctoritates quae in contrarium opponuntur. Afferunt primo auctoritatem Innocentii III, Serm. 2 in consecratione Summi Pontificis, ubi de seipso loquens dicit: « In tantum fides mihi necessaria est ut cum de caeteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur possem ab Ecclesia iudicari ». At vero non adstruit Innocentius casum ut simpliciter possibilem, sed necessitatem fidei extollens, tantam illam esse ait, ut si per possibile vel impossibile Pontifex inveniretur in fide devius, iam subiaceret iudicio Ecclesiae ea ratione quae supra fuit declarata. Et est modus loquendi similis ei quem adhibet Apostolus, quando immobilem evangelii veritatem ostendere volens: *Licet nos,* inquit, *aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Praemiserat enim Innocentius: « Nisi ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere. Domino protestante: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Rogavit et impetravit, quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo fides apostolicae sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra

(1) Bellarminus. l. 4 de Rom. Pont. c. 6.

« semper et illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret « inconcussum ». Proinde auctoritas ista est potius contra adversarios, nisi dicant Innocentium ibi sibi velle, ut scilicet deesse aliquando possit quod Dominus impetravit Petro tanquam necessarium ad munus in quo eum instituebat.

Afferunt etiam auctoritatem Adriani II in allocutione tertia lecta in Concilio VIII, Act. 7 : « Romanum Pontificem de omnium « ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus ; de eo vero quem- « quam iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orienta- « libus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est « quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum « est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel pravos « sensus libere respuendi. Quamvis et ibi nec patriarcharum nec « caeterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit pro- « ferendi sententiam, nisi eiusdem primae sedis Pontificis con- « sensus praecessisset auctoritas ». Sed haec, quid ad rem, cum constet Honorium nequaquam in haeresim incidisse, sed negative tantum eidem favisse, non utendo suprema auctoritate ad nascentem errorem exstirpandum, et hoc sensu dici *super haeresi accusatum?* Unde et in eodem Concilio VIII, Act. 1, subscripta fuerat formula ab eodem Adriano missa, in qua, nulla restrictione apposita, sic legebatur : « Quia in sede apostolica est « semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina ». Si autem sensus Adriani non est, quod Honorius inciderit in haeresim, frustra sunt qui auctoritate illa utuntur ut persuadeant Romanum Pontificem haereticum fieri posse.

Ultimo profertur locus iuris canonici, Dist. 40, can. 6 *Si papa :* « Huius (papae) culpas istic redarguere praesumit mortalium « nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine est iudicandus, « nisi deprehendatur a fide devius ». At prae primis observandum, haec desumi ex decreto Gratiani, cui nulla inest auctoritas praeter auctoritatem intrinsecam documentorum quae in eo collecta inveniuntur. Insuper, documenta illa inaequalis esse valoris, partim quidem authentica et partim apocrypha, nemo sane est qui negaverit. Denique, praecitatum canonem sub nomine Bonifacii martyris insertum inter apocrypha recensendum esse, plus quam verosimile est. Caeterum, adhuc respondet Bellarminus : « Canones illos non velle dicere Pontificem ut privatam perso- « nam posse errare (haereticaliter), sed tantum non posse Pon-

« tificem iudicari. Quia tamen non est omnino certum an possit « necne esse haereticus Pontifex, ideo ad maiorem cautelam ad- « dunt conditionem, nisi fiat haereticus » (1).

§ 3.

Sed quidquid demum de possibilitate vel impossibilitate praefatae hypothesis adhuc sentias, id saltem veluti penitus inconcussum et extra omnem dubitationem positum firmiter tenendum est: adhaesionem universalis Ecclesiae fore semper ex se sola infallibile signum legitimitatis personae Pontificis, adeoque et exsistentiae omnium conditionum quae ad legitimitatem ipsam sunt requisitae. Neque huius rei a longe repetenda ratio. Immediate enim sumitur ex infallibili Christi promissione atque providentia: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam,* et iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Idem namque foret, Ecclesiam adhaerere pontifici falso, ac si adhaereret falsae fidei regulae, cum Papa sit regula vivens quam Ecclesia in credendo sequi debet et semper de facto sequitur, uti ex dicendis in posterum luculentius adhuc apparebit. Equidem permittere potest Deus ut aliquando vacatio sedis diutius protrahatur. Permittere quoque potest ut de legitimitate unius vel alterius electi exoriatur dubium. Permittere autem non potest ut Ecclesia tota eum admittat pontificem qui verus et legitimus non sit. Ex quo igitur receptus est, et Ecclesiae coniunctus ut corpori caput, non est amplius movenda quaestio de possibili vitio electionis vel defectu cuiuscumque conditionis ad legitimitatem necessariae, quia praedicta Ecclesiae adhaesio omne vitium electionis radicitus sanat, et exsistentiam omnium requisitarum conditionum infallibiliter ostendit. Et hoc sit obiter dictum contra eos qui certa tentamina schismatica tempore Alexandri VI facta hoc nomine cohonestare volunt, quod ab eo fiebant qui de haereticitate Alexandri certissimas probationes in Concilio generali revelandas habere se dictitabat. At vero, ut aliae nunc rationes omittantur quibus opinio ista facile posset confutari, haec una sufficit: Constat nempe quod tempore quo Savonarola suas ad principes litteras scribebat, tota christianitas Alexandro adhaerebat et obediebat tanquam vero

(1) Bellarm. l. 4 de Rom. Pont. c. 7.

pontifici. Ergo eo ipso, Alexander non erat pontifex falsus, sed legitimus. Ergo non erat haereticus, ea saltem haereticitate quae tollendo rationem membri Ecclesiae, pontificia potestate vel qualibet alia ordinaria iurisdictione ex natura rei consequenter privat.

Hactenus de iis quae spectant perpetuitatem primatus Petri in Romanis Pontificibus. Nunc *de vi et ratione primatus* agendum est.

THESIS XXX.

Romanus Pontifex habet potestatem ordinariam, immediatam, et vere episcopalem in omnes ac singulas particulares ecclesias; itemque in omnes episcopos tam dispersos quam congregatos, tam distributive quam collective sumptos. Unde superioritas Concilii supra Pontificem a Gallicanis aliquando asserta, reiicienda est tamquam omnino erronea.

Haec propositio in qua declarantur duo praecipua capita doctrinae definitae a Concilio Vaticano, Sess. 4, cap. 3, videri posset superflua, pro quanto scilicet formaliter iam continetur, implicite saltem, in praedemonstratis de Ecclesiae monarchia et de primatu Petri qui in Romanis Pontificibus integer perseverat. Verumtamen visum est esse insistendum in iis punctis quae fuerunt ab adversariis specialiter oppugnata, quaeque idcirco noscuntur directe opponi fundamentalibus Gallicani erroris principiis.

Sane vero, in ipsa pervigilia diei indictae pro publica sessione in qua voto definitivo firmanda erat constitutio *Pastor aeternus,* unus e praecipuis de parte oppositionis episcopis, post omnia alia tentamina infructuose adhibita, epistolam dabat ad Pium IX, proponens quasdam modificationes in dicta constitutione introducendas, quibus semel concessis, « fere omnes Patres, « inquiebat, qui per *non placet* suffragium emiserunt in Congre« gatione generali, votum emittent per *placet* in sessione pu« blica » (1). Porro in capite tertio de quo nunc agimus, volebat

(1) Collectio Lacensis, Tom. 7, pag. 992.

expungi duo. Primo verba: *quae vere episcopalis est,* in ea pericope in qua dicitur: « Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse, etc. ». Deinde verba: *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius potestatis,* in canone ad finem capitis apposito: « Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam..., aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit ». Et re quidem vera, haec duo erant quibus radicitus tollebatur error, omnibusque subterfugiis vel aequivocationibus praecludebatur locus.

Duo quippe sunt quae in omni Gallicanismi forma plus minusve explicite asserebantur, et sub maiori minorive verborum ambage semper et ubique reperiebantur. Primum erat, quod potestas Pontificis in omnes (praeter Romanam) particulares ecclesias, foret assimilanda potestati archiepiscopi in dioeceses suffraganeorum suorum; de qua quidem potestate liquido constat quod vere episcopalis non est. Archiepiscopus enim in quantum huiusmodi nullam habet iurisdictionem *proprie pastoralem,* neque in suffraganeorum subditos in quos nihil omnino potest nisi in casu appellationis, devolutionis, vel visitationis, neque in suffraganeos ipsos quos solummodo potest convocare ad concilium provinciale, compellere ubi proprium negligunt officium, aut etiam quadantenus supplere si suo muneri omnino desint. In opinione ergo Gallicanorum, papa nihil plus erat quam supremus totius Ecclesiae metropolitanus, et in hoc reponebatur unum e fundamentalibus principiis eorum.

Alterum vero erat, quod supremae potestatis plenitudo non residet in papa, sed solum in papa cum episcopis consentientibus. Volebant enim supremam potestatem spiritualem esse essentialiter complexam atque compositam, id est, consurgere ex additione potestatis papae et potestatis episcoporum; caeterum duas illas partiales potestates non ex aequo concurrere, sed sese mutuo excedere

sub alia atque alia consideratione. Concedebant quidem, maiorem esse potestatem papae potestate singulorum episcoporum distributive, et pro tanto dicebant praecipuas esse in quaestionibus fidei et generalis disciplinae Summi Pontificis partes; at simul statuebant maiorem esse potestatem omnium episcoporum collective, praesertim si in generali concilio essent adunati. In summa aiebant, *episcopos in concilium oecumenicum legitime congregatos, in iis quae spectant ad fidem, schismatum exstirpationem ac reformationem Ecclesiae, ius habere proprium et independens decreta Romani Pontificis examinandi, iudicandi, acceptandi aut reiiciendi, etiam papa contradicente, eumque sub poena depositionis corrigendi atque cogendi ad maioris Concilii partis sententiam admittendam et promulgandam* (1).

In his, inquam, duobus tota erat medulla Gallicanismi, et cum haec duo directe omnino per duo praefata incisa impeterentur, deleri illa voluerunt, sperantes fore ut illis deletis, caetera in suum sensum adhuc trahere utcumque possent. Et illa quoque sunt, quae in praesenti specialibus argumentis munire in proposito est.

§ 1.

Quoad primum, nihil satius visum est quam ut proponatur de integro demonstratio quae exstat in actis Concilii Vaticani in relatione facta ab episcopo Tarvisino nomine Deputationis de fide, circa varias emendationes capitis tertii primae constitutionis de Ecclesia.

« Emendatio decima quarta. Reverendissimus (emendationis) « auctor respuere vellet attributa *episcopalis, ordinaria, et immediata*, quae enuntiantur de iurisdictione pontificia... Priusquam « de vocabulis dicamus, de re ipsa et conceptu videndum. Nam « si in rei conceptu non convenimus, nec certe in sermone con« venire poterimus. Incipiamus ab attributo *episcopalis*. Quaeritur « igitur primo quae sit iurisdictio episcopalis. Episcopi est pa« scere gregem, nulla enim magis familiaris idea regiminis episco-

(1) Ex libro D. D. Maret episcopi Surensis: *Du concile général et de la paix religieuse. Mémoire soumis au prochain Concile œcuménique du Vatican.* Paris 1869. Cf. Collect. Lac. Tom. 7, pag. 911. 951 et seq.

« palis in sacris litteris, in Patrum operibus, in usu omnium « christianorum, quam repraesentare episcopum veluti pastorem « qui pascit gregem. Pascit autem episcopus tam exercitio po- « testatis ordinis quam iurisdictionis. Nam exercitium potestatis « ordinis nonnisi in subditos potest licite habere locum. Episcopi « igitur iurisdictio ad ea peragenda se extendit quae necessaria « sunt ut fideles vitam aeternam consequantur, ac proinde debet « episcopus primo administrare sacramenta, secundo leges ferre « ad bonum fidelium, tertio exsecutioni ipsarum invigilare sive « per seipsum sive per delegatos, quarto visitare dioecesim, quinto « praedicare, sexto iudicare controversias, septimo punire sontes, « etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo *pascere*. At haec « episcopus non potest facere nisi sub dependentia Pontificis « Summi; haec autem dependentia non est nisi limitatio iurisdi- « ctionis episcopalis. Consideremus autem quaenam Iesus Christus « attribuit apostolo Petro et eius successoribus. Nonne in prae- « mium triplicis declarationis amoris dedit illi munus pascendi « gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod « episcopis datum est tantum pascere qui in eis est gregem « (1 Petr. V-2), scilicet determinatas partes gregis illis commis- « sas; Petro autem et successoribus eius datum est pascere om- « nem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et episcopos, « in suo regimine independenter ab aliis, dum contra episcopi « pascunt semper, ut diximus, dependenter a Petro et Petri suc- « cessore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano « omnia peragere quae superius enuntiavimus... Eadem igitur « quoad speciem est episcopalis potestas episcoporum in singulis « suis dioecesibus, et in Pontifice summo quoad omnes dioeceses, « cum hoc discrimine quod in Pontifice summo est in sua pleni- « tudine, in aliis restricta; in summo Pontifice independens, in « episcopis dependens; in episcopis coarctata ad suas dioeceses, « in Pontifice summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos « terrae. Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter pote- « statem summi Pontificis esse eamdem specie ac potestatem « episcoporum, quid vetat quominus utamur eodem vocabulo « ad qualitatem enuntiandam iurisdictionis quae exercetur per « Pontificem et episcopos, et dicamus episcopalem potestatem in « episcopis, et summam supremam potestatem episcopalem in « summo Pontifice? At dices, vocabulum novum non est neces-

« sarium. Prius observo potestatem episcopalem et potestatem « pontificalem unum et idem esse. In episcopis dicitur pontifi- « calis, in summo Pontifice summa potestas pontificalis. Voca- « bulum *episcopalis* non est novum de summo Pontifice, qui se « catholicae Ecclesiae episcopum subscribit. At rursus dicunt: « nulla ratio; novi vocabuli introductio superflua est. Sed contra: « Notum est, imo usitatissimum in Ecclesia, ut nova dogmatica « vocabula adhibeantur, novis erroribus insurgentibus. Nostris « temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos in- « valuit, quae sustinet summum Pontificem non posse in aliis « dioecesibus a Romana diversis ea peragere, quae episcopus « quilibet in sua propria, eo praetextu quod alias illorum iuris- « dictionem laederet. Perniciosus error a Vaticano Concilio est « configendus, et hoc optime faciet si sanciat sua auctoritate, po- « testatem summi Pontificis exercendam in qualibet dioecesi esse « proprie episcopalem. — At non solum excludunt attributum « *episcopalis,* sed et adiectiva *ordinaria et immediata.* Etiam hic « prius sensus vocabulorum inspiciendus. Apud omnes iurisconsultos « aut iuris canonici doctores, apud omnia acta ecclesiastica, dividitur potestas in ordinariam et delegatam. Omnes « dicunt potestatem ordinariam, quae alicui competit ratione mu- « neris; delegatam, quae non competit alicui ratione muneris, sed « nomine alterius exercetur in quo est ordinaria. Explicato sensu « vocabulorum, lis ut videtur, finita est. Nam potestas quae « summo Pontifici tribuitur, nonne est in illo ratione muneris? « Si est ratione muneris, est ordinaria. Immediata autem, quo- « modo distinguitur a mediata? Immediata est ea potestas quae « exerceri potest sine adhibito medio necessario, scilicet medio « ad quod adhibendum tenemur. At Papa potestne omnia episco- « palia quae enuntiavimus supra, exercere per se in omnibus « dioecesibus, quin obligetur uti medio episcopi particularis ec- « clesiae? aut ipse necessario debet petere licentiam ab episcopo, « ut ex. gr. sacramentum Confirmationis impertiatur, aut confes- « sionem excipiat a fidelibus? Quoties ab aliquo reverendissimo « oratore petitum fuit, num papa indigeat hac licentia, risus in « hoc consessu est excitatus, credo etiam illorum qui elimina- « tionem vocis *immediata* poposcerunt. Alia eloquentiori refuta- « tione emendationis non indigemus. — Maneant igitur haec « adiuncta: *ordinaria, immediata, episcopalis* ».

Notatu autem dignissimum est, quod doctrina Gallicanorum excludens iurisdictionem ordinariam et immediatam Romani Pontificis in omnes et singulas dioeceses Ecclesiae catholicae, fuerat primo praeformata saeculo XIII in celebri opinione quae negabat episcopis iurisdictionem ordinariam et immediatam super omnes et singulas suarum dioecesium paroecias. Cum enim incepissent propagari Ordines S. Dominici et S. Francisci, multorum invidia contra eos exarsit, praesertim quia ministerio apostolico erant addicti, videlicet officio praedicationis et auditioni confessionum. Et tunc etiam, invidorum duces et antesignani surrexerunt duo Parisienses magistri, Gulielmus a Sancto Amore et Sigerius, qui in libello a Clemente IV condemnato, inter alia multa nitebantur ostendere quod nequidem ex commissione episcoporum poterant regulares praedicare aut confessiones audire, idque propter sequentes rationes quas enumerat S. Thomas in cap. 4 Opusculi contra impugnantes religionem.

Primo dicebant quod illud quod dat aliquis, iam non habet. Si ergo episcopi committunt curas plebium parochialibus sacerdotibus, ad eos iam non pertinet cura ipsarum, et ita ex auctoritate eorum non possunt aliqui praedicare plebibus aut confessiones audire, nisi vocati a sacerdote parochiali. — Item, quando episcopus committit curam plebis sacerdoti, ipse seipsum exonerat, et periculum remanet super sacerdotem cui cura committitur; alias essent episcopi in magno periculo, importabile onus totius multitudinis habentes. Ergo episcopi non habent se ulterius intromittere de plebibus quas sacerdotibus commiserunt. — Item, sicut episcopus subditur archiepiscopo, ita sacerdotes subduntur episcopis. Sed archiepiscopi non possunt se intromittere de illis qui subduntur episcopis, nisi forte propter negligentiam episcoporum. Ergo nec episcopi possunt aliquid in plebibus subiectis sacerdotibus parochialibus absque illorum consensu, nisi propter eorum negligentiam vel defectum. — Item, presbyteri parochiales sunt sponsi ecclesiarum sibi commissarum. Si ergo aliqui alii ex commissione episcoporum in plebibus praedictis sacerdotibus commissis praedicent aut confessiones audiant, ecclesia habebit plures sponsos, quod est contra id quod habetur Caus. VII, Q. 1, c. 39: *Sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel iudicari, aut disponi, nisi a proprio viro, eo vivente, permittitur: sic nec uxor episcopi quae eius ecclesia indubitanter intel-*

ligitur. eo vivente, absque eius iudicio et voluntate alteri iudicari vel disponi conceditur. Hoc autem non solum de episcopis, sed de quibuslibet Ecclesiae ministris intelligitur, ut Gratianus per sequentia capitula probat.

Et talibus quidem rationibus innixi, auferebant isti ab episcopis pastoralem potestatem super eas plebes quibus cum ordinaria iurisdictione praesunt parochiales presbyteri.

Hanc porro hierarchiae conceptionem Gallicani doctores postea transtulerunt ad supremum caput Ecclesiae, respectu particularium gregum quibus praesunt episcopi. Et ideo omnia argumenta quae pro iuribus episcoporum contra Pontificem summum ab eis congerebantur, eodem modo valuissent pro iuribus parochorum contra episcopos ipsos. Nam etsi magna sit differentia inter episcopos et parochos, pro quanto gradus episcoporum in Ecclesia est de iure divino, gradus autem parochorum de iure tantum ecclesiastico: tamen haec differentia in praesenti nequaquam debet attendi, utpote omnino praeter quaestionem exsistens. Nunc enim solum quaeritur utrum iurisdictio ordinaria inferioris possit necne componi cum immediata iurisdictione superioris super eamdem plebem, undecumque tandem orta sit iurisdictio, dummodo veri nominis iurisdictio sit. Et nos quidem contendimus falsum esse quod in serie ordinata eorum qui potestate funguntur in societate, ille qui praeest imperet tantum iis qui ipsum immediate in ea serie sequuntur. Dicimus praeterea quod cum propter seriem ordinatam praesidentium, alter qui subditis proximus est, vocatur immediatus superior, alter qui uno gradu vel pluribus excedit, vocatur superior mediatus: nequaquam significatur distinctio subditorum qui alii sint pro distinctis superioribus, sed tantum designatur ordo praesidentium inter seipsos, diversumque officium in potestatis exercitio: quatenus scilicet qui inferior est, magis particularia et quae propria sunt alicuius partis societatis, qui autem superior est, is universalia magis et communia omnibus curare debet (1). His, inquam, principiis firmiter inhaeremus, et exhinc valde consequenter deducimus immediatam iurisdictionem tam episcopi super plebem parochi, quam Summi Pontificis super plebem episcopi. At vero, semel ac negata est immediata Pontificis iurisdictio super ecclesias par-

(1) Ita Palmieri, de Rom. Pont. Thes. XIII.

ticulares, hoc scilicet nomine quod vergeret in destructionem ordinariae iurisdictionis episcoporum, unum de duobus superest dicendum : vel nullam esse pro foro etiam interno ordinariam iurisdictionem in parochis, quod sane nemo admittet : vel iurisdictionem parochorum revera excludere iurisdictionem immediatam episcoporum, in sensu veterum illorum doctorum Parisiensium quos confutat S. Thomas in opusculo contra impugnantes Religionem. Sed iam ad directam solutionem argumentorum veniendum est.

Dices primo: *Est in episcopis vera pastoralis potestas super singulos greges sibi assignatos. Ergo iurisdictio Papae super particulares ecclesias non potest esse ordinaria, immediata, et vere episcopalis, quia duae iurisdictiones immediatae super eosdem subditos, utpote confusionem inducentes, nequeunt stare simul.*

Respondeo concedendo antecedens et negando consequentiam. Ad rationem additam, *dist.* Duae iurisdictiones pares seu eiusdem ordinis, *conc.* Duae iurisdictiones quarum una subordinatur alteri, *neg.* « Inconveniens esset, inquit S. Thomas in IV, « D. 17, Q. 3, a. 3, q. 5 ad 3^{um}, si duo aequaliter super eamdem « plebem constituerentur. Sed quod duo quorum unus alio prin« cipalior est, super eamdem plebem constituantur, non est in« conveniens, et secundum hoc super eamdem plebem immediate « sunt et sacerdos parochialis, et episcopus, et Papa, et quilibet « eorum potest ea quae sunt iurisdictionis ad ipsum pertinentia, « alteri committere ».

Dices secundo: *Episcopi sunt sponsi ecclesiarum suarum. Si ergo episcopalem potestatem habet Papa in omnes et singulas ecclesias, singula quaeque ecclesia habebit plures sponsos, quod repugnat.*

Respondebit S. Thomas in opusculo supra citato, c. 4: « Di« cendum quod sponsus Ecclesiae proprie loquendo, Christus « est, de quo dicitur Ioan. III-29 : *Qui habet sponsam, sponsus « est.* Ipse enim de Ecclesia suo nomine filios genèrat Alii au« tem qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi, exterius coope« rantes ad generationem spiritualium filiorum, quos tamen non « sibi, sed Christo generant. Qui quidem ministri in tantum « sponsi dicuntur, in quantum vicem veri sponsi obtinent. Et « ideo Papa qui obtinet vicem in tota Ecclesia, universalis Ec« clesiae sponsus dicitur; episcopus autem suae dioecesis, pre-

« sbyter autem suae parochiae. Nec tamen propter hoc sequitur « quod sint plures sponsi unius ecclesiae, quia sacerdotes suo « ministerio cooperantur episcopo tanquam principali, et simili- « ter episcopi Papae, et ipse Papa Christo. Unde Christus, Papa, « episcopus, et sacerdos non computantur nisi unus sponsus Ec- « clesiae ».

Dices tertio : *Sic se habet Papa ad episcopos omnes, sicut archiepiscopus ad suffraganeos. Sed archiepiscopus qua talis episcopalem iurisdictionem non habet. Ergo nec Papa in quantum huiusmodi.*

Respondeo negando antecedens simpliciter et absolute. Nam in iis tantum subditur episcopus archiepiscopo, in quibus Ecclesia statuit episcopum archiepiscopo subiectum. Ecclesia autem minime subdit episcopum archiepiscopo tanquam ordinario. At subiectio episcoporum omnium ad Pontificem de iure divino est, et determinate quidem tanquam ad universalem totius gregis pastorem a Christo ipso constitutum. Insuper auctoritas episcopi non est participatio auctoritatis archiepiscopi, neque auctoritate archiepiscopi, episcopus assumitur. Unde a primo ad ultimum, nulla omnino, et ne a longe quidem, similitudo aut paritas est.

Dices quarto : *Romano Pontifici non est asserenda potestas, nisi quae exerceri ab eo possit. Atqui potestas episcopalis non potest ab eo exerceri super Ecclesiam universam.*

Respondeo, *dist. min.* Potestas episcopalis non potest a Papa exerceri super Ecclesiam universam, quatenus solus ipse sit in Ecclesia potestatem episcopalem exercens, *conc.* Quatenus sit exercens simul cum particularibus episcopis qui de plenitudine eius participent, et in partem sollicitudinis sint vocati, *neg.* — Sane vero, non eo sensu doctrina catholica episcopalem in Pontifice Summo iurisdictionem adstruit, quasi non deberet illa coniungi cum iurisdictione vere episcopali subordinatorum antistitum. Accepit enim Petrus claves, sed caeteris praesulibus communicandas ; accepit pastoralem auctoritatem in agnos et oves, sed ab aliis sub se pastoribus participandam, idque iuxta immobilem iuris divini constitutionem quam ipse immutare omnino nequit. Et sicut plenitudo exsistens in uno non tollit quin participetur a multis, ita vicissim participationes quae sunt in multis non excludunt, imo vero necessario praesupponunt plenitudinem e qua originem trahunt. Unde pronum est applicare proportiona-

liter in praesenti id quod docet S. Thomas de potestate episcopi respectu potestatis parochi : « Secundum Dionysium potestas « episcopi in nostra hierarchia est universalis, potestas autem « sacerdotis et ministrorum est potestas particularis. Sed secun- « dum quod probatum est a philosophis, virtus universalis effi- « cacius agit in id quod subiicitur virtuti particulari, quam etiam « ipsa particularis virtus. Ergo episcopus magis habet usum cla- « vium in eos qui subduntur sacerdotibus, quam ipsi sacerdotes. « Item nullus potest dare quod non habet. Sed episcopi est dare « sacerdotibus omnem auctoritatem quam sacerdotes habent. « Nullum autem spirituale amittitur cum datur, quia spiritualia « non dantur nisi per actionem dantis in recipientem ; agens au- « tem non amittit virtutem agendi ex hoc ipso quod agit. Ergo « episcopus habet communem potestatem quam habet sacerdos « parochialis ». Et idem valet de Papa respectu episcopi.

Dices denique quinto : *Si papa haberet potestatem ordinariam, immediatam, et vere episcopalem in universam Ecclesiam, esset ipse episcopus universalis. Atqui prisci Romani Pontifices recusaverunt se universales appellari. Nam Gregorius Magnus l. 5 epist. 18 ad Ioannem Constantinopolitanum, hoc reprehendit, et narrat praedecessores suos hoc renuisse.*

Respondeo Gregorium refutasse appellationem universalis episcopi, ea scilicet ratione, ut ipsemet explicat, quia si unus universalis episcopus dicitur, solus ipse episcopus videtur dici, et sic caeteris episcopatus tolleretur : « Numquid non, sicut ve- « stra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense conci- « lium huius apostolicae sedis antistites, cui Deo disponente « deservio, universales oblato honore vocati sunt ? Sed tamen « nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc « temerarium nomen arripuit, *ne si sibi in pontificatus gradu glo- « riam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse « videretur* » (1). Non ergo universalis titulum refutavit Gregorius quasi episcopalis auctoritas Romani Pontificis ad universalem Ecclesiam sese non extenderet. Unde epist. 20 de eadem re ad Mauritium Imperatorem scribens, ait notum esse cunctis evangelium scientibus quod voce Dominica sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolo, *totius Ecclesiae cura commissa*

(1) Greg. Magn., ubi supra.

est, et tamen universalis apostolus non vocatur. Ubi patet Gregorium simul affirmare curam totius Ecclesiae, et negare universalis vocabulum. Propter quod, ut rectissime annotavit Caietanus (1), posteriores Pontifices rem tenentes, nec a Gregorii humilitate discedentes, universalis nomen a recto in obliquum transtulerunt, et subscribunt se in hodiernum diem : *Ego N. episcopus Ecclesiae catholicae* (2).

§ 2.

Hucusque de potestate vere episcopali Summi Pontificis in quantum huiusmodi. Nunc autem de altero puncto in quo asseritur Pontificem habere non tantum potiores partes, sed totam plenitudinem supremae potestatis, et hanc eius potestatem eodem modo respicere episcopos vel distributive vel collective sumptos, sibique subordinare omnem aliam auctoritatem in Ecclesia, etiam Concilii plenarii seu generalis ad sensum Gallicanorum, pauca admodum declaranda supersunt. Haec enim fuerunt iisdem fere terminis demonstrata atque exposita in superioribus, Thes. 25, et rursus Thes. 27, § 1, ideoque nihil nunc dicendum occurrit quoad directam propositionem veritatis, sed solum videndum est quibus se rationibus adversarii muniebant, ut fundamentorum inanitas perspiciatur evidentius, et systematis humanitus constructi praeter revelationis regulam omnimoda appareat insubsistentia.

Porro insubsistentia systematis vel prima fronte apparebit ex simplici iuxtapositione omnium partium eius. Statuebant in primis principii loco, supremam et vere plenam potestatem esse in concilio oecumenico, quoniam omnibus apostolis se affuturum promisit Christus, et omnibus dixit: *Quaecumque alligaveritis, etc.*

(1) Caietan., Tract. 3 de Rom. Pont. instit.. cap. 13 ad 5^{um}.

(2) De Cypriano qui excandescens adversus Stephanum Papam exprobrabat ei quod *de episcopatus sui loco gloriaretur, et se successionem Petri tenere contenderet, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, episcopum se esse episcoporum constituens,* satis sit referre dictum Augustini, l. 5 de bapt. n. 36 : « Iam illa quae in Stephanum irritatus « effudit, retractare (denuo tractare) nolo, quia et non opus est. Eadem « quippe ipsa dicuntur, quae iam satis discussa sunt, et ea praeterire « melius est, quae periculum perniciosae dissensionis habuerunt ».

Secundo observabant, dualismum qui confusionem pareret et ad irreductibilem collisionem duceret, non posse esse in Ecclesia. Hinc tertio, omnia ad ordinem reducere intendentes, plenitudinem potestatis auferebant a Pontifice, ut iurisdictionem supremam collocarent solummodo in Pontifice simul cum episcopis. At quarto, quia dualismus nequidem sic sufficienter tollebatur, exoriente scilicet casu in quo Concilium a Pontifice dissentiret, ideo tandem volebant supremam potestatem consurgere quidem ex additione potestatis pontificiae ad potestatem conciliarem, ita tamen ut Pontifex esset obnoxius iurisdictioni Concilii, possetque cogi ad sententiam Concilii admittendam et promulgandam.

Atqui hoc ipsum est in quo sese prodit contradictio evidens atque manifesta. Quaeritur enim quomodo potestas subordinata possit unquam addere ad potestatem cui subordinatur, eamque accessione sua perducere ad superiorem gradum auctoritatis. Quaeritur qua ratione haec duo simul stent, Papam debere obedientiam Concilio, eiusque imperio esse subiectum, et tamen Concilium nondum potiri auctoritate suprema, quoadusque Papae auctoritas supervenerit. Quaeritur denique quomodo Concilium haberet ius proprium et independens cogendi Pontificem ad sententiam maioris partis Concilii admittendam, nisi Concilium propriam quoque atque independentem haberet infallibilitatem. Si autem Concilium ut condivisum a Papa, habet propriam et independentem infallibilitatem, non apparet sane quomodo non instrueretur per seipsum plenitudine supremae potestatis, cuius inseparabile attributum et incommunicabile privilegium infallibilitas est. Patet igitur quod logica Gallicanorum principiorum consequentia fuisset: supremam potestatem revera residere in Concilio, etiam ut a Papa condiviso. Verumtamen, cum eiusmodi conclusio nimis aperte repugnaret veritati fidei quae fuit semper in explicita professione catholicorum omnium, eousque devenire noluerunt, ac per hoc coacti sunt in quodam medio consistere, in quo (ut evenire solet) contradictoriae assertiones simul componuntur, nihilque superest remedii nisi in arte tegendi sub ambiguitatibus verborum inconsistentiam rerum.

Caeterum si quis bene consideret, origo et radix totius erroris stat in falso conceptu supremae potestatis quae oecumenico Concilio propria est, quasi nempe suprema haec potestas resul-

taret ex coniunctione duarum potestatum contradivisarum, congregationis episcoporum ex una parte, Pontificis ex altera. Hinc enim dualismi exoritur quaestio, cui etiam nulla solutio datur secum ipsa consistens. At quisquis mente retinuerit principia in Quaestione praecedenti exposita, intellexeritque qualiter verba Christi ad apostolos (Matth. XVIII-18) nequaquam diriguntur ad collegium acephalum, sed ad collegium unitum Petro, qui monarchicam praerogativam per prius acceptam (Matth. XVI-19) immobiliter in se retinens, est ipsa ratio supremae potestatis exsistentis in collegio, *pro quanto scilicet collegium apostolicum summa auctoritate investitum, nihil est aliud quam corpus subordinatorum antistitum prout assumptum ad caput Petrum in unitate unius agentis seu imperantis:* is etiam intelliget pure imaginarium esse dualismi phantasma, videbitque suppositum totius systematis adversariorum de integro evanescere. « Concedimus, in concilio oecu-
« menico sive in episcopis coniunctim cum suo capite, supremam
« inesse et plenam ecclesiasticam potestatem in fideles omnes....
« At verba Christi omnia consistere debent. Si ex eo quod *apo-*
« *stolis cum Petro et successoribus* affuturum se esse promisit
« (Matth. XXVIII-20) apparet plenam et supremam potestatem
« esse in ecclesia (regente) cum suo capite coniuncta: eadem
« prorsus ratione, ex eo quod similes promissiones factae sunt
« *Petro soli et eius successoribus* (Matth. XVI, Luc. XXII), con-
« cludendum est plenam et supremam potestatem traditam esse
« Petro et eius successoribus, etiam independenter ab actione
« communi cum aliis episcopis. Quae duo amice consistere pos-
« sunt, quin dualismus qui confusionem parit introducatur in
« Ecclesia. Hoc postremum incommodum obtineret, si duae ab
« invicem distinctae et separatae vere plenae et supremae pote-
« states admitterentur. At separare caput a membris est proprium
« illorum qui subiiciunt Papam episcopis collective sumptis, aut
« repraesentatis a concilio generali. Tunc enim sequitur posse
« ex una parte stare aliquando Pontificem, etiam in sua qua-
« litate Pontificis summi, et ex alia parte episcopos. E contrario
« nos admittimus vere plenam et supremam potestatem exsistere
« in summo Pontifice veluti capite, et eamdem vere plenam et
« supremam potestatem esse etiam in capite cum membris co-
« niuncto, scilicet in Pontifice cum episcopis, salvo semper et in-
« concusso quod prius admonuimus. Hoc modo nunquam potest

« evenire casus, ut episcopi separentur et divellantur a capite. « Nam si exercet summus Pontifex suam potestatem vere plenam « et supremam veluti caput, et etiam independenter a concursu « aliorum, omnia membra statim debent, non iudicium sibi arro- « gare de exercitio potestatis huiusmodi, sed cum suo capite con- « cordare, nam aliter in eo non recognoscerent vere plenam et « supremam potestatem. Si contra, summus Pontifex una cum « episcopis vel dispersis vel congregatis, vere plenam et supre- « mam potestatem in solidum exercet, nulla possibilis collisio. « Nam cum vere plena et suprema potestas non sit in corpore « separato a capite, episcopi singulares, quotquot essent, dum « abest Papa, nullo modo sine capite vere plenam et supremam « potestatem exercere possent; dum, ut diximus, summus Pon- « tifex ut caput, etiam independenter a concursu episcoporum, « supremam suam auctoritatem exercere potest. Enucleanda haec « principia nullo modo sunt, sed potius a venerando consessu « veniam petere debeo, si diutius in hoc argumento immoratus « sum ». Ita sapienter coram Patribus Vaticanis, nomine Deputationis de fide, disputabat episcopus Tarvisinus, cuius oratio extat in actis Concilii, loco supra citato (1).

Sic igitur plane ruinosum ostenditur systema Gallicanum, et non minus rationi quam evangelio contrarium. At forte solidius accipietur fundamentum ex decretis Sessionis quartae et quintae Concilii Constantiensis, a Basileensi postea innovatis? Certe, in sua opinione de superioritate Concilii supra Pontificem, Gallicani quam maxime hisce decretis nitebantur, sed frustra. Nam in primis, omnibus notum est, decreta illa nequaquam fuisse confirmata a Martino V, adeoque non habere vim et robur decretorum oecumenicorum, quandoquidem ex ipsorum quoque Gallicanorum confessione, sine confirmatione pontificia non est oecumenica auctoritas in quibuslibet conciliorum iudiciis. Quod autem desit ibi pontificia confirmatio, constat ex Bulla *In eminentis,* in qua ratihabentur dumtaxat statuta in materia fidei contra Wicleff, Huss, et Hieronymum de Praga, necnon et decretum de communione sub una specie. Neque aliter unquam a sequentibus Pontificibus, nominatim Eugenio IV et Pio II su-

(1) Collect. Lacens. Tom. 8, pag. 358.

sceptum et agnitum est Concilium Constantiense (1). — His quae rem iam conficiunt, adde quod decreta sessionis quartae et quintae fuerunt edita quando Concilium sola adhuc constabat obedientia Ioannis XXIII, et nondum a Gregorio XII qui solus, ut nunc compertum est, verus Pontifex erat, legitimam acceperat convocationem. Adde iterum quod eaedem sessiones tumultuario modo et praeter morem conciliorum habitae sunt, ut apparet ex documentis quae citat et affert Palmieri, de Rom. Pont., Thes. 16. — Omnibus ergo modis auctoritas ista est reiicienda, nec aliud quidquam ibi accipere est, praeter signum perturbationis in quam animos coniecerat inextricabile schisma ipso tempore, quo tres simul de pontificatu contendebant (2). At oppositam e diametro

(1) « Non sunt proinde oecumenica, imo potius a Romanis Pontificibus saepius reiecta sunt decreta sessionis III et IV a concilio Basileensi innovata, quae sic sonant: *Sancta Synodus Constantiensis... declarat quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata, concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis exsistat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictae Ecclesiae in capite et membris. Item declarat quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis huius sacrae Synodi et cuiuscumque alterius concilii generalis legitime congregati super praemissis..., obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur et debite puniatur, etc.* Concilium Basileense, licet aliquando ab Eugenio IV quoad progressum agnitum fuerit, dignitatem concilii oecumenici nunquam meruit ». Denzinger, Enchirid, n. 584.

(2) « Dans l'ordre moral et dans l'ordre physique, les lois de la fermentation sont les mêmes. Elle naît du contact, et se proportionne aux masses fermentantes... Toute assemblée tend à subir cette loi générale, si le développement n'en est arrêté par le *froid* de l'autorité qui se glisse dans les interstices et tue le mouvement. Qu'on se mette à la place des évêques de Constance, agités par toutes les passions de l'Europe, divisés en nations, opposés d'intérets, fatigués par le retard, impatientés par la contradiction, séparés des cardinaux, dépourvus de centre, et pour comble de malheur, influencés par des souverains discordants. Est-il donc si merveilleux, que pressés d'ailleurs par l'immense désir de mettre fin au schisme le plus déplorable qui ait jamais affligé l'Eglise, ces évêques se soient dit à eux-mêmes: Nous ne pouvons rendre la paix à l'Eglise et la réformer dans son chef et

normam praefixam videbis in Conciliis regularibus, iisque antiquissimis. Certo enim certius de superioritate Concilii supra Papam nihil sciebant Patres Chalcedonenses ubi supra (1), cum a S. Leone petebant ut Ecclesiae Constantinopolitanae ea privilegia concedere dignaretur, quae iam erant unanimi Concilii voto firmata. Nihil quoque Patres Ephesini, quando in sententia depositionis lata contra Nestorium, coactos se dicebant per epistolam Caelestini (2). Et ideo iure meritoque in Concilio Lateranensi V edita est contra pragmaticam sanctionem Bulla Leonis X *Pastor aeternus* in qua sic legitur: « Romanum Pontificem pro tempore « existentem tanquam auctoritatem super omnia concilia haben- « tem, tam conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dis- « solvendorum, plenum ius ac potestatem habere, nedum ex Sa- « crae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac alio- « rum Romanorum Pontificum sacrorumque canonum decretis, « *sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste* « *constat* ».

Afferebantur insuper a Gallicanis alia argumenta, quae tamen adeo levia sunt, ut specialem responsionem vix requirant, velut cum aiebant consequens fore, si Pontifici plenitudo potestatis attribuatur, quod ipse posset omnia sus deque vertere in Ecclesia, ne iis quidem exceptis quae a Christo constituta et ordinata sunt. « Vani et futiles (parcant verbo) illi clamores qui « difficillime ut serii considerari possunt, ne si Papae tribuatur « perplena et suprema potestas, ipse possit destruere episco- « patum qui iure divino est in Ecclesia » (3). Quippe plenitudo potestatis quae in Pontifice est, non est nisi plenitudo potestatis *ecclesiasticae*, per quam leges divinae solvi omnino nequeunt, ut

---

« dans ses membres, qu'en commandant à ce chef même; déclarons « donc qu'il est obligé de nous obéir. De beaux génies des siècles sui- « vants n'ont pas mieux raisonné. L'assemblée se déclara donc en pre- « mier lieu concile œcuménique. Il le fallait bien pour en tirer ensuite « la conséquence *que toute personne de condition et dignité quelconque,* « *même papale, était tenue d'obéir au concile en ce qui regardait la foi et l'extinction du schisme* ».

(1) Supra, Thes. 28, § 1.

(2) Acta Conc. Ephes. act. 1.

(3) Relatio episcopi Tarvisini in Concilio Vaticano de emendationibus capitis III constitutionis primae de Ecclesia.

dictum est in Quaest. 11, Thes. 21 § 3. Nec validius sumeretur fundamentum ex hoc quod Pontifices ipsi identidem protestantur se canonibus quoque ecclesiasticis retineri, et non posse eos pro mero arbitrio abolere. Haec enim facile intelliguntur ex obvia distinctione inter potestatem ipsam et bonum usum potestatis, iuxta illud Apostoli, 1 Cor, X-22: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.*

Si qua autem adhuc obscura maneant quoad habitudinem potestatis episcoporum ad potestatem pontificiam, ista convenientem habebunt explicationem in celebri quaestione de infallibili Romani Pontificis magisterio, ad quam statim veniendum est iuxta ordinem et normam in Concilio Vaticano praestabilitam.

THESIS XXXI.

Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollet qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, sunt irreformabiles.

Cum ex hactenus dictis constet, et multiplici quidem ex capite, plenitudinem potestatis ecclesiasticae in Romano Pontifice residere, iam pro comperto haberi debet, esse in eo quidquid in capite praecedenti de ipsa ecclesiastica potestate declaratum et demonstratum fuit. Porro hanc potestatem ostendimus esse potestatem magisterii auctam infallibilitatis charismate (*Thes. 16*). Cuius primarium obiectum sunt res fidei et morum formaliter explicite vel formaliter implicite in catholicae revelationis deposito contentae, secundarium vero, veritates in se non revelatae, quae tamen requiruntur ut praedictum revelationis depositum integrum custodiatur (*Thes. 17*). Ostendimus praeterea, potestatem illam esse quoque iurisdictionis tam fori interni quam fori

externi, et hanc ultimam dividi in legislativam, iudiciariam, et coactivam (*Thes. 20-21*). Denique legislativam potestatem circa res etiam disciplinae habere annexam sibi infallibilitatem, quatenus in sui exercitio deflectere non possit ad ea statuenda quae opposita forent regulis fidei et evangelicae sanctitatis (*Thes. 22*). Haec nunc applica Pontifici tanquam supremae ac plenae potestatis ecclesiasticae subiecto, et nihil iam superest quod addendum sit.

Si quis autem bene consideret, videbit quod non tanta est amplitudo huius nostrae praesentis propositionis. Restringitur enim ad solum infallibilitatis charisma, quod se habet ut summae potestatis attributum et proprietas. Imo vero, nequidem adaequate de hac infallibilitate tractat, praesertim cum de infallibilitate in rebus disciplinae nihil enuntiet, sed ad res doctrinae tota referatur. Et hoc ideo est, quia continetur ipsis terminis definitionis Vaticanae quae non omnia singillatim recenset, sed versatur circa speciale punctum de quo esse debuit specialis determinatio, attenta conditione historica controversiae, necnon et forma erroris cui oportebat occurrere. Recte igitur, caetera omnia ut satis superque comperta praetermittentes, considerationem nostram reducimus ad praefatam definitionem Concilii Vaticani, cuius sensus est accurate diligenterque exponendus priusquam veniatur ad argumenta.

§ 1.

Ubi sensus Vaticanae definitionis declaratur.

Quatuor aperienda veniunt. Primo, locutio ex cathedra. Secundo, criterium locutionis ex cathedra. Tertio, ratio infallibilitatis qua pollet Pontifex loquendo ex cathedra. Quarto, quid circa locutiones ex cathedra sit de fide definita, quid vero non.

1. **Locutio ex cathedra.** — Sciendum prae primis est, Pontificem tribus modis posse considerari. Primo modo, ut est persona privata seu particularis theologus, et sic, posse eum falli in doctrina de fide vel moribus, non secus ac falli potest quilibet alius, extra omnem quaestionem est [1]. Adverte tamen

[1] Hoc modo accipies Innocentium III in suis operibus asceticis et liturgicis, Innocentium IV in suis glossis super corpus iuris, Benedictum XIV in suis libris de canonizatione SS. de Synodo, etc

diligenter, aliud omnino esse, privatam Pontificis personam posse falli etiam in materia fidei, aliud vero, Pontificem secundum quod privatus homo est, posse fieri haereticum. Haeresis enim non est nisi error pertinax circa veritates ab Ecclesia iam definitas et sufficienter omnibus christianis propositas, ac per hoc, a falsis opinionibus quibus cuncti indiscriminatim tam fideles quam theologi pro humana conditione sunt obnoxii, longissime distat. Quid autem de possibilitate haereseos, quod ad Pontificis personam spectat, sentiendum videatur, iam dictum est in superioribus, et in omni modo non esset nunc declarandum, quoniam praesens quaestio circa personam privatam nullo pacto versatur.

Potest secundo considerari Pontifex ut Pontifex, sed non ex apostolicae potestatis plenitudine aliquid ab universa Ecclesia tenendum definiens. Qua in consideratione venit Pontifex in duplici circumstantia. Primo quidem quando rem agit quae Ecclesiam universalem non spectat, velut cum determinat de casibus particularibus in materia iuris vel cultus, de invaliditate ordinum huius vel illius sectae, de honoribus beatorum alicui servo Dei in particulari quadam ecclesia impertiendis, aliisque eiusmodi. Secundo, quando providet quidem Ecclesiae universae, etiam in materia fidei et morum, quin tamen in actu pontificio verificetur *definitionis* ratio. Ad definitionem autem oportet esse iudicium, illudque ultimatum ac definitivum. « Vox *definit* significat quod « Papa suam sententiam circa doctrinam quae est de rebus fidei « et morum, directe et terminative proferat » (1). Proinde, a locutione Pontificis agentis munus pastoris universalis, praedicta ratio definitionis dupliciter potest abesse: vel quia in locutione illa iudicium dogmaticum non continetur, vel quia etsi iudicium contineatur, non tamen ultimatum ac terminativum.

Posterioris casus exemplum habes in decreto Stephani adversus rebaptizantes, quo solum indicebatur ne quid innovaretur contra antiquam consuetudinem (2). Item, in approbatione et confirmatione doctrinalium decisionum Romanarum Congregationum (3). Item, in iis constitutionibus in quibus oeconomice

(1) Relatio episcopi Brixinensis de exceptionibus in caput quartum Constitutionis primae de Ecclesia. Collectio Lacensis, Tom. 7, pag 474.

(2) Denzinger, n. 14.

(3) De natura et ratione harum decisionum vide thesim 19.

aliquid statuitur, et nedum quaestio terminetur sententia categorica, iubetur potius ne circa eam studia partium ulterius exardescant, ut inopportunae agitationi finis imponatur. Cuiusmodi fuisse noscitur celebre Constitutum Vigilii in causa trium capitulorum (1). — Prioris vero casus exempla sunt in permultis encyclicis recentiorum Pontificum, ubi pro munere suo apostolico doctrinam quidem catholicam exponunt, at non per modum definientium, id est non interponendo novum doctrinale iudicium, sed magis instruendo fideles de his quae sunt in praedicatione Ecclesiae columnae ac firmamenti veritatis. Et quamvis nullatenus dubitandum videatur quin in documentis huiusmodi ad universalem Ecclesiam missis infallibiles sint Pontifices (utique quantum ad ea quae directe et per se in eis proponuntur, ut alias in simili dictum est), non tamen ibi ea locutio ex cathedra est, quam attendit canon Vaticanus; multoque minus quaerenda illa esset in actis paulo supra recensitis.

Tertio igitur modo considerari potest Pontifex, secundum quod « omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ». Verba sunt Vaticani quae debent singillatim ponderari. — Primo dicitur: *cum definit.* Quod indiscriminatim accipiendum est, sive de re nusquam antea definita, sive de re quae iam pridem in regula ecclesiastici magisterii explicite contenta, nova iterum sententia novoque iudicio a Pontifice firmatur, non secus ac in Conciliis etiam oecumenicis pro grassantium errorum nova apparitione vel recrudescentia factitatum videmus. — Secundo: *cum definit doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesia tenendam.* Ubi observandum venit quod doctrina de fide et moribus latius patet quam divinae fidei obiectum, quia comprehendit omnia quae vel primario vel solum secundario sub magisterio Ecclesiae cadunt, iuxta praemissa in capite praecedenti, Thes. 17. Propterea non dictum est in canone Vaticano: *cum definit doctrinam tenendam tanquam de fide*, ne forte restringeretur locutio ex cathedra ad ea sola quae ut divinitus revelata, adeoque fide divina credenda proponuntur (nam quoties in documentis ecclesiasticis sermo est de fide sine addito, intelligitur fides divina). Consulto itaque

(1) Migne, P. L., Tom. 64, col. 67 seq.

omissum est ly *tenendam tanquam de fide*, quod ab aliquibus proponebatur introducendum: ut scilicet intelligeremus, non tunc tantum ex cathedra loqui Pontificem, quando ea definit quorum contradictoria sunt vel fiunt vi definitionis haeretica. Sed a primo ad ultimum dicendum restat, locutionem ex cathedra esse omnem definitionem qua aliqua veritas definitur quolibet modo tenenda, et hanc locutionem in suo obiecto habere quidquid vel constitutive vel solum connexive pertinet ad revelatam fidei et morum doctrinam (1). — Tertio: *omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens*, et iterum: *ab universa Ecclesia, etc.* Quae quidem maioris explicationis gratia posita sunt, quia cum doctrina de fide et moribus ex natura sua sit res universalis Ecclesiae (minime aequiparanda cum regulis disciplinaribus quae possunt esse variae pro variis locis, ordinibus, et personis), quidquid praedictis verbis significatur, implicite continetur in aliis iam explicatis. Ubicumque enim invenitur veri nominis definitio, ibi quoque directio ad universam Ecclesiam, et munus pastoris et doctoris omnium christianorum a Pontifice susceptum eluceat necesse est. Quanquam non oporteat ut pontificium documentum ad omnes ubilibet fideles vel episcopos materialiter dirigatur, sed sat est ut agatur de re ad depositum fidei attinente, et adsit intentio manifestata fluctuationi finem imponendi per sententiam definitivam, non subiacentem ulteriori determinationi. Et hoc modo exempli gratia, epistola S. Leonis ad Flavianum Cp. episcopum, in qua damnabatur haeresis Eutychetis, et exactissime definiebatur *quid catholica Ecclesia universaliter de sacramento Dominicae incarnationis credat et doceat,* inter celeberrima Romanorum Pontificum decreta ex cathedra ab omnibus computatur.

Sed iam de criterio ipsius locutionis ex cathedra paulo distinctius agendum est.

2. **Criterium locutionis ex cathedra.** — Fuerunt tempore Concilii Vaticani, qui ut definitionem pontificiae infallibilitatis impedirent, vel eam iam factam eluderent, dixerunt constare non posse, quando Romanus Pontifex supremi doctoris munere fungens pro auctoritate definiat, et ideo ex defectu criterii sufficientis evacuari definitionem ipsam, ut quae sit de re ignota et

(1) Cf. Collectionem Lacensem, pag. 1704 et seq.

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

nobis penitus indiscernibili. Sed tam ineptam absurdamque exceptionem, vel sola exemplorum adductio statim confutabit.

Accipe speciminis gratia Bullam Bonifacii VIII *Unam Sanctam*, quae sic concluditur: « Porro subesse Romano Pontifici « omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pro- « nuntiamus omnino esse de necessitate salutis ». — Accipe constitutionem Benedicti XII *Benedictus Deus*, de visione Dei concessa animabus sanctorum ante iudicium universale: « Aucto- « ritate apostolica definimus quod animae sanctorum omnium, « etc.... Quicumque autem deinceps praedictarum nostrarum de- « finitionum... contrarium, scienter et pertinaciter tenere, asse- « rere... praesumpserit, contra eum sicut contra haereticum modo « debito procedatur ». — Item constitutionem Leonis X *Exsurge Domine* adversus Lutherum: « Auctoritate omnipotentis Dei et « beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, praefatos omnes « et singulos articulos seu errores, tanquam (ut praemittitur) « respective haereticos aut scandalosos aut falsos... damnamus, « reprobamus..., ac pro damnatis, reprobatis, et reiectis, ab omni- « bus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere decernimus « et declaramus ». — Item constitutionem Innocentii X *Cum occasione*, ubi damnatis censura categorica quinque Iansenii propositionibus, sic concluditur: « Mandamus igitur omnibus Christi « fidelibus utriusque sexus ne de dictis propositionibus sentire « aliter praesumant... sub censuris et poenis contra haereticos « et eorum fautores in iure expressis ». — Item constitutionem Innocentii XI *Coelestis pastor*, in qua Michaelis de Molinos notantur haereses et errores: « Hac nostra perpetuo valitura con- « stitutione... supradictas propositiones (tanquam haereticas, « suspectas, etc.) definitive damnantes et reprobantes ». — Item constitutionem Innocentii XII *Cum alias*, ubi de apostolicae potestatis plenitudine condemnatur Fenelonii liber tanquam continens propositiones temerarias, scandalosas, ac etiam erroneas respective, quae postea singillatim enumerantur. — Item constitutionem Clementis XI *Unigenitus*, in qua post damnatas propositiones Quesnelli in globo ut haereticas, erroneas, etc., additur: « Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus ne « de dictis propositionibus sentire... aliter praesumant, quam in « eadem nostra constitutione continetur, etc. ». — Item Bullam Pii VI *Auctorem fidei*, ubi propositiones, doctrinae, sententiae

Pistoriensium, suis cuique appositis notis et censuris (ab haeresi et infra), reprobantur perpetuo valitura constitutione: « Mandamus « igitur omnibus Christi fidelibus ne de dictis propositionibus et « doctrinis sentire... praesumant contra quam in hac nostra con- « stitutione declaratur ». Item Bullam Pii IX *Ineffabilis* de immaculata Deiparae conceptione: « Auctoritate D. N. I. C., beato- « rum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, declaramus, pronun- « tiamus, et definimus, doctrinam quae tenet..., esse a Deo revelatam « atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque te- « nendam ». — Item encyclicam eiusdem Pii IX *Quanta cura*, quae hanc finalem habet clausulam: « Itaque omnes et singulas « pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris comme- « moratas auctoritate nostra apostolica reprobamus, proscribimus « atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, « velut reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi « volumus et mandamus ». — Dicesne forsitan, locutionem ex cathedra a Vaticano intentam, in his exemplis esse dubiam, incertam, aut aliqua ex parte obscuram?

Absit tamen ut in eiusmodi formulis quibus a medio aevo et deinceps uti solent Pontifices, unicum criterium reponamus, quia procul dubio non alligamur materialitati litterae, et sive expressis sive aequipollentibus verbis exprimatur definitiva ac terminativa sententia Ecclesiae proposita, semper eodem modo cathedralis definitionis elucet ratio. Unde in relatione de observationibus in schema constitutionis de Ecclesia, optimo iure animadvertebatur: « Ut enim humanae linguae non desunt neces- « saria et apta signa ad exprimendam supremi doctoris et apo- « stolici muneris functionem, ita eiusmodi signorum usus a « Romanis Pontificibus factus evidenter patet ex litteris non « paucis scriptis... usque ad praesentem Pontificem Pium IX ». Tum addebatur: « Caeterum si quando dubitaretur, utrum do- « cumentum aliquod pontificium sit reapse a Pontifice fungente « apostolico suo munere *(definiendi)* editum, profecto non maior « esset difficultas ac nascitur, si quando dubitatur, quidnam in « Concilio oecumenico revera ut fidei dogma definitum, quidve « tantum ad doctrinae explicationem vel probationem adiectum « fuerit » [1]. Et re quidem vera, hic omnino applicantur quae in

[1] Collect. Lacens. Tom. 7, col. 285.

superioribus, Thes. 18 § 1, de Ecclesiae magisterio agentes, generatim observavimus: Nullum fore inconveniens si aliquando occurrat dubium, an res aliqua in particulari sit necne definita. Solum enim sequitur quod praeter ea quae certo et indubie pro definitis habenda sunt, unanimique consensu a theologis ut talia retinentur (1), quaedam alia erunt, nonnisi probabiliter ad definitorum ordinem pertinentia. Quae quidem ex consequenti, quod attinet ad gravitatem obligationis ex definitione enascentis, pro nondum definitis censeri debebunt, quoniam hic quoque suam applicationem habet generale principium: obligatio dubia, obligatio nulla, utique in eo ordine et intra eos limites in quibus est dubia (2).

Caeterum, multo adhuc magis absona sunt ea quae ab adversariis opponebantur, ex hoc quod constare non possit quando Romanus Pontifex omnes ad infallibiliter definiendum expleverit conditiones. Id enim et petitionem continet principii, et nequicquam pertinet ad criterium locutionis ex cathedra, de qua ratiocinandum est sicut de quorumlibet conciliorum oecumenicorum dogmaticis iudiciis. Sane vero, cum de oecumenicis decretis agitur, non in eo criterium reponitur, an scilicet concilium expleverit necne conditiones ad definiendum infallibiliter, sed in hoc exclusive, an de facto definiverit vel non definiverit, quia si definivit et in definiendo (ut supponitur) est infallibile, ipsum definitionis factum secum necessario infert conditiones omnes, quaecumque tandem illae sint, ad infallibilitatem requisitae. Alias iungerentur contradictoria simul. Porro, eamdem prorsus causam esse de locutione Pontificis ex cathedra, praeterquam quod per se satis patet, adhuc luculentius constabit ex declaratione eius quod tertio loco iam venit exponendum.

(1) Animadverte hic quod praeter criterium Pontificio documento intrinsecum, praesto etiam est criterium extrinsecum, repositum in sensu totius Ecclesiae a Petro edoctae, qui etiam sensus per unanimem theologorum catholicorum sententiam nobis manifestatur. Sequitur hoc ex principiis certissimis de passiva infallibilitate Ecclesiae. Nam Ecclesiae « indefectibilitas partim quidem consistit in hoc quod Ecclesia docens « non potest in docendo a recto veritatis tramite aberrare, partim vero « in hoc quod Ecclesia edocta non potest deflectere a sequenda do« ctrina sui Pastoris, vel illam aliter ac traditur, recipere ».

(2) Thes. 18, § 1.

3. **Ratio infallibilitatis qua pollet Pontifex loquens ex cathedra.** — Hanc rationem Vaticana Synodus adaequate expressit his verbis: *Per assistentiam divinam ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.* Reducimur ergo ad ea quae in praecedentibus de Ecclesiae magisterio generaliter declarata sunt, ut quidquid explicitus omnium saeculorum christianorum consensus tenuit de infallibilitate Pontificis simul cum corpore episcoporum, vel dispersorum vel in Concilio adunatorum, idipsum de infallibilitate Pontificis etiam seorsum accepti teneatur (1).

In primis, ut infallibilitatis causa assignatur *assistentia divina*, id est specialis providentia cavens ne unquam Pontifex ad definitionem deveniat, nisi illa conformis sit veritati, et intra propriam sphaeram ecclesiastici magisterii contineatur. — Hinc apparet primo, quam longe a recto logicae tramite aberraverint Gallicani illi, qui infallibilitatem in tota Ecclesia docente admittentes, eam uti per se incredibilem in uno Pontifice explodebant. Et sane, si infallibilitatis charisma ex summa luminum quae sunt in Ecclesia resultaret, ratio eiusmodi opinionis satis intelligeretur. Sed si, ut vere est, infallibilitas magisterii nullam aliam causam novit praeter divinam assistentiam, unusquisque statim videt, non esse difficilius concipere assistentiam hanc, sive uni seorsum, sive toti in solidum collegio alligatam et promissam. — Apparet praeterea, quam irrationabiliter voluerint quidam introducere in constitutionem dogmaticam de infallibilitate pontificia, conditiones quae ipsius Pontificis diligentiam in veritate indaganda concernunt. Nam etsi assistentia promissa, ut alias explicatum est, non sit per modum novarum revelationum, sed per modum providentiae quae non excludit, imo connaturaliter exigit et obligatoriam facit diligentem in fontes revelationis ab apostolis traditae inquisitionem, adhuc tamen non in ea inquisitione reponitur infallibilitatis ratio. Iure ergo meritoque observabat episcopus Brixinensis in relatione de emendationibus capitis quarti constitutionis de Ecclesia, conditiones praedictas, utpote conscientiam Pontificis respicientes, ordini potius morali quam dogmatico accensendas esse. « Piissime enim D. N. Iesus Christus charisma veritatis,

(1) Thes. 16, § 2.

« non a conscientia Pontificis soli Deo cognita, sed a relatione « Pontificis publica ad universalem Ecclesiam dependere voluit, « quia alias hoc infallibilitatis donum medium efficax ad unitatem « Ecclesiae conservandam et reparandam non esset. Sed ideo nil « timendum, ac si per malam fidem et negligentiam Pontificis, « universalis Ecclesia in errorem circa fidem induci posset. Nam « assistentia divina Petri successoribus promissa, est causa ita « efficax ut iudicium summi Pontificis, si esset erroneum, impe- « diretur; aut si reapse Pontifex ad definitionem deveniat, illa « infallibiliter vera exsistat » (1). Et haec quidem de infallibilitatis causa.

Deinde eiusdem charismatis assignatur subiectum cum dicitur: *Ipsi in Beato Petro promissam.* In Beato Petro, inquit, ut intelligamus subiectum infallibilitatis esse personam publicam, id est personam capitis formaliter in quantum huiusmodi. Et hinc est quod non promiscue utimur nominibus infallibilitatis *personalis* et *separatae,* quae ambiguum sensum habere possunt. Sane vero, si per hoc nomen *personalis* intendat quis reiicere distinctionem a Gallicanis invectam inter sedem et sedentem, quasi sola sedes esset indefectibilis, non vero singulus quisque ex his qui in ea Petro succedunt, sic vere diceretur infallibilitas personalis. At quia haec locutio facile intelligitur quasi cadens super privatam Pontificis personam, ideo non sustinetur et non est simpliciter concedenda. Et maiorem adhuc aequivocationem secum fert vocabulum *separata,* tum quia videretur excludere omnem cooperationem Ecclesiae in ordine ad praeparandas locutiones ex cathedra, tum praesertim quia innueret subiectum infallibilitatis non esse Pontificem sub formali ratione Capitis, quod utique a corpore separatum nefas est cogitare. Recte ergo dices pontificias definitiones esse irreformabiles ex sese, et non ex consensu Ecclesiae, nam hoc pertinet ad negationem dependentiae: rationem vero separationis seu disiunctionis, quasi dissecti capitis et obtruncati corporis, nusquam insinuabis.

Tandem, suis terminis circumscribitur Pontificis infallibilitas per hoc quod declaratur ea ipsa esse, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam voluit.* Et quia hactenus saltem non eodem certitudinis gradu

(1) Collect. Lac. Tom. 7, col. 401.

venit infallibilitas Ecclesiae in rebus quae definiuntur ut a Deo revelatae, et in aliis quae solum proponuntur ut cum revelatis connexae, sequitur eamdem quoque distinctionem esse introducendam in praesenti. Atque hinc statim apparet, infallibilitatem pontificiam non fuisse in Vaticano Concilio definitam *tamquam de fide* quoad omnia indiscriminatim decreta ex cathedra. Sed hoc ipsum paulo uberius explicare oportet in quarto et ultimo puncto.

4. **Quid circa infallibilitatem locutionum ex cathedra sit de fide definita, quid vero non.** — Dictum est in superioribus, Thes. 17 § 2, infallibilitatem Ecclesiae circa res formaliter revelatas esse fidei articulum, imo talem articulum cuius negatio non simplex haeresis est, sed haeresis vere capitalis, id est radix omnium aliarum haereseon. At de extensione infallibilitatis ad veritates in se non revelatas et secundario tantum ad magisterii obiectum pertinentes, nondum verificari omnes conditiones necessarias ut possit recenseri inter ea dogmata quae *citra haeresim* respui nequeunt. « Haec infallibilitatis extensio, omnibus « theologis consentientibus, veritas est theologica ita certa, ut « eius negatio error esset gravissimus..., quamvis hactenus hae- « reseos damnata non sit » (1). Porro, Patribus Vaticanis visum est nihil super ea re definire, sed quaestionem de integro relinquere in statu in quo erat (2).

Hinc ergo oriebatur difficultas quoad definitionem pontificiae infallibilitatis, quia si decretum conciliare illam limitabat ad solas definitiones dogmatum divinitus revelatorum, eo ipso a censu locutionum ex cathedra excludebantur omnia iudicia quibus Pontifices damnant et censurant propositiones censuris haeresi minoribus, itemque omnia acta quibus aliquid definiunt in materia factorum dogmaticorum, canonizationis Sanctorum, etc. Et hoc erat maxime inconveniens, imo inducens in errorem. Si autem extendebat eam ad totum obiectum ecclesiastici magisterii, iam definiebatur quaestio a qua consulto Patres volebant abstinere.

(1) Card. Franzelin citatus supra, Thes. 17, § 2.

(2) « Cum autem Patribus Deputationis unanimi consensione visum « sit hanc quaestionem nunc saltem non definiendam, sed relinquendam « esse in eo statu in quo est, etc. ». Relatio episcopi Brixinensis ante Sess. IV, Collect. Lac. Tom. 7, col. 415.

Remedium ergo iustae discretionis inventum est in aliqua formula, quae infallibilitatem Pontificis loquentis ex cathedra determinaret per comparationem cum infallibilitate Ecclesiae, asserendo illam ipsam esse qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam voluit. Duo enim inde consequebantur. Primo, de fide definita fore infallibilitatem Pontificis in fidei dogmatibus, id est in decretis quibus proponitur id quod est a Deo revelatum, vel notatur id quod est contradictorie revelationi oppositum. Secundo, certissimam quoque fore, non tamen tanquam de fide definita, eamdem Pontificis infallibilitatem in censuris infra haeresim, in factis dogmaticis, in Sanctorum canonizatione, aliisque huiusmodi. Si quando autem contingeret infallibilitatem Ecclesiae in his etiam materiis explicite definiri, statim et ipso facto evasuram de fide infallibilitatem Pontificis in eisdem, quae quidem infallibilitas non sine gravissimo peccato erroneitatis, sed tamen absque nota haereseos, usque nunc negaretur.

Praestat rem omnem compendiare verbis episcopi Brixinensis in fine relationis factae ad Concilium Vaticanum ante Sessionem quartam, in qua praefata formula fuit definitivo ipsius Concilii iudicio firmata: « In hac definitione (*quae adhuc suffragiis Patrum « proponebatur*), tria sequentia continentur. — Primo, Romanum « Pontificem per promissam sibi divinam assistentiam esse infal- « libilem, cum pro suprema sua auctoritate doctrinam ab uni- « versa Ecclesia tenendam definit, seu ut plures theologi loquun- « tur, definitiva ac terminativa sententia proponit. — Secundo, « obiectum harum infallibilium definitionum esse doctrinam de « fide vel moribus. — Tertio, in hoc obiecto ita generice enun- « tiato infallibilitatem Pontificis nec magis nec minus late patere « quam pateat infallibilitas Ecclesiae in suis definitionibus de « fide et moribus. Unde sicut nemine diffitente, haereticum est Ec- « clesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare, « ita in huius decreti Vaticani vi, non minus haereticum erit ne- « gare summi Pontificis per se spectati infallibilitatem in defini- « tionibus dogmatum fidei. In illis autem in quibus theologice « quidem certum, non tamen hactenus certum de fide est Eccle- « siam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc de- « creto sacri Concilii non definitur tanquam de fide credenda. « Qua vero certitudine theologica constat, haec alia obiecta praeter

« dogmata fidei, comprehendi intra ambitum infallibilitatis qua « pollet Ecclesia in suis definitionibus, eadem certitudine tenen- « dum est ac erit, ad haec etiam obiecta extendi infallibilitatem « in definitionibus editis a Romano Pontifice » ([1]).

Et de sensu Vaticanae definitionis hactenus satis.

§ 2.

Ubi argumenta scripturalia de Pontificia infallibilitate proponuntur.

I. — Prae primis continetur haec veritas in textu Matthaei XVI-18, ut facile constat ex praemissis supra, Thes. 25 § 1. Ibi enim ostensum est, metaphoram petrae importare munus basis firmae et firmantis, supra quam tota de integro reponitur fabrica aedificii, quaeque ipsi aedificio cunctisque eius partibus contra multiplicia ruinarum principia generalis causa exsistit inconcussae consistentiae. Et re quidem vera, id palam efficitur vel ex ipso communi modo loquendi hominum, cum dicunt aliquid esse fundatum supra petram, ut figurative significent inesse ei principium stabilis et invictae soliditatis. Confirmatur quoque ex loco analogo Matth. VII 26, ubi sapienti aedificatori opponitur stultus architectus qui aedificat supra arenam. Unde promptum apertumque est, hunc esse Dominicae sententiae sensum: nulli ruinae Ecclesiam fore obnoxiam, quia et quatenus super petram aedificatur. Sicut si dicerem: haec domus in rupe fundatur et non cadet, procul dubio significarem, ideo non casuram, quia est in rupe fundata.

Quo posito, sic formatur argumentum: Petra Ecclesiae quae auctore Christo, est Ecclesiae universali ratio firmiter consistendi adversus inferi portas, ac per hoc, adversus omnes errores fidei corruptivos: haec, inquam, petra tam in se quam in suo influxu relate ad mysticum aedificium quod sustentat, infallibilis sit necesse est. Quomodo enim inconcussae soliditatis principium exsi-

([1]) Collect. Lac. Tom. 7, col. 416-417. — De criteriis autem distinguendi definitiones quae sunt de ipsis fidei dogmatibus, ab aliis quae sunt de veritatibus solum connexis cum revelatione, vide supra, Thes. 18 § 1.

steret, si hanc ipsam soliditatem in se non haberet? Atqui ex demonstratis, petra Ecclesiae est Petrus seu Romanus Pontifex prout suprema auctoritate auctus. Ergo Romanus Pontifex in supremae auctoritatis apostolicae exercitio est infallibilis. Et quia propria infallibilitatis ratio quoad res doctrinae in magisterio reponitur, dicendum iuxta evangelii verba, quod Pontifex quando ex cathedra loquitur, pollet infallibilitate sese extendente ad ea omnia in quibus attenditur ipsa Ecclesiae indefectibilitas, id est tum ad fidem secundum se, tum ad ea quae sunt cum ipso fidei deposito connexa et ad integralem eius custodiam requisita.

II. — Continetur quoque haec eadem veritas in verbis Christi apud Lucam XXII-31 et seq.: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus* (1) *confirma fratres tuos*. Ad cuius rei evidentiam sufficiet haec tria declarare. Primo, quod verba Domini sunt de Petro prout condistincto a caeteris apostolis vel membris Ecclesiae. Secundo, quod diriguntur ad eum prout est Ecclesiae caput in suis successoribus semper permansurus. Tertio, quod adstruunt praerogativam infallibilitatis doctrinalis, annexam iniuncto muneri confirmandi fratres in fide.

Ostenditur autem primum, nam ut Bellarminus observat l. 4 de Rom. Pont. c. 3, Dominus unam tantum personam designavit dicens bis: *Simon, Simon,* et addens toties pronomen secundae

(1) De sensu participii *conversus*, ἐπιστρέψας triplex datur sententia. « Prima communis : *Postquam a lapsu triplicis negationis resipueris*. Ratio, « usus loquendi N. T. ubi frequenter hoc verbum venit tali sensu in- « transitivo. Vide Matth. XIII-15, Act. III-19, XI-21, XIV-14, 2 Cor. III-16, « 1 Thess. I-9. — Secunda sententia habet ἐπιστρέψας pro hebraismo, « quod idem valet ac adverbium πάλιν, vicissim. Unde sic : *Et tu vicissim « confirma fratres tuos*... — Tertia sententia explicat ἐπιστρέψας, *sollicita « cura intentus,* ut Psalm. VI-5, Ierem. XV-19, etc.... Haec tertia sen- « tentia videtur longius quaesita; caeterae duae probabiles sunt; prae- « placet tamen prima propter allatas rationes, quibus nihil solidi oppo- « situm fuit. Quod enim dicitur, ante verba textus nostri nullam fuisse « factam mentionem lapsus Petri, nihil officit. Nam Christus ad decla- « randum sensum vocis ἐπιστρέψας, statim triplicis negationis praedi- « ctionem subiunxisse censendus est (Luc. XXII. 33-34) ». Corluy, Specilegium dogmatico-biblicum, Tom. 1, Comment. 4.

personae: *pro te, fides tua, et tu, fratres tuos.* Accedit quod Dominus coeperat loqui in plurali: *Satanas expetivit vos*, deinde mox mutavit formam loquendi, et ait: *Ego autem rogavi pro te.* Accedit demum quod non potest expressius contradistingui una persona a caeteris, quam si quis det illi munus confirmandi eos, prout revera habetur in praesenti.

Ostenditur quoque secundum, nam Dominus oravit pro Petro in utilitatem Ecclesiae, sese adversarium opponens Satanae qui procul dubio omnes in futurum fideles cribrare expetiverat. Ut ergo correspondeat dictum Domini in vers. 32, rationi allatae in vers. 31, oportet ut ista: *ego autem rogavi pro te*, referantur ad Petrum prout in finem usque per suos successores mansurum. — Et amplius confirmatur, quia munus commissum Petro non erat pro tempore mox futuro usque ad ascensionem. In his quippe diebus confirmator apostolorum aliorumque fidelium fuit ipse Christus, qui praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei. Pro tempore autem quod ascensionem immediate subsecutum est, omnium et singulorum apostolorum confirmator exstitit Spiritus Sanctus per specialissimum illud charisma de quo supra dictum est, Thes. 26 § 1. Ex quo id demum efficitur, quod multo magis post defunctos apostolos, opus erat Ecclesiae confirmatore Petro contra impetus Satanae. — Nec obstat omnino quod iuxta probabilissimam interpretationem vocis ἐπιστρέψας allusio fiat ad casum Petri, qui utique tanquam persona privata, et non tanquam Ecclesiae caput lapsurus erat et convertendus. Nam etsi appellatio ista, *et tu aliquando conversus*, materialiter accepta respiciat singularem Petri personam, tamen sumpta formaliter secundum quod ad intentum Christi et ad sensum totius orationis confert, omnibus Petri successoribus communis est. Id enim vult Dominus inculcare: donum indefectibilitatis et munus confirmatoris fratrum, ad gratiam gratis datam referendum esse, utpote subiecto ex sese fragili et lapsui obnoxio inexsistens. Quasi dixisset Christus: Et tu qui ex temetipso firmus non es, quique ex sola assistentia a me impetrata indefectibilitatem consequi vales, prout clare ostendet lapsus ille tuus ad huius rei manifestationem permittendus: tu, inquam, confirma fratres tuos. Constat autem conditionem hanc respicere omnes in perpetuum successores Petri, tametsi transfiguretur in facto quod Petro

prout typum gerenti totius successionis Pontificum, personale fuit.

Ostenditur denique tertium, quia quod Dominus rogavit ad incolumitatem et consistentiam suae Ecclesiae, absoluta petitione rogavit, et proinde infallibiliter impetravit, ut certum est ex doctrina de Incarnatione. Haec igitur oratio Christi aequivalet certae et infallibili promissioni. Oravit autem ut nunquam deficeret fides Petri in ordine ad demandatum munus confirmandi Ecclesiam contra errores a Satana disseminatos. Sed hoc nihil aliud erat quam rogare ut praedicatio Petri foret semper verae fidei norma, ac per hoc, ne materialiter quidem a revelatae veritatis tramite unquam deviaret. Nam licet in fideli qui materialiter tantum errat, adhuc debeat dici fides integra in omnibus permanere, eo quod in ipso consideratur fides ut in regulato, qui non obstante materiali suo errore, semper retinet quidquid formale est in conformitate cum regula, non tamen idem valet quoad eum cui dicitur : *confirma fratres tuos.* In eo enim consideratur fides, non ut in regulato, sed ut in regula, de cuius ratione est ut sit undequaque recta. Proinde, idem omnino est fidem Petri confirmatoris fratrum nunquam esse defecturam, ac Petrum esse infallibilem in definiendo doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam, ut pronum sit concludere verbis Vaticanae Synodi, Sess. IV. cap. 4: « Quorum (Pontificum « Romanorum) apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres « amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; « plenissime scientes, hanc Sancti Petri Sedem ab omni semper « errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri « divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : « *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando con-* « *versus confirma fratres tuos* ».

III. — Continetur demum haec eadem veritas, sin minus formaliter ut in duobus praecedentibus testimoniis, at certe virtualiter et deductive, in verbis evangelicis Ioan. XXI-15: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hinc enim efficitur, esse omnibus necessarium necessitate salutis, pertinere ad ovile Petri et audire vocem supremi pastoris a Christo constituti super gregem universum : omnibus, inquam, tam fidelibus quam episcopis qui pastores quidem sunt respectu populorum, sed oves respectu Petri. Cum autem pastoralis auctoritas in Ecclesia per proposi-

tionem credendorum potissimum exerceatur, statim apparet nos omnes iure divino obligari ad credendum et firmiter tenendum quidquid a summo et universali pastore Petro in rebus fidei et morum definitur. Atqui huiusmodi obligatio arguit ex natura rei infallibilitatem doctrinalem in Pontifice, quia procul dubio nequaquam esse potuit ut Deus ligaret Ecclesiam universam ad firmissimum assensum circa ea quae fallibilis auctoritas proponeret.

Ubi vides quod in hoc argumento non praesupponitur ordine logico infallibilitas Pontificis, ad obligationem adhaerendi his quae docet Pontifex ut supremus pastor Ecclesiae. Sed e converso, ex obligatione adhaerendi quam nobis immediate manifestat institutio evangelica de Petro pastore agnorum et ovium, per logicam consequentiam deducitur Pontificis infallibilitas. Et hoc interim nota, quia exinde postea apparebit quomodo locutiones ex cathedra semper habuerunt eamdem ipsam vim quam nunc post Concilium Vaticanum habent, et quomodo sine ullo circulo vitioso potuisset Pontifex, etiam extra oecumenicam synodum, propriam infallibilitatem definire, eamque ut fidei dogma omnibus christianis expresse credendam intimare.

§ 3.

Ubi antiquae Traditionis testimonia afferuntur.

Placuit hic referre quoad principales partes, demonstrationem quam ipso tempore effervescentis controversiae circa declarationem Gallicanam anni 1682, scripsit Fenelon in dissertatione de Summi Pontificis auctoritate. In qua quidem intendit potissimum destruere inventam a Bossuetio distinctionem inter indefectibilitatem Sedis et infallibilitatem Pontificum. Cum enim in tanta evidentia testimoniorum tum Scripturae tum Traditionis, Declarationis auctor non potuisset non confiteri perpetuitatem Sedis Principis apostolorum in ratione centri et capitis totius Ecclesiae, ad ipsas fidei catholicae bases ac radices pertinere, medium iustae discretionis se invenisse putavit, sic dicendo: « Promissum quidem fuisse apostolicae Sedi, eam aeternum fore « Ecclesiae catholicae fundamentum, centrum, atque caput, atque « adeo eam nunquam fore schismaticam aut haereticam, quem-

« admodum plurimae orientales ecclesiae quae catholica commu-
« nione olim gaudentes, in schisma et in haeresim tandem pro-
« lapsae sunt... Enimvero, si sedes illa circa fidem erraret, non
« erraret pertinaci et obstinato animo; a caeteris ecclesiis ad
« rectum fidei tramitem cito revocaretur; simul atque sentiret
« se errare, abdicaret errorem. Unde etiamsi bono animo ali-
« quando erret, attamen schisma et haeresim usque ad consum-
« mationem saeculi declinabit. Itaque haec sedes in iudicando
« falli quidem et errare potest circa fidem, nec tamen fides Petri
« in hac sede deficeret, quandoquidem haec sedes constantissime
« vellet purissimae omnium suae communionis ecclesiarum fidei
« adhaerere. Non erraret cum pertinacia, nunquam vinculum
« communionis abrumperet. Itaque expressissimis promissorum
« vocibus penitus inhaerendo, indefectibilitatem asserendam esse,
« neque tamen admittendam commentitiam Transalpinorum in-
« fallibilitatem » (1). — Hoc igitur veri nominis commentum est, ex tot capitibus plane insubsistens, sibique ipsi non constans, cui applicat Fenelon dictum Augustini ad Iulianum Pelagianum: *Mira sunt quae dicitis, nova sunt quae dicitis, falsa sunt quae dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.* Ex antiqua autem Traditione haec selecta affert in supralaudata dissertatione c. 10-25.

1. **Profertur S. Irenaei testimonium.** — Primo in limine occurrit antiquissimus ille, et apostolorum collegio fere coaequalis Irenaeus: « Ad hanc enim Ecclesiam, ait, propter potiorem prin-
« cipalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est,
« eos qui sunt undique fideles; in qua semper ab his qui sunt
« undique, conservata est ea quae est ab apostolis traditio ».

Primo, non dicit Irenaeus ad hanc Ecclesiam (Romanam) conveniendum esse, si forte non erret in fide docenda. Sed absolute pronuntiat, necesse esse ut omnes fideles, id est, omnes ecclesiae catholicae, ad eam nunquam non conveniant. — Secundo, si haec sedes aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum definiret, tum certe ii qui sunt undique fideles in ea definitione amplectenda convenire non deberent. Imo necesse potius esset ut ab ea sic definiente, et dissentientes excommunicante recederent. — Tertio, ratio propter quam *necesse est* alias eccle-

(1) Apud Fénelon, Dissert. de Summi Pont. auct., c. 7.

sias ad hanc convenire, est ipsius *potior principalitas*. Atqui haec potior principalitas est motivum conveniendi, quod oportet esse actuale singulis temporum momentis. Cessaret autem hoc motivum, si haec sedes in aliquo temporis puncto non iam potentior caeteris, imo multum infirmior, et aliquid haereticum definiens, a caeteris iure merito reprehenderetur. Tum certe ipsa cogeretur ad alias convenire et ab ipsis emendari. — Denique, quare necesse est ad hanc convenire Ecclesiam? Scilicet quia in eius sinu tanquam in centro, *semper conservata est ea quae est ab apostolis traditio*. Haec autem conveniendi ratio nunquam cessare poterit, quandoquidem nunquam non convenire, unitatis servandae causa, necesse est. Ergo nullum unquam erit temporis punctum in quo non oporteat dici a fidelibus: Convenimus ad hanc Ecclesiam, eo quod sit radix, caput, atque centrum traditionis. Quemadmodum enim sanguis in corpore humano, a corde veluti fonte ac centro in extrema membra fluit, ut continuo ab extremis refluat ad centrum, ita etiam ea quae semper conservata est ab apostolis traditio, a fonte ac centro, scilicet Sede apostolica, ad extremas ecclesias fluit, ut ab extremis ad centrum refluat. Quod si sanguis ipsius centri, scilicet cordis, fieret sanies atque tabum, nonne totum corpus corruptum subito interiret? Ita etiam si Sedes apostolica, scilicet centrum sive cor totius Ecclesiae, seu fons et radix totius traditionis, traditionem corrumperet, nonne traditio quae in fonte ac centro purgari debet ac refici, tum temporis in centro sic infecta, totum Ecclesiae corpus suo veneno pollueret? Neque dicas centrum reviviscere et convalere aliquando posse. Namque in hoc defectus intervallo non esset *necesse* ut omnes illuc *convenirent*. Imo quandiu duraret defectus ille, magis necesse esset ut ab ea conventione, scilicet consensione dogmatica circa fidem, sese abstinerent omnes omnium gentium ecclesiae (1).

(1) Irenaeo per omnia consonat alter insignis Graecorum doctor S. Maximus martyr, epist. ad Marinum: « Omnes enim orbis terrarum « fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, « velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam Ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, « ex ipsa effulgurans expectantes iubar.... Ab initio enim quando ad « nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam formam basim « ac fundamentum omnes ubique Christianorum Ecclesiae, quae ibi

2. **Profertur S. Cypriani testimonium.** — « Deus unus « est, ait, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una su- « per petram Domini voce fundata.... Quisquis alibi collegerit, « spargit » (1). Et de unitate Ecclesiae, c. 4: « Probatio est ad « fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Pe- « trum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, etc. ». Revera, magnum est hoc, et facile ad veritatem tuto indagandam *compendium,* si primo ictu oculi spectes quid Petrus in sua Sede doceat. *Quisquis enim alibi collegerit, spargit.*

Alibi Cyprianus de Romana cathedra sic habet (2): « Sci- « mus nos et adhortatos esse ut Ecclesiae catholicae radicem « et matricem agnoscerent ac tenerent ». Si vitiaretur plantae *radix,* planta ipsa continuo marcesceret. Non solum *agnoscenda* est haec radix, sed etiam omnibus diebus sine intermissione *tenenda.*

Alibi sic docet (3): « Navigare audent (haeretici) ad Petri « cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacer- « dotalis exorta est.... nec cogitare eos esse Romanos quorum « fides, apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia ha- « bere non possit accessum ». Itaque ne dixeris ecclesiam prin- cipalem quae omnino singulari privilegio donatur, nunquam esse aliquid haereticum definituram quin cito resipiscat, et eiurata haereticorum perfidia, sibi ipsi humili animo contradicat. Contra, Cyprianus docet ne *accessum* quidem posse dari subdolae hae- reticorum perfidiae ad hanc Sedem circumveniendam. — Cuius quidem principalis ecclesiae suprema auctoritas eo adhuc Cy- priani sermone confirmatur (4): « Quomodo solis multi radii, sed « lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci « radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt,

« (Romae, est, maximam nacti sunt habentque Ecclesiam, ut in quam, « iuxta ipsam Salvatoris promissionem, portae inferi haudquaquam « praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves « habeat, hisque qui cum pietate accedant, solam pietatem aperiat, « claudat vero atque obstruat omne os haereticorum iniustitiam loquens « in excelso ». Patr. graec., Tom. 91, col. 138-139.

(1) Cypr. epist. 40 ad plebem n. 5.

(2) Epist. 45 ad Cornelium, c. 3.

(3) Epist. 55 ad Cornelium, c. 14.

(4) De unit. Eccl. c. 5.

« numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, « unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a cor- « pore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ra- « mum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, « praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per or- « bem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod « ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos « in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes lar- « giter expandit; unum tamen caput est et origo una, et una mater « fecunditatis successibus copiosa ». Porro *unum hoc caput* est apostolica Sedes. Haec est *origo* et *mater*, et *radix*, et *matrix*. Hic est fons *unde unitas sacerdotalis exorta est*. Atqui *unitas non servatur nisi in origine*. Radii a sole separati nihil splendoris habent. Rivi a fonte seclusi protinus arescunt. At vero si fons ipse contagio definitionis haereticae corrumperetur, necesse es- set, aut rivulos a fonte seclusos arescere. aut a fonte venenato infici.

3. **Profertur S. Hieronymi testimonium.** — « Cathedram « Petri, inquit epist. 15 ad Damasum, et fidem apostolico ore « laudatam censui consulendam.... Ubicumque fuerit corpus, illic « congregabuntur aquilae. Profligato a sobole mala patrimonio, « apud vos solos incorrupta patrum servatur haereditas.... Vos « estis lux mundi, vos sal terrae.... Beatitudini tuae, id est ca- « thedrae Petri communione consocior. Super illam petram ae- « dificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum « comederit, profanus est.... Decernite, obsecro, si placet, et non « timebo tres hypostases dicere.... Quamobrem obtestor Beatitudi- « nem tuam per crucifixam mundi salutem, per homousian Tri- « nitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum sive dicenda- « rum hypostaseon detur auctoritas ».

Hieronymus non dicit : Vestrae Sedi me coniungere volo, eo quod ex promissione sciam hanc Sedem, si in fide docenda er- raverit, mox ad rectum fidei tramitem reversuram, et docili erga inferiores ecclesias animo eiuraturam esse suum errorem. Non dicit Hieronymus : Si haec Sedes contra fidem me forte dece- perit, ad hanc fidem repetendam ipsa cito resipiscet, brevis sal- tem erit eius deceptio et meus error. Sed contra, sanctus Doctor ait : *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilae,* id est : Quaecumque dixerit haec Sedes, haec eadem uno ore, una voce,

uno animo dicturae sunt aliae omnes catholicae ecclesiae. Absit vero ut aliae ecclesiae huic principali unquam exprobrent aliquid haereticum ab ipsa definitum fuisse. Contra, Hieronymus declarat eas omnes ecclesias quae, reiecta huius Sedis definitione, a communione fidei sic definitae recederent, *agnum extra unitatis domum esse comesturas,* atque adeo *profanas* fore. Si vero haec Sedes aliquid haereticum definire posset, oportuisset ut maximus ille doctor Hieronymus ita fuisset locutus: Apud vos solos quidem incorrupta patrum hactenus servata est haereditas, sed singulis diebus obscurari, inquinari, et intermitti potest haec traditio. Quod si contigerit, nulla erit in nobis mora quin aperte contradicatur vestrae definitioni.

Obstrepunt critici dicentes, haec oratoris Hieronymi verba non esse dogmatica eius statuta, sed officiosas voces quibus huius Sedis gratiam inire studebat, exaggerata ipsius auctoritate. Verum praeterquam quod assidua et continua haec Patrum placita efficacissimam traditionem contexunt, quaenam alia est, quaeso, sive Alexandrinae sive Constantinopolitanae sedis auctoritas de qua simile quidpiam dictum fuerit, dum gratia imperatorum et praesulum ambitio eiusmodi laudes exigere videbantur? Quod si fas sit indomito criticorum gregi has sententias ex ipsa Christi promissione depromptas, in assentatorium laudandi genus et turpe verborum lenocinium detorquere, ecquis erit omnium Patrum cui tuto credere possis? Quaenam vero assignabitur traditio de infallibilitate Ecclesiae universalis, quam pessimi quique facile non eludant, dicentes verba Patrum de auctoritate Ecclesiae vago et adulatorio animo fuisse scripta?

4. **Profertur S. Augustini testimonium.** — Africani antistites Pelagium et Caelestium in duobus conciliis Carthaginensi et Milevitano damnaverant, tum scripserant ad Innocentium Papam ut sententiae conciliari accederet apostolicae Sedis auctoritas (1). Augustinus vero qui duplicis concilii pars magna fuerat, quique profligandae Pelagianorum haeresi operam acerrime dabat, acceptis Innocentii litteris, in sermone Carthagine ad mensam S. Cypriani habito, haec palam praedicavit: « Redarguite « contradicentes, et resistentes ad nos producite. Iam enim de « hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam. Inde

(1) Apud Migne, P. L. Tom. 20, col. 564 seq.

« etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando « finiatur error ([1]). Igitur causa nondum finita erat per geminum illud Africanae ecclesiae concilium. Verum simul atque rescripta sedis apostolicae venerunt, hoc ipsum quod numerosa haec duo doctissimorum episcoporum concilia infectum ad hanc sedem transmiserant, absolutum et confirmatum intelligitur. Tum *causa finita est.* Neque Augustinus existimavit audiendos esse, sed plectendos Pelagianos, si rescriptis non obsequentes, plenarium Ecclesiae catholicae concilium appellarent. Quippe, ut in eadem causa ad eosdem Africanos aiebat Zosimus Innocentii successor, *tantum est huic Sedi auctoritatis, ut nullus de eius possit retractare sententia* ([2]). Ideo praecise causam Pelagianorum finitam esse asseverabat Augustinus. Ex quo patet ipsum censuisse, Sedem apostolicam causas fidei cum suprema auctoritate finire.

Eamdem vero sententiam mirifice inculcat summus ille Doctor, dum Donatistas ita increpat: « Scitis Catholica quid sit, « et quid sit praecisum a vite.... Ideo non rebaptizamus, quod « unum signum est in fide: non quia vos sanctos videmus, sed « solam formam tenere. Quia ipsam formam habet sarmentum « quod praecisum est de vite; sed quid illi prodest forma, si « non vivit de radice? Venite, fratres, si vultis ut inseramini in « vite. Dolor est cum vos videmus praecisos ita iacere. Nume- « rate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum « quis cui successit videte. Ipsa est petra quam non vincunt su- « perbae inferorum portae » ([3]). Porro *vivere de radice,* est Ecclesiae matrici et radici in amplectenda ipsissima fide quam definit, intimo mentis assensu adhaerere. Unde non vivit de radice quisquis eius definitiones repudiat; praecisum est a vite quidquid unquam ab ea radice dissentit. Ideo novatores praecisi iacent, quod ipsam aliquid haereticum definivisse contendant. Haec autem radix est *ipsa Petri sedes,* quae est immotum unitatis centrum, unde in ramos fluit vitalis purae traditionis humor et succus. — Ne vero dixeris hanc radicem per aliquod temporis intervallum marcescere, et vitiato germine amaros fructus gignere posse, sed mox esse felicius repullulaturam. Nullum enim

([1]) August. Serm. 131, n. 10.
([2]) Apud Migne, P. L. Tom. 20, col. 676.
([3]) August. Psalm. contra partem Donati, sub littera S.

unquam nisi salubre fidei germen emissura est. Quippe, compendium investigandae fidei est videre *patrum in ea sede successionem;* id quod tenuerint, semper tenendum est. Neque *inferorum portae* eam vel leviusculo temporis spatio vincent, ut errore admisso deiiciatur. Ipsa pollicitatio qua Christus promisit universalem Ecclesiam a portis inferi, id est ab erroris insidiis *nunquam vinci* posse, certos nos facit, teste Augustino, hanc Sedem singulari Petri contra errorem privilegio gaudere.

5. **Profertur Magni Leonis testimonium.** — Sanctus ille Pontifex sedem a sedente distinguendam esse docet, sed longe alio sensu ac Gallicani: « Nec abest, inquit Serm. 2 in anniver-« sario ordinationis suae, ab hoc coetu, etiam beatissimi Petri « pia dignatio et fida dilectio..., probans ordinatissimam totius « Ecclesiae charitatem quae in Petri sede Petrum suscipit, et a « tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit hae-« redis ». Itaque Petrum quidem, non autem successoris personam, forte minus dignam, in sede aspicias monet. — Et in Serm. 3, c. 2: « De cuius (Christi) principali aeternoque praesidio, etiam « apostolicae opis munimen accepimus, quod utique ab opere suo « non vacat, et firmitas fundamenti cui totius Ecclesiae super-« struitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lacessit. « Soliditas enim illius fidei quae in apostolorum principe est « laudata, perpetua est, et sicut permanet quod in Christo Pe-« trus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit ». En vides *aeternum esse hoc praesidium,* atque adeo opem hanc praesentissimam ne tantillum quidem cessare posse. Praeterea, *apostolicae opis munimen ab opere suo non vacat,* ne deficiat unquam Petrus in sua sede fidem rectam docens. Insuper memineris firmitatem universalis Ecclesiae consistere *in firmitate fundamenti cui totius Ecclesiae superstruitur altitudo.* Hinc est *soliditas fidei* in hac Sede docendae; scilicet perpetua est, et nulla erit dies in qua haec fides in hac Sede non vigeat. Sicut denique aeterna permanet Petri confessio, ita *permanet quod in Petro Christus instituit,* nempe ut omnibus diebus usque ad consummationem saeculi fides eius indeficiens gentes doceat et fratres confirmet. Id vero totum ea ratione innititur, quod Petrus dilecti gregis custodiam non reliquit, ut ibidem sanctus Leo egregie docet.

Alibi sic ait (1): « Qui (Petrus) sedi suae praeesse non de-« sinit, et indeficiens obtinet cum aeterno Sacerdote consortium. « Soliditas enim illa quam de Petra Christo etiam ipse petra fa-« ctus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes, et ubi-« cumque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet forti-« tudo pastoris.... Quis gloriae beati Petri tam imperitus erit aut « tam invidus aestimator, qui ullas Ecclesiae partes non ipsius « sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? » Ex quibus verbis liquidissime fluit, Petrum omnibus nullo excepto diebus, in hac sede praeesse, loqui et docere, atque *indeficiens* ministerium ab ipso exerceri. Quaero igitur an Petrus possit aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum definire. Respondet Leo: *In suos sese transfudit haeredes*. In illis vivit ac docet; in ipsis ipse petra est, quae neque moveri potest, neque aedificium superstructum quati sinit. En haec est Sedis apostolicae indefectibilitas in docenda fide: Petrus quippe petra factus sese transfudit in suos haeredes, et indeficiens est eius ministerium.

6. **Profertur S. Bernardi testimonium.** — « Oportet, in-« quit epist. 190 ad Innocentium II de erroribus Abaelardi, ad « vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emer-« gentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. « Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, « ubi fides non potest sentire defectum ». Quem vero hominum negare non puderet fidem Sedis apostolicae in docendo sensuram esse defectum, si definiret aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum. Cum autem Bernardus absolute negaverit huius sedis fidem posse sentire defectum, evidentissimum consectarium est, hanc sedem, teste Bernardo, non posse aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum definire.

Eodem spiritu ductus sanctus doctor, sempiternum Gallicanae ecclesiae lumen atque decus, ad Canonicos Lugdunenses epist. 174, n. 9 aiebat: « Quae autem dixi (2), absque praeiudicio sane « dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae aucto-« ritati atque examini totum hoc sicut et caetera quae eiusmodi « sunt, universa reservo. Ipsius, si quid aliter sapio, paratus « iudicio emendare ». Nefas autem esset se suamque fidem sic ab-

(1) Serm. 5 in anniversario ordinationis suae, circa finem.
(2) De festo Conceptionis B. M. V.

solutissime permittere incerto iudicio huius Sedis, quae definire posset aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum. Neque certe leviuscula adulatione haec dicebat vir ille apostolicus, qui tot ac tanta pontificibus contra ambitionem Romanorum clericorum sui temporis acerrime scripsit. Namque alibi haec habet, epist. 198 ad Innocentium II, n. 2: « Et quidem ex privilegio « Sedis apostolicae constat, summam rerum ad vestram potis- « simum respicere summam auctoritatem et plenariam pote- « statem ».

7. **Profertur S. Thomae testimonium.** — Ita Doctor angelicus sententiam explicat 2-2, Q. 1, art. 10: « Ad illius aucto- « ritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet « finaliter determinare ea quae sunt fidei ut ab omnibus incon- « cussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi « Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones « referuntur. Unde et Dominus Luc. XXII, Petro dixit: *Ego ro-* « *gavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus,* « *confirma fratres tuos* ».

8. **Profertur Concilii VI testimonium.** — Promptum quidem esset innumera Patrum atque insignium cuiusque aetatis auctorum testimonia contexere. Verum, ut brevitati studeam, ad maiora argumenta iam propero: scilicet peremptoriam generalium conciliorum auctoritatem aggredior.

In quarta actione Concilii sexti (Constantinopolitani III) recitata est epistola Agathonis Papae ad augustos imperatores quae sic habet: « Cum duas autem naturas duasque naturales « voluntates et duas naturales operationes confitemur in uno D. « N. I. C., non contrarias eas, nec adversas ad alterutrum di- « cimus.... Haec est apostolica atque evangelica traditio quam « tenet spiritalis vestri felicissimi imperii mater apostolica Christi « Ecclesia. Haec est christianae religionis vera atque immaculata « professio, quam non humana adinvenit versutia, sed Spiritus « Sanctus per apostolorum principes docuit.... Et ideo cum corde « contrito et profluentibus lacrymis mente prostratus exoro, por- « rigere dignemini dexteram apostolicae doctrinae quam Petrus « apostolus tradidit, ut non sub modio condatur, sed tuba clarius « in toto orbe praedicetur. Quia eius vera confessio a Patre de « coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse « pronuntiatus est Petrus, qui et spirituales oves Ecclesiae ab

« ipso Redemptore omnium, terna commendatione pascendas su-
« scepit. Cuius annitente praesidio, haec apostolica eius Ecclesia
« nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.
« Cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, sem-
« per omnis catholica Christi Ecclesia, et universales synodi fi-
« deliter amplectentes, in cunctis secutae sunt.... Haec est enim
« verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis viva-
« citer tenuit ac defendit haec spiritalis mater, quae per Dei
« omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam
« errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succu-
« buit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus
« suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus per-
« manet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicita-
« tionem quam suorum discipulorum principi in sacris evange-
« liis fatus est: *Petre, Petre,* inquiens.... *ego rogavi pro te ut non*
« *deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*
« Consideret itaque vestra clementia quoniam Dominus et Sal-
« vator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam
« promisit, confirmare eum fratres suos admonuit. Quod aposto-
« licos pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fe-
« cisse, cunctis est cognitum » ([1]).

En haec est cathedra falli nescia circa fidem: quippe quae *nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est;* imo *eius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales synodi, fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt,* videlicet quia princeps apostolorum in ea Sede vivit et loquitur. Quamobrem ne credas id hactenus factum fuisse ex industria, diligentia, et eruditione Romani cleri. Hoc fit *annitente Petri praesidio;* haec est ipsius auctoritas. Fides eius in eius sede *illibata fine tenus permanet secundum ipsius Domini pollicitationem.* Nimirum Christus *fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit.*

Absit autem ut haec Sedes ad generale Concilium legatos miserit, qui a concilio discant an haec ipsa Sedes in definienda fide erraverit, necne. Audi Agathonem in altera epistola ad au-

([1]) Epist. 1 Agathonis ad imperatores, apud Migne, P. L. Tom. 87, col. 1168 seq.

gustos imperatores quae fuit velut instructio legatorum: « Per-
« sonas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus diri-
« gere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae
« omnium nostrum, id est universorum per septentrionales vel
« occiduas regiones episcoporum suggestionem, in qua et apo-
« stolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, offerre de-
« beant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut
« certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre » (1).
— In priore autem epistola haec scripserat de legatis a se ad generale concilium mittendis: « In quantum eis duntaxat iniun-
« ctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel
« mutare; sed traditionem huius apostolicae Sedis, ut a prae-
« decessoribus apostolicis pontificibus instituta est, sinceriter
« enarrare » (2). Ita legati procuratores, ne lato quidem ungue procurationem excedere poterant. Apostolica vero Sedes benigne patiebatur ut negotium ad generale concilium deferretur, nimirum eo fine ut maiori pompa et celebriore omnium ecclesiarum consensione confirmaretur Sedis apostolicae *compendiosa definitio*, non autem ut definitio ab ea Sede iam pronuntiata possit immutari. Nefas est quippe de dogmatibus ab hac Sede iam definitis, *tanquam de incertis contendere*. Eiusmodi definita, etiamsi compendiosa definitione ad generale concilium proferantur, habenda tamen sunt ut *certa et immutabilia*. Et haec sunt quae ad augustos imperatores missa, et in quarta Concilii VI actione recitata, non solum approbantur, sed etiam inseruntur in ipso huius actionis contextu.

Num credibile est, quaeso, concilium generale huic auctoritati supra modum sese extollenti non contradixisse, si revera supra modum sese extulisset? Oportuisset sane id fieri, si Sedes haec ita errori obnoxia ut aliquid haereticum posset definire, suam ementitam infallibilitatem impudentissime iactasset. At contra, in prosphonetico sive acclamatorio sermone, conclamant Concilii Patres: « Inspiratione Sancti Spiritus conspiran-
« tes, et ad invicem omnes consonantes atque consentientes, et
« Agathonis sanctissimi patris nostri et summi Papae dogma-
« ticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes,

(1) Epist. 3 eiusdem, ad eosdem, ibid. col. 1225.
(2) Epist. 1, ibid., col. 1165.

« necnon et suggestioni sanctae, quae sub eo est synodi cen-
« tum viginti quinque patrum concordantes, etc. ».

Neque vero nisi absurde dici potest hanc Agathonis epistolam comprobari quidem a Concilio in dogmate contra Monothelistas asserto, non autem in iis quae de auctoritate Sedis apostolicae inculcat. Enimvero si Sedes apostolica hac suprema auctoritate careret, quid iniquius, quid superbius, quid periculosius, quid rerum ordini infestius, quam ea insulsa tantae auctoritatis arrogantia, qua Pontifex ne concilio quidem subiacere velit? Quid vero indecentius, quam ut ea dicta sint ipsi Concilio, ipsum vero conticescat? Imo Concilium generatim et absolute totam hanc chartam approbat et in actorum contextu inserit. Rursus exclamant Patres: « Summus autem nobiscum con-
« certabat apostolorum princeps. Illius enim imitatorem et sedis
« successorem habuimus fautorem, et divini sacramenti myste-
« rium illustrantem per litteras. Confessionem tibi a Deo scri-
« ptam illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem
« vespertinis partibus extulit charta, et atramentum videbatur,
« sed per Agathonem Petrus loquebatur » (1). Huic sermoni acclamatorio absque ulla restrictione subscribunt singuli patres Concilii, eumque suum faciunt. Quod autem singulari observatione dignum videtur, hoc totum factum est in hoc ipso concilio generali, quo Pontificem Honorium, haereticorum sive haeresi faventium numero adscriptum legimus.

Haec igitur per se patent: Primo, expressissimis Agathonis vocibus evidentissime adstruitur infallibilis in fide docenda sedis apostolicae auctoritas, quam *in cunctis sequuntur ipsae universales synodi,* quaeque *ex ipsa Christi pollicitatione* omnino constat. — Secundo, si falsa esset ea assertio, profecto foret in se perniciosa fidei, generali concilio contumeliosa, Ecclesiae subordinationi quam maxime inimica, impia denique ac schismatica. Ergo multo plus metuenda esset atque damnanda, quam gemina haec Honorii epistola, quae tantummodo unam aut duas in Christo voluntates atque operationes affirmari, pacis servandae causa vetabat. Ergo si falsa visa fuisset haec assertio Agathonis, hanc asperrima censura confutari oportuisset. At contra, Patres totam hanc chartam, ne restricta quidem illa

(1) Apud Labbe, Conc. Constantin. III, Act. 18.

infallibilis et supremae auctoritatis assertione, ratam faciunt, eamque ut suam in actis inseri iubent. Neque tantummodo Patres declarant hanc Sedis apostolicae expositionem rectam ac puram esse, sed insuper fatentur eam rectae fidei expositionem idcirco tam apposite fieri ab Agathone, quod *Petrus per Agathonem locutus fuerit,* quod ipse Petrus *incarnationis mysterium divinitus eloquatur,* quod denique *mentis oculis contuiti sint Petrum verba haec per suas litteras Christo facientem: Tu es Christus filius Dei vivi,* etc. Haec porro, ad verba Agathonis suam sedem extollentis alludere et consonare, nemo sanae mentis non videt. Nec dicas denique Agathonem nolle ut sua sententia subiaceret sententiae Concilii, eo quod eius sententia iam confirmata esset a Romano 125 episcoporum concilio. Nam particulare illud concilium 125 episcopis constans, si sedis apostolicae auctoritatem sustuleris, non tanta auctoritate pollet, ut eius sententia sit *immutabilis,* et a generali concilio reformari nequeat. Ergo haec sententia in hoc erat *immutabilis,* quod Petri fides in sua sede nunquam deficiat. Hoc certe Agatho et concilium unanimi sensu clamant (1).

9. **Profertur Concilii VIII testimonium.** — Quid, quaeso, critici obiicient formulae quae in exstinguendo Acacii schismate ab Hormisda pontifice missa erat? Hanc ab episcopis Orientalibus subscribi iubebat, si catholica communione donari vellent; igitur ad fidem pertinet doctrina huius formulae. Hanc ipsissimam de verbo ad verbum postea exscripsit octava synodus oecumenica (Constantinopolitana IV), ut ab omnibus qui Photio adhaeserant, subscriberetur. Ita vero habet haec formula: « Prima salus est rectae fidei regulam custodire, deinde a con-

(1) Nota bene, idem omnino argumentum trahi ex auctoritate Concilii IV (Chalcedonensis), quia eodem prorsus modo quo se gessit Agatho in Concilio VI, sese gesserat S. Leo in Chalcedonensi. Sic enim ipse scripserat ad Patres Concilii (epist. 93, c. 2): « Unde, fratres ca-
« rissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus in-
« spiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi
« quod non licet credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secun-
« dum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime et lu-
« cidissime per litteras quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum
« misimus, fuerit declaratum quae sit de sacramento incarnationis D.
« N. I. C. pia et sincera confessio ».

« stitutis Dei et Patrum nullatenus deviare... Et quia non po-
« test D. N. Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es*
« *Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* haec
« quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede
« apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et
« sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide atque doctrina
« separari minime cupientes, et patrum, et praecipue sanctorum
« Sedis apostolicae praesulum sequentes in omnibus constituta,
« anathematizamus omnes haereses... Sequentes in omnibus
« apostolicam Sedem, et observantes eius omnia constituta, spe-
« ramus ut in una communione quam Sedes apostolica praedi-
« cat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae re-
« ligionis soliditas: promittentes etiam, sequestratos a commu-
« nione Ecclesiae catholicae, id est non consentientes Sedi apo-
« stolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse my-
« steria ».

Primo agitur de *regula fidei,* quae *prima salus est.* Quamobrem, in ea subscribenda formula totus Oriens cum toto Occidente sedi apostolicae addictissimo penitus consensit. — Secundo, commemoratur promissio Petro a Christo facta. Itaque agitur de auctoritate ex Christi promissis instituta, quam certe si quisquam hominum neget, schismaticus est instar Acacii et Photii, neque Ecclesiae corpori adhaeret, quippe qui a capite divellitur. — Iam tertio, praeterita sedis apostolicae integritas in fide docenda non est fortuitus et felix eventus qui in posterum cessare poterit. Namque *Christi promissiones rerum probantur effectibus.* Igitur haec fidei integritas hactenus servata, sic promissis innititur, ut nihil sit dubitandum an sedis apostolicae fides futura sit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, quemadmodum et hucusque fuit. Hinc est quod episcopi in hac formula subscribenda absolutissime profiteantur se velle *sequi in omnibus apostolicam sedem, et observare eius omnia constituta.* Insuper dicitur: *promittentes etiam, sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est non consentientes apostolicae sedi,* etc. Nimirum asseverant haec duo minime inter se differre, scilicet communionem Ecclesiae catholicae, et sedis apostolicae communionem. Neque certe immerito id dicitur, nam ubicumque est caput, ibi est et corpus Ecclesiae quod discerpi nunquam potest. Sed si haec sedes aliquid haereticum a tota Ecclesia

credendum definiret, ut a criticis supponitur, quaero quid tum singuli antistites facerent. Liceretne dicere: *Sequor in omnibus apostolicam sedem, et observabo eius omnia constituta. Promitto fore mihi sequestratos a communione catholica, huic sedi non consentientes?*

Ergo liquet hanc Sedem non posse falli, aut si id fieri possit, impiam esse hanc Hormisdae formulam, a toto Oriente una et Occidente in octava synodo datam ut regulam fidei.

10. **Profertur Florentini Concilii testimonium.** — « Diffinimus, ait, sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pon« tificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pon« tificem Romanum successorem esse beati Petri principis apo« stolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, « et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere. Et « ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi univer« salem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam « esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum concilio« rum et in sacris canonibus continetur » (1).

Haec est professio cui Graeci simul cum Latinis subscripserunt. In qua quidem ponitur ut fidei dogma, Sedem apostolicam esse *totius Ecclesiae caput,* eiusque Pontificem esse *Christi vicarium, omniumque christianorum patrem ac doctorem,* ita ut haec sedes *plena potestate* a Christo donata *universalem Ecclesiam*

(1) Brevitatis gratia omitto ea quae circa interpretationem verborum, *quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum, etc.*, habet Fenelon contra criticos sui temporis, quorum pedissequi non ita pridem exstiterunt Döllinger et socii. Volebant critici illi, his verbis importari limitationem praecedentium, quasi plenitudo potestatis in Pontifice diceretur iis finibus contineri, quos gesta conciliorum et sacri canones apponunt. At rei veritas habet quod verba ista pertinent pure et simpliciter ad historicam definitionis confirmationem, ut non sit sensus: Definimus traditam esse Pontifici plenam potestatem intra limites positos a conciliis et canonibus, sed: Definimus conformiter ad ea quae iam in gestis oecumenicorum conciliorum et sacris canonibus continentur, Romanum Pontificem, etc. Et sane, ut aliae rationes nunc omittantur, solus hic sensus est quem patitur ly *quemadmodum etiam.* Unde Döllinger contendebat legendum esse, *quemadmodum et.* Sed lectionem hanc esse mendosam, multis ostendit Cecconi, Collect. Lac. Tom. 7, pag. 1480 seq.

gubernet. Porro id quod singulis temporum momentis est obiectum fidei, in singulis temporum momentis verum est, et nunquam deficit. Ergo in singulis temporum momentis usque ad consummationem saeculi, verum erit hanc sedem esse aeternum totius Ecclesiae caput, atque adeo in fide docenda catholicos omnes episcopos confirmaturam; verum erit, hanc sedem plena potestate semper donatam fore, eiusque pontificem Christi vices gerentem, universalem Ecclesiam gubernaturum. Si vero sedes apostolica aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum definiret, quamdiu non revocaret hanc definitionem quae foret fidei nostrae contagium et pestis, tamdiu non esset caput membra confirmans, imo esset membrum aegrotum et iacens, a caeteris corripiendum et sanandum. Petri successor in eo temporis intervallo Christi vices non gereret; neque gentes fidem doceret, sed seduceret contra Christi fidem; neque omnium christianorum esset pater atque doctor, sed gentium seductor et in depravanda fide magister. Ergo ex professione Florentina certissime sequitur, sedem apostolicam esse semper in definienda fide infallibilem.

11. **Proferuntur testimonia Ecclesiae gallicanae.** — Accedant denique testimonia illiusmet ecclesiae quae sub finem saeculi XVII, in persona quorumdam antistitum suorum, initium dedit novitati, postmodum sub eius nomine vulgatae.

Certe, paucis etiam annis ante famosam Declarationem, id est anno 1650, octoginta et octo Galliarum antistites de condemnanda Ianseniana doctrina ad Innocentium X ita scribebant: « Maiores causas ad Sedem apostolicam referre solemnis Eccle« siae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo « retineri pro iure suo postulat ». Anno autem 1653, iidem episcopi in Parisiensi urbe congregati, statim post acceptam Constitutionem sedis apostolicae contra Iansenium, eumdem Innocentium X his vocibus compellabant: « Quo in negotio, illud « observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad episcopo« rum Africae relationem Innocentius I pelagianam haeresim « damnavit olim, sic ad Gallicanorum episcoporum consultatio« nem, haeresim ex adverso pelagianae oppositam Innocentius X « auctoritate sua proscripserit. Enimvero vetustae illius aetatis « Ecclesia catholica, sola cathedrae Petri communione et aucto« ritate fulta, quae in decretali epistola Innocentii ad Africanos

« data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos or-
« bis episcopos epistola subsecuta est, pelagianae haeresis
« damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim
« habebat, non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro
« facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex anathe-
« matismis adversus Apollinarem et Macedonium (nondum ab
« ulla synodo oecumenica damnatos) a Damaso paulo antea iactis:
« iudicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata
« super episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis
« sententiam episcopi ponant, sive omittant), divina aeque ac
« summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani
« omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium praestare
« teneantur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, Romanae
« Ecclesiae praesentem quae in summo pontifice Innocentio X
« viget auctoritatem, debita observantia colentes, constitutionem
« divini numinis instinctu a Beatitudine Vestra conditam, nobis-
« que traditam ab illustrissimo Athenarum episcopo nuntio apo-
« stolico, et promulgandam curabimus, etc. ». His verbis per-
spicuum est, sedem apostolicam iuxta mentem Gallicani cleri, *non solum ex pollicitatione Petro facta,* verum etiam *ex priorum vetustae Ecclesiae pontificum anathematismis,* de fide definivisse, ita ut definitio *sola cathedrae Petri auctoritate fulta esset.* Id compluribus exemplis demonstratur. Insuper additur eiusmodi definitiones, etiamsi consultantes episcopi suam sententiam nondum proposuerint, *divina aeque ac summa,* adeoque infallibili, *per universam Ecclesiam auctoritate niti.* Ita, inquiunt, *pro sancienda regula fidei a summis pontificibus lata est sententia, cui christiani omnes ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.* Porro, *ea sententia ac fide imbuti* Gallicani antistites certissime credebant, *constitutionem Innocentii X divini numinis instinctu conditam esse.* Quid quaeso, luculentius, quid expressius desiderari potest? — His sane alludebat postea Clemens XI in Brevi *Gratulationes,* reprehendens aliquot Gallicanae ecclesiae episcopos de eo quod praesumpsissent revocare ad suum examen et iudicium constitutionem *Vineam Domini* anni 1705, (ex qua tamen edoceri potuissent, Pontificem in hac causa non eorum consilium exposcere, non rogare suffragia, non exspectare sententiam, sed obedientiam iniungere): « Quasi vero, aiebat
« Clemens XI, eadem apostolica iudicia pro sancienda fidei re-

« gula a summis Pontificibus lata, *quae paucos ante annos divina* « *aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, omnis* « *Gallicana Ecclesia datis ad praedecessores nostros litteris palam* « *professa est,* modo fere infirma debeant ac veluti nutantia re- « putari, nisi superveniente vestro, paucorum scilicet episcopo- « rum iudicio fulciantur ». In eadem quoque epistola recitabat Pontifex *veteres gallicanos canones,* ex quibus tanquam de innovatione, quod attinet ad reformabilitatem dogmaticorum iudiciorum Romani Pontificis, aperte convincerentur auctores Declarationis anni 1682. Sed omnia referre nunc non vacat. — Placet tamen addere conclusionem quam post relatas litteras Gallicanorum antistitum ad Innocentium X, habet Fenelon (ex quo, paucis omissis vel additis, omnem hanc demonstrationem transcripsimus): « Ita certe, ait c. 25, nostri Cisalpini fere omnes « sentiebant, antequam critici et ianseniana sectae fautores « haec per se lucidissima, argutiarum officiis obscuravissent. « Eodem spiritu unitatis acti erant episcopi Gallicanae gentis in « comitiis generalibus, dum in epistola 28 Martii 1654, asseve- « rabant caeteris regni episcopis, definitionem Sedis apostolicae « esse supremam in damnanda lanseniani libri doctrina: *Quan-* « *quam,* inquiebant, *sola per se ad id sufficiat Constitutio.* Ita « etiam generalia cleri Gallicani comitia, anno 1661, ad Alexan- « drum VII haec scripserunt: *Tu enim is es, Beatissime Pater,* « *in quo et per quem episcopatus unus est: qui merito inde di-* « *ceris apex sacerdotii, fons ecclesiasticae unitatis, Ecclesiae ver-* « *tex et princeps episcopalis coronae. Fiat ergo per te ut idem* « *dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Fiat, inquam,* « *pax in virtute tua* » [1].

Et de argumento quidem traditionis, quo Vaticana definitio plenissime vindicatur, hactenus satis.

[1] Promptum quoque esset, ipsissimos Gallicanae Declarationis auctores vel defensores secum ipsis opponere, ut in iisdem personis appareant, hinc quidem episcopi spiritu catholicae traditionis imbuti, illinc vero homines vel studiis partium vel pressione civilis potestatis in devia abrepti. Id quidem optime observat Comes de Maistre, *du Pape,* l. 1, c. 8: « Qu'un petit nombre d'évêques choisis, animés, ef- « frayés par l'autorité (*ubi alludit ad modum quo coacta fuerant comitia* « *anni 1682*), se permettent de prononcer sur les bornes de la souve- « raineté qui a droit de les juger eux-mêmes, c'est un malheur et

§ 4.

Ubi praecipua in contrarium argumenta solvuntur.

Obiiciuntur primo facta historica, potissimum vero gesta Liberii, Vigilii, et Honorii. Sed in re adeo eliquata et doctorum crisi toties ventilata, satis erit pauca quaedam adnotare.

I. — Et primo quidem lapsus Liberii a plerisque melioris notae criticis ut fabula ab Arianis inventa, nunc fere exploditur. Unde videtur subtrahi vel ipsum difficultatis praesuppositum. Caeterum, quacumque hypothesi facta quantum ad materialem facti veritatem, nihil prorsus detrimenti capit dogma Vaticanum. Non enim hic agitur de decreto ex cathedra quo Pontifex Aria-

---

« rien de plus ; on ne sait pas même ce qu'ils sont. Mais lorsque des « personnages du même ordre légitimement assemblés, prononcent « avec calme et liberté.... sur les droits et l'autorité du Saint-Siège, « alors on entend véritablement le corps fameux dont ils se disent « les représentants, *c'est lui* véritablement. Et lorsque quelques années « après, d'autres évêques fulminent contre ce qu'ils appellent si juste- « ment *les servitudes de l'Eglise Gallicane* (servitutes potius quam liber- « tates), *c'est encore lui,* c'est cet illustre corps qu'on entend et auquel « on doit croire ». Et hoc ipsum statim confirmat auctor exemplo Sancti Cypriani : « Lorsque S. Cyprien dit en parlant de certains brouil- « lons de son temps : *Ils osent s'adresser à la chaire de S. Pierre, à « cette Eglise suprême où la dignité sacerdotale a pris son origine... Ils « ignorent que les Romains sont des hommes auprès de qui l'erreur n'a « point d'accès*, c'est véritablement saint Cyprien qu'on entend, c'est « un témoin irréprochable de la foi de son siècle. Mais lorsque les « adversaires de la monarchie pontificale nous citent *usque ad nau- « seam* les vivacités de ce même saint Cyprien contre le pape Etienne, « ils nous peignent la pauvre humanité au lieu de nous peindre la « sainte tradition. C'est précisement l'histoire de Bossuet. Qui jamais « connut mieux que lui les droits de l'Eglise Romaine, et qui jamais « en parla avec plus de vérité et d'éloquence ? Et cependant ce même « Bossuet emporté par une passion qu'il ne voyait pas au fond de « son cœur, ne tremblera pas d'écrire au Pape avec la plume de « Louis XIV, *que si Sa Sainteté prolongeait cette affaire par des ména- « gements qu'on ne comprenait pas, le Roi saurait ce qu'il aurait à faire, « et qu'il espérait que le Pape ne voudrait pas le réduire à de si fâ- « cheuses extrémités* ».

nam impietatem Ecclesiae credendam proposuisset, sed ad summum de subscriptione formulae Sirmiensis, violentia et aerumnis exsilii extorta. De qua etiam formula constat quod negative tantum a rectae fidei tramite deflectebat, pro quanto scilicet in ea reticebatur vox *consubstantialis,* contra quam tunc temporis, velut contra orthodoxiae tesseram, omnis haereticorum furor exardescebat. Quare omnibus modis, nulla omnino conclusio, quia factum ostenderet peccabilitatem Pontificis quam nemo negat; cum fallibilitate autem supremi Doctoris nihil commune habet.

II. — Paulo maius, specie quidem tenus, fundamentum adversariis suppeditat Vigilius in causa trium capitulorum. Ut autem in re satis intricata conveniens lumen afferatur, historicus quaestionis status per prius est breviter exponendus.

Nomine trium capitulorum veniunt in primis scripta Theodori Mopsuesteni, qui primus, ut videtur, Nestorianae haereseos auctor, duobus annis ante Synodum Ephesinam, anno scilicet 429, defunctus erat. De quo haec habet Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Ioannem Antiochenum: *Quae prolata est in sancta Synodo Ephesina definitio veluti a Theodoro disposita, sicut offerentes dicebant, nihil habens sanum, evacuavit quidem eam Sancta Synodus veluti perversarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos qui sic sapiunt. Dispensatim vero mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios* (1). Veniunt deinde scripta Theodoreti et Ibae, Nestoriana item labe infecta. Erant autem Theodoretus et Ibas episcopi qui interfuerant Concilio Chalcedonensi, viginti annis post Ephesinum contra Eutycheten celebrato. Nec verum est scripta eorum fuisse a Patribus Chalcedonensibus approbata. Sed cum Theodoretus ab episcopis Aegyptiis tanquam haeresi Nestoriana infectus traduceretur, examinatus dixit anathema Nestorio, litterisque S. Leonis sine ulla cunctactione subscripsit, et ideo a Patribus receptus est (2). Ibas vero itidem accusatus, mutando refutavit ea quae contra capitula S. Cyrilli scripserat, addito anathemate contra Nestorium, et ipse quoque a Concilio in honore episcopatus restitutus fuit (3).

(1) Testimonium Cyrilli refertur in Constituto Vigilii, Migne P. L. Tom. 69, col. 99.

(2) Migne, ibid. col. 102.

(3) Migne, ibid. col. 106.

Et haec quidem in Ephesino et Chalcedonensi acta erant, cum centum circiter post Chalcedonense annis, controversia de tribus capitulis maxime exarsit.

Nam cum Eutychiani essent per omnia oppositi Nestorianis, sumpserunt occasionem reiiciendi Concilium Chalcedonense sub eo praetextu quod Nestorio favisset, non condemnando capitula Theodoreti et epistolam Ibae, in quibus Theodori Mopsuesteni laudes continebantur. Inde diabolus, adiuvante graeca subtilitate et perfidia, inextricabiles quosdam laqueos insigni arte disposuit. Cum enim Iustinianus imperator cogitaret severitate legum compescere Acephalos seu Eutychianos qui graves motus in Oriente et in Aegypto excitabant, persuasum illi fuit a Theodoro episcopo Caesareensi Eutychianorum fautore, quod si condemnarentur tria capitula, omnis perturbationis occasio de medio tolleretur. Hinc Iustinianus *Edictum* edidit quo capitula proscribebantur. Sed cum videret se nihil proficere posse sine sententia Romani Pontificis, penes quem unum, in re nullius oecumenicae synodi iudicio praeiudicata, poterat esse definiendi auctoritas, Papam Vigilium Roma Constantinopolim advocavit. Interim vero studia partium exardescebant, quia quantum Orientales episcopi Iustiniano addicti condemnationi capitulorum favorabiles exsistebant, tantum Occidentales repugnabant. Non quod capitula ipsa ut orthodoxa haberent, sed quia videbatur eis Synodi Chalcedonensis dignitas et auctoritas per huiusmodi condemnationem aliquo modo violari, quasi scilicet ipsa Synodus non satis fidei providisset, et opus esset nova tractatione eorum quae in ea acta fuerant. Hinc Vigilius statim post profectionem ex Urbe, litteris datis ex itinere, reprehendit damnationem capitulorum in quam multi Orientales iam consenserant. Postea, cum Constantinopolim advenisset, permisit tandem ut in conventu septuaginta episcoporum causa trium capitulorum discuteretur. Imo ipsemet *Iudicatum* dedit, praedicta capitula anathematizans, addita tamen clausula illa per quam sperabat scandalum Occidentalium evitare: « Salvis omnibus atque in sua perpetua firmitate durantibus, « quae in Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino primo, atque « Chalcedonensi, venerandis constant conciliis definita, et prae- « decessorum nostrorum auctoritate firmata, et cunctis qui in me- « moratis sanctis conciliis abdicati sunt, sine dubitatione damna- « tis, et his nihilominus absolutis, de quorum ab iisdem synodis

« absolutione decretum est » (1). At finem intentum Pontifex non est assecutus. Nedum enim pacem cui providere volebat obtineret, ecce inceperunt omnia magnis tumultibus perturbari, praesertim cum artibus cuiusdam Rustici diaconi cardinalis, percrebuit in Occidente rumor, Pontificem Constantinopoli fidem Chalcedonensem tradidisse. Tunc ergo Vigilius *Iudicatum* revocavit, et *Constitutum* edidit (2), in quo, reprobata prius atque anathematizata per singula puncta Mopsuesteni doctrina, ad personas tamen quod attinebat, et ad condemnationem scriptorum prout in detrimentum personarum poterat redundare, reducebat omnia ad eum statum in quo a Chalcedonensi Synodo fuerant relicta : « Grave « est insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illi qui in « episcopatu hanc vitam deposuerunt. Iustissimum enim apparet « prudentibus viris cedere praescienti, Deo scilicet, uniuscuiusque « voluntatem.... His igitur a nobis cum omni undique cautela « atque diligentia propter servandam inviolabilem reverentiam « praedictarum synodorum et earumdem venerabilia constituta « dispositis, memores scriptum esse, terminos patrum nostrorum « nos transcendere non debere, statuimus et decernimus, nulli « ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinenti licere quidquam « contrarium his quae praesenti asseruimus vel statuimus Con- « stituto, de saepe dictis tribus capitulis aut conscribere vel pro- « ferre, aut componere vel docere, aut aliquam post praesentem « diffinitionem movere ulterius quaestionem » (3). Haec Vigilius in Constituto I. Sed non obstante contradictione Pontificis, Concilium absolvebatur, et cum tam imperator quam episcopi damnationi capitulorum pertinaciter inhaerentes, schisma apertum, nisi confirmaretur Concilium, minarentur, Vigilius tandem, revocatis omnibus suis antecedentibus actis, *Constitutum II* edidit (4), in quo definitiva sententia damnabantur tria capitula, et anathemate feriebantur *quicumque ea quoquo tempore crediderint accipienda vel deferenda, aut conati fuerint aliquando praesentem damna-*

(1) Vigilii *Iudicatum* periit. et non supersunt nisi fragmenta, tum in decreto Iustiniani (Migne, P. L. Tom. 69, col. 34. seq.), tum in *Constituto* eiusdem Vigilii (Migne, ibid. col. 111).

(2) Apud Migne, Tom. 69, col. 67 seq.

(3) Migne, P. L. Tom. 69, col. 100-112,

(4) Migne, ibid. col. 143 seq.

tionem resolvere. Et hoc alterum Constitutum est, per quod auctoritatem oecumenicam accepit Concilium V (Constantinopolitanum II), tametsi celebratione minime generale, imo paucis tantum Orientalibus constans episcopis.

His iam ex historia relectis, difficultas esset aut de successiva abrogatione tum *Iudicati* tum *Constituti,* aut de contradictoriis sententiis quae in documentis ad invicem collatis inveniretur.

Atqui in primis dico, nullam omnino esse oppositionem inter Iudicatum, Constitutum I, et Constitutum II, quoad quaestionem fidei vel facti dogmatici. Non enim fluctuatio fuit unquam circa orthodoxiam vel heterodoxiam determinatorum textuum in se inspectorum, sed solum circa convenientiam seu opportunitatem condemnandi personas vel scripta a quibus anathematizandis praecedentes Synodi abstinuerant, praesertim cum de authenticitate praedictorum scriptorum, nominatim vero epistolae ad Marim Persam quae Ibae attribuebatur, Pontifici non constaret. Quippe sub praetextu capitulorum, Chalcedonense Concilium impugnabant Eutychiani. Iustinianus de sarcienda unitate sollicitus obvias quasque occasiones arripit. Insinuant nonnulli dissidium omne facili negotio sopitum iri, et universos in Chalcedonensis verba fidemque iuraturos, si tria damnarentur capitula. Attendit Iustinianus, urget, imminet. Vigilius quasi animi penderet, nunc annuit, modo renuit. Episcopi catholici in partes secedunt; alii timent ne Synodo Chalcedonensi fraus fiat, alii e contra, hac eam arte putant se posse stabilire (1). Quis non videt, omnem variationem ad puram et simplicem oeconomicam agendi rationem in toto hoc negotio fuisse reductam? De quo etiam certam fidem faciunt auctoritates supra relatae.

At dicet aliquis, nondum evacuari difficultatem, quia etsi inerrantia Pontificis in tuto sit, non tamen irreformabilitas seu irrevocabilitas dogmaticorum iudiciorum eius. Ad hoc autem respondeo quod acta successive a Vigilio revocata in causa trium capitulorum, non fuerunt iudicia definitiva ex cathedra. Constat quoad Constitutum I, in quo nedum quidquam terminativa sententia decerneretur, prohibebatur potius ne produceretur examen,

(1) Sic quaestionem resumit et compendiat annotator operum Gregorii Magni, Migne Tom. 76, col. 593.

et ulterior fieret Concilii progressus. Constat quoque quoad Iudicatum, in quo non imponebatur Ecclesiae aliquid tenendum circa capitula, sed, ut ipsemet Vigilius testatur in encyclica adversus Theodorum Caesareensem : « Pro scandalo refraenando « condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione « credimus temperandos..., quaedam pro tempore medicinaliter « existimavimus ordinanda : tali scilicet conditione, ut omni in « posterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo nec litteris « quisquam facere ex eadem causa praesumeret » (1). Itaque solum Constitutum II confirmatorium Concilii V fuit decretum ex cathedra directum ad universalem Ecclesiam ; in quo etiam solo, non modo damnata sunt tria capitula, verum etiam sub anathemate fidelibus praeceptum fuit ne de eisdem aliter in posterum sentire praesumerent, quam in ipsa constitutione continebatur : « Pro his igitur omnibus Ecclesia universalis agnoscat cuius uti- « litati, ne Christi Dei nostri plebs amplius seducatur, nostra « servit intentio.... Praedicta igitur tria impia capitula anathema- « tizamus atque damnamus, id est, epistolam quae dicitur Ibae « ad Marim Persam in qua nefandae superius designatae blasphe- « miae continentur, et impium Theodorum Mopsuestenum cum « nefandis eius conscriptis, et quae impie Theodoretus conscri- « psit. Et quicumque ea quoquo tempore crediderit accipienda « vel deferenda, aut conatus fuerit aliquando praesentem damna- « tionem resolvere, pari anathemate condemnamus » (2). Ibi ergo habes omnes characteres verae definitionis ex cathedra, quae utique nusquam fuit revocata.

III. — Tandem de Honorio satis actum est in tractatu de Incarnatione (3), et ex ibi dictis constat epistolas Honorii ad Sergium nihil heterodoxum continere, multoque minus definitionem contra rectam fidem. Sed nec difficultatem faciunt anathemata lata in Concilio VI, quidquid nunc sit de interpolatione actorum quam nonnulli suspicantur. Sola enim persona defuncti Pontificis fuisset numero haereticorum adscripta, idque non propter lapsum in fide, sed propter culpabilem muneris negligentiam, id est, ut scribit Leo II ad episcopos Hispaniae, quia « flammam

(1) Migne, P. L. Tom. 69, col. 60.
(2) Migne, P. L. Tom. 69, col. 177-178.
(3) De Verbo incarnato, Quaes. 18.

« haeretici dogmatis, non ut decuit auctoritatem apostolicam, in« cipientem extinxit, sed negligendo confovit ». Caeterum, iuxta superius notata, ipsum Concilium VI est, in quo solemnes inveniuntur attestationes inerrantiae successorum Petri, et immaculatae fidei in Sede apostolica semper conservatae.

Reliqua vero quae opponi possent, velut responsio Caelestini III de dissolubilitate matrimonii, decretalis Ioannis XXII *Quia quorumdam,* et alia quae congerit auctor Defensionis declarationis cleri Gallicani, praetermittere visum est, quia adeo levia sunt, ut ab ipsis adversariis fere negligantur.

Obiicitur secundo: *Episcopi sunt iudices fidei. Id autem non essent, si definitiones Pontificis ex sese, et independenter ab eorum consensu forent irreformabiles.*

Respondeo negando consequentiam, et ad explicationem praemitto, episcopos dupliciter posse considerari: vel singillatim ut particulares antistites, vel corporative ut Ecclesiam docentem constituentes. — Si considerentur singillatim, nemo ita desipuit unquam ut diceret eos tales fidei iudices, quorum statuta definitive valeant absque superioris et infallibilis iudicis determinatione. Et ideo, sicut iudex supremus nusquam excluditur per iudices inferiores, ita nec Pontificis suprema atque infallibilis auctoritas excludi potest per doctrinalem singulorum episcoporum auctoritatem. — Si vero episcopi considerentur collegialiter, sic sunt in primis authentici doctores fidei secundum quod in unione inter se invicem sub suo capite Romano Pontifice, ordinarium Ecclesiae magisterium e suis cathedris per totum orbem exercent, et iuxta Cypriani dictum, unius luminis quod a centro expanditur radios ubique porrigunt. Sunt insuper, exorta controversia, fidei iudices si quando contingat ipsos una cum Pontifice sedere et iudicare ad condemnationem erroris et definitionem veritatis. Porro, de sola hac ultima episcoporum praerogativa procedit adversariorum argumentum, si qua sit in eo vel rationis apparentia.

Apparentiam autem nullo niti fundamento facile constat, quia cum agitur de solemnissimo illo iudicio concilii oecumenici in quo Papa iudicat simul assidentibus et coniudicantibus orbis catholici episcopis, duplex tantum hypothesis fieri potest. Vel nulla praecedit dogmatica definitio Pontificis, vel revera praecedit. In priori casu, si papa propositiones integras integre concilio per-

tractandas relinquit, tunc concilium plena sua libertate in Domino uti potest, ut patet, quamvis iudicium eius irretractabile non fiat, nisi superveniente pontificia confirmatione. In posteriori vero casu, concilium omnino id agit quod pluries iam egisse noscuntur concilia antiquissima, puta Chalcedonense acceptis litteris dogmaticis S. Leonis, et Constantinopolitanum III accepta praedefinitione Agathonis ([1]). Equidem verum est quod praecedente definitione Pontificis, eo ipso non amplius remanet episcopis libertas examinandi examine dubitativo. Sed falsissimum quoque est, eiusmodi libertatem spectare necessario ad iudicem fidei in sui muneris exercitio, sicut luculentissime apparet ex. gr. in omni casu in quo obiectum iudicii seu definitionis est aliquid quod iam erat in explicito magisterio et manifesta praedicatione Ecclesiae catholicae. Putasne licuisse Tridentinis Patribus dubitativum examen instituere de reali praesentia Christi Domini in sacramento, de septenario numero sacramentorum N. L., et de aliis tot et tantis quae sancivit adversus novam haeresim protestantium? Aut forte id licuit Patribus Nicaenis quoad consubstantialitatem Filii, Ephesinis quoad unitatem personae in Christo, atque ita porro? Ergo de ratione iudicis fidei tantummodo est ut ex auctoritate sententiam ferat circa id quod a fidelibus tenendum est, praehabita cognitione causae. Quae quidem causae cognitio haberi potest per simplex examen comprobativum, quin oporteat ut detur locus examini dubitativo. Ergo etiamsi praecedat infallibilis determinatio Pontificis, adhuc verissime possunt episcopi associari iudiciali actui definitionis, si a Pontifice ad hoc admittantur: ut quod prius a prima omnium sede formatum est, in totius episcopatus transeat iudicium, non quidem firmiori, sed tamen pleniori auctoritate, omnia intelligendo conformiter ad ea quae superius declarata sunt, Thes. 27 § 2.

Dixi, si a Pontifice ad hoc admittantur episcopi. Multum enim abest quin necesse sit ut in omnibus fidei causis simul cum papa assideant et coniudicent. Sed hoc ipsum melius exponetur in responsione ad tertium adversariorum argumentum, de quo statim agendum est.

Opponitur tertio: *Si definitiones Romani Pontificis essent*

([1]) Ita episcopus Brixinensis in Relatione ad Concilium Vatic., Collect. Lac. Tom. 7, col. 397.

ex sese, et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles, iam non necessaria, imo vero inutilia essent concilia generalia. Atqui huic consequentiae tum historia Ecclesiae repugnat, tum fides.

Respondeo dupliciter, prout quaestio movetur vel de necessitate conciliorum, vel de eorumdem utilitate. — Et siquidem de necessitate sermo sit, sine ulla difficultate conceditur generalia concilia non esse ad regulare Ecclesiae regimen et ad irretractabilem exsurgentium errorum condemnationem simpliciter necessaria. Certe hanc necessitatem non agnoscebat Augustinus, quando suos libros contra duas epistolas pelagianorum ita concludebat: « Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta « pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando sine sy- « nodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimae inve- « niantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, mul- « toque sint atque incomparabiliter plures quae ubi exstiterunt, « illic improbari damnarique meruerunt... Verum istorum (pela- « gianorum) superbia quae tantum se extollit adversus Deum, « ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc « etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et « Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, « quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem « commovere conantur, cum potius vigilantia et diligentia pasto- « rali, post factum de illis competens sufficiensque iudicium, ubi- « cumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur « atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate « vitentur » ([1]). Super quem Augustini locum commentans Fenelon in opere supra citato, c. 37, ait: « En cernis appellationis « ad concilium facultatem, pelagianorum sectae negari. Quare « negatur? Si nullum aliud sit supremum et infallibile tribunal « quod fidei causas finire possit, nullus est hominum infimi or- « dinis cui non liceat concilium appellare. Si una sit concilii au- « ctoritas quae mentes in obsequio fidei captivet, neque ulli alii « tribunali fas est conscientiae huius hominis vim facere. Hanc « tamen appellationem ad concilium irridet Augustinus, etiam in « secta pelagianorum quae non paucos habuit episcopos asser- « tores. Primo sufficiebat ut improbaretur et damnaretur haec « haeresis in ea privata regione ubi exorta erat. Secundo *causa*

([1]) August. l. 4 contra duas epistolas pelagianorum n. 34.

« *finita erat* eo quod post geminum Africanae Ecclesiae conci-« lium, e Roma duo *rescripta venerant* ». Et re quidem vera, vel a priori apparet impossibile fuisse ut Christus constitueret auctoritatem absolute necessariam ad finiendas fidei causas, in eo tribunali quod nonnisi cum immenso apparatu et commotione totius orbis potest constitui. Omnibusque modis contra ordinariam conciliorum oecumenicorum necessitatem historia Ecclesiae protestatur (1).

Adhuc tamen maxima eorum in certis circumstantiis utilitas, eaque cum infallibilitate pontificia optime stans, ex triplici potissimum capite oriri ostenditur. *Primo* ex abundantia praesidiorum tum naturalium tum supernaturalium ad confectionem decretorum. *Secundo* ex splendore auctoritatis qui decretis conciliariter editis proprius est, quique multum confert ut et corda hominum facilius trahantur ad obedientiam, et rebellium audacia frangatur efficacius. *Tertio* ex augmento unionis inter Ecclesiae praesules, praesertim in ordine ad urgendam exsecutionem eorum quae non unius Pontificis sententia, sed communi omnium consilio ad totius Ecclesiae bonum decreta supponuntur. De singulis his capitibus nonnulla sunt specialiter notanda.

Quoad primum animadverte, praesidia sive naturalia sive supernaturalia debere adhiberi, tum in ordine ad definitiones fidei, tum in ordine ad condendam disciplinam vel statuenda media quibus opportune periculis Ecclesiae obvietur. Nam licet in definitionibus fidei divina Providentia Pontificem ab omni errore praeservet lege infallibili, non tamen propterea ipse Pontifex ab obligatione faciendi quod in se est eximitur. Neque enim

(1) Lepide episcopus Pictaviensis, ante profectionem suam ad Concilium Vaticanum clero suo valedicens, alludensque ad auctorem libelli *Du concile général et de la paix religieuse,* qui non ordinarius, sed titularis tantum episcopus erat, et periodicitatem decennalem Concilii generalis a Basileensibus renovatam in libro suo exposcebat: « La pério-« dicité obligatoire et le renouvellement décennal du Concile œcumé-« nique! Je ne dirai pas ce qu'il faut penser au point de vue de la « doctrine de cette prétendue loi constitutionnelle de l'Eglise; mais je « dis, et vous dites avec moi, qu'il faut être évêque *in partibus infide-« lium* pour imaginer que notre mère la sainte Eglise imposera tous « les dix ans à chaque pasteur et à son troupeau un sacrifice pareil à « celui qui nous est demandé aujourd'hui ».

Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Ad hanc autem fidelem expositionem connaturaliter requiruntur, primo quidem naturalia media scientiae et eruditionis, praeterea vero ea quae impetrant Spiritus Sancti adiutorium, ne in errorem quemlibet abeat studiosissima inquisitio. In quo quidem notabis, haec inter se minime pugnare: quod infallibiliter adfutura sit Spiritus Sancti assistentia, et quod nihilominus debeat enixe implorari, eo vel magis quod potest habere maiorem minoremve extensionem, non quidem quoad immunitatem definitionum ab errore, sed quoad modum in dogmatum expositione tenendum, opportunitatem alia dicendi et alia reticendi, caeteraque huiusmodi. Et idem a fortiori senties de decretis disciplinaribus seu de electione mediorum quibus communi Ecclesiae periculo obviandum sit, aut communi reformationi insistendum. Nam in his praesertim datur maxima latitudo in qua humana prudentia sub Spiritus Sancti adiutorio exerceatur, ut per se evidenter constat.

His porro praesuppositis, manifestum efficitur quod etsi requisita praesidia multipliciter a Pontificibus pro variis circumstantiis et necessitatibus comparari possint, non tamen habetur per se loquendo medium magis efficax ad eorumdem abundantiam quam esse possit oecumenici Concilii celebratio. Constat quidem si de naturalibus praesidiis sermo sit, quia in oecumenico conveniunt totius Ecclesiae luminaria, et omnium antistitum prudentia, eruditio, scientia, experientia coeunt in unum. Sed et adhuc minus dubitandum est de praesidiis supernaturalibus, iuxta illud Matth. XVIII-19: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quo in loco principium generale adstruitur: Deum scilicet tantopere esse amatorem pacis et concordiae, ut quotiescumque fideles in spiritu charitatis inter se convenerint, specialis eis adfutura sit assistentia, utique proportionata conditioni et exigentiae causae propter quam convenerint. Et ideo semper exinde intellexerunt maiores nostri, quod ubi omnes Ecclesiae praesules sub suo capite Petro in nomine Christi congregati inveniuntur ad graviora Ecclesiae negotia expedienda, specialissimo modo in medio eorum Christus adest, non tantum ut omnis error impediatur, verum etiam ut in optima

quaeque dirigantur consilia Patrum ad salutem animarum, exaltationem catholicae fidei, maiusque totius Ecclesiae bonum ac prosperitatem.

Quoad secundum nota, duplici modo concipi posse, quod *universae fraternitatis assensu* (verba sunt S. Leonis in epistola ad Theodoretum), definitio aliqua seu lex firmetur. Primo substantialiter, cum assensus vim confert decreto per se nondum firmo, et est proinde ratio, qua exsistente, peremptoria auctoritas decreto inest, qua non exsistente, abest. Secundo accidentaliter, cum assensus ille nequaquam vim peremptoriam confert, nihilque addit quoad intrinsecum robur, sed tamen efficit ut definitioni seu decreto ille auctoritatis splendor accedat, qui maxime natus est movere hominum animos, flectere eos ad obedientiam vel certe ad reverentiam, et removere impedimenta ad debitum obsequium.

Quibus suppositis, dico: Si definitionum fidei vel legum disciplinarium intrinsecum robur et valorem consideres, sic verum est in nullo differre decretum solius Pontificis et decretum conciliare, et ex hac parte inutilem esse oecumenicorum conciliorum celebrationem. At si consideres pondus auctoritatis quo de facto solent moveri homines, sic falsum est reponendam esse in eadem linea definitionem a solo Pontifice latam, et eam quae ab universi orbis episcopis simul cum Pontifice sedentibus et iudicantibus edicitur. Nam haec illi praeponderat, primo propter maiorem solemnitatem. Secundo propter maiorem *humanam* auctoritatem, quae etsi motivum obedientiae determinans esse non debeat, inductivum tamen et impellens seu facilitans esse potest. Tertio demum propter splendidam unitatis Ecclesiae manifestationem, in cuius unitatis semper vigentis miraculo repositum est unum e praecipuis motivis nostrae credibilitatis. Rem exemplo egregie declarabit Fenelon, loco supra citato: « De epistola Magni « Leonis ad Flavianum scripta, nulla poterat subesse apud ca- « tholicos dubitatio. Neque enim Leo de doctrina quam asserebat, « quemquam dubitare sinit; neque Chalcedonense concilium in « ea confirmanda se tantulum haerere posse arbitrabatur. Quin « etiam, velint nolint critici, necesse est ut fateantur hanc epi- « stolam, iam consentiente palam toto Occidente, imo et com- « probante maiore parte totius Orientis, ita firmatam esse, an- « tequam Chalcedonenses episcopi convenirent, ut nullatenus esset

« penes ipsos hanc repudiare. Iterum igitur atque iterum quaero, « qua de causa numerosissima haec synodus congregata sit. Ut « quid perditio haec? quandoquidem haec Sedis apostolicae sen- « tentia, suffragante Occidenti toto propemodum Oriente (*iuxta « ipsos adversarios*), iam suprema et infallibili auctoritate firma- « batur. Neque tamen minus coacta est immenso cum apparatu « Chalcedonensis synodus, ut epistola iam confirmata splendidius « in tanto concilio confirmaretur. Nonne perspicuum est, hanc « magnificentissimam concilii convocationem factam fuisse, non « ut res ambigua et a Leone forsan contra fidem definita, ad su- « periorem et rigidiorem censuram revocaretur; sed solummodo « ut definitio iam certa, tanti huius consensus splendore illustrata, « novatorum superbiam et indocilitatem magis ac magis exosam « faceret? Neque vero quisquam sanae mentis dixerit, inutilem « et supervacaneam esse eiusmodi ostentationem auctoritatis. « Quid enim magis unquam profuit ad pervincendam sectae na- « scentis audaciam, et ad conciliandam Ecclesiae docilitatem in- « fidelium, quam ea tot episcoporum ex tot longinquis regionibus « confluentium unanimitas, quae in concilio splendidissime prae- « nitet? »

Quoad tertium denique, considerandum quod non sufficit ut conficiantur decreta, sed oportet etiam ut debita eisdem obedientia per omnem modum a praesulibus Ecclesiae urgeatur. Est autem per se evidens quod ad hunc effectum plurimum confert oecumenicorum conciliorum celebratio, praesertim quia omnino connaturale est ut maiori zelo decreta ad exsecutionem urgeant illi ipsi qui eorumdem conficiendorum fuerunt participes.

Intacta ergo manet summa illa conciliorum utilitas quam Vaticanum in Constitutione *Dei Filius* attestatur dicens, salutarem D. N. Iesu Christi erga Ecclesiam providentiam, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuisse, tum iis manifestissime compertam esse fructibus qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis amplissimi provenerunt. « Hinc enim sanctis- « sima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, « errores damnati atque cohibiti. Hinc ecclesiastica disciplina re- « stituta firmiusque sancita, promotum in clero scientiae et pie- « tatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam edu- « candis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore « fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati.

« Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili capite commu-
« nio, universoque corpori Christi mystico additus vigor. Hinc
« religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis in-
« stituta. Hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusio-
« nem constans ardor in Christi regno late per orbem propa-
« gando ». Quid autem his omnibus utilitatibus detrahat aut detrahere unquam possit infallibilitatis praerogativa Petro et successoribus collata, si quis prudens inquirat, nihil inveniet, praetereaque nihil.

THESIS XXXII.

In Constitutione Vaticana « *Pastor aeternus* », Summus Pontifex definivit suam infallibilitatem, sacro approbante concilio; sed ad hanc definitionem concilio absolute non indigebat. Insuper nihil per definitionem ipsam mutatum est in habitudine Pontificis ad Ecclesiam, aut Ecclesiae ad Pontificem, sed id solum effectum est, ut in perpetuum aboleretur error qui apud quosdam obtinuerat, et nonnisi per summam incohaerentiam in eorum opinione subsistebat simul cum fundamentalibus principiis professionis catholicae.

Ratio generalis est quia etsi obligatio iure divino Ecclesiae imposita, adhaerendi omnibus definitionibus Sedis apostolicae, sit nexu logico intime connexa cum earumdem infallibilitate, non tamen a praevia cognitione infallibilitatis dependet cognitio obligationis, nec oportet ut prius constet tanquam de fide, Romanum Pontificem esse infallibilem, quam ut innotescat necessitas qua omnes fideles obstringuntur ad firmissime tenendum quidquid in doctrina fidei vel morum ipse Pontifex ex cathedra definiverit. Recole dicta superius in tertio argumento scripturali, ubi ex obligatione adhaerendi definitionibus Pontificis, quam nobis immediate manifestat institutio evangelica de pastore agnorum et ovium, per logicam consequentiam deducebatur Pontificis infallibilitas, non autem e converso.

Et re quidem vera, si sermo sit de habitudine quam *quoad nos* habent inter se duae illae veritates, non est necessarius talis processus: Pontifex est infallibilis; ergo oportet firmiter tenere

id quod definit. Sed bene stat iste alius: Oportet, divina lege iubente, firmiter tenere id quod Pontifex docet; ergo est infallibilis. Nunc autem necessitas manendi in communione Romani Pontificis, ac per hoc, conformandi se definitionibus fidei quas omnibus fidelibus imponit sub poena privationis suae communionis, semper et ab initio fuit tanquam de fide cunctis catholicis nota. Semper enim fuit tanquam de fide notum, *Sedem Romanam esse Sedem ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam, Sedem cuius communio tessera est verae religionis, Sedem a Deo collatam Petro ut in ea unitas servaretur ab omnibus.* Ergo etiam semper fuit tanquam de fide notum quod oportet consentire Pontifici definienti, et huic perpetuae atque explicitae fidei, ut ex historia novimus, perpetua quoque atque invariabilis respondit totius Ecclesiae agendi ratio.

Quod si Gallicani aliquando, non obstante professione catholici principii, pontificiam infallibilitatem negaverunt, hoc fuit primo ex defectu logicae, ut bene ostendit Fenelon, op. cit. c. 46: « Absit ut nostri Cisalpini negent omnes catholicae communionis « ecclesias omnibus diebus, ne uno quidem excepto, usque ad « consummationem saeculi, fidei communione ipsi Sedi apostolicae tanquam capiti, centro, radici et fundamento esse adhaesuras; sin minus, schismaticas et haereticas fore. Dum vero « haec credunt, si pontificiam infallibilitatem... se credere negant, « certe non satis sibi ipsis se ipsos explicant, neque suam mentem satis norunt. Enimvero velle ut omnes catholici huic Sedi « per fidei communionem adhaereant omnibus diebus usque ad « consummationem saeculi, et velle ut credatur hanc Sedem in « fide docenda nunquam defecturam esse, prorsus est unum et « idem. Nisi quis velit dicere adhaerendum esse huic centro et « capiti circa fidem, etiamsi aliquid contra fidem absolute definiat, « quod absurdum esse nemo non videt ». Alia deinde ratio fuit, quia nesciverunt effectum a causa distinguere. Videntes enim consensum episcoporum lege constanti cum definitionibus sedis apostolicae connexum, voluerunt sibi persuadere consensum hunc esse causam vel conditionem irreformabilitatis apostolicorum iudiciorum, cum tamen secundum rei veritatem se haberet nec plus nec minus ad irreformabilia Pontificum iudicia, sicut effectus se habet ad causam.

Verum, omissis nunc incohaerentiis quibus Gallicanum sy-

stema refertum erat, iterum atque iterum considera, id fuisse ab initio et semper in confesso apud catholicos universos: quod de necessitate salutis sit, remanere in communione Romana, et nunquam ab ea sese segregare. Porro in hoc principio continebatur *formaliter* necessitas concordandi cum Romano Pontifice in rebus fidei et religionis. Ulterius vero continebatur *virtualiter* infallibilitatis praerogativa primae Sedi a Christo collata, cum profecto appareat penitus impossibile ut Deus ligaverit Ecclesiam universam erga fallibile magisterium. Hinc autem iam fluunt plures magni momenti consequentiae.

Consequitur primo, quod Vaticana definitio quae sic inscribitur: *Pius episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam,* eiusdem prorsus roboris fuisset etiam sine concilio, quo approbante, edocti sunt christiani, divinitus revelatum dogma esse: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit, ideoque eiusdem Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Nam etiam sine concilio clausa finalis semper habuisset eamdem necessitantem vim: « Si quis autem huic no-« strae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, « anathema sit », id est, a nostra communione, seu ab ovili extra quod non est salus, praecisus exsistat [1].

Consequitur secundo, quod non est nunc maior obligatio adhaerendi definitionibus pontificiis, quam ante Vaticanum. Non maior quoad se, ut evidenter constat. Nec maior quoad nos, quia non est nobis nunc magis notum quod secundum ipsam Christi institutionem, ad Sedem S. Petri oportet omnem convenire Ecclesiam. Hoc enim, ut dictum est, semper fuit certum certitudine fidei divinae, qua firmior excogitari nequit. Quare id tantum per Vaticanam definitionem effectum est, ut in perpetuum abolerentur inchoaerentiae in nonnullorum animis consistentes, ex quibus ve-

[1] Huc redit observatio Comitis de Maistre contra insaniam eorum qui dicebant Pontificem esse obnoxium coactioni Concilii: « Le Pape « pour dissoudre un concile comme concile, n'a qu'à sortir de la salle « en disant: *Je n'en suis plus.* De ce moment, ce n'est plus qu'une as-« semblée, et un conciliabule s'il s'obstine ». L. 1, c. 3.

ritas principiorum fidei catholicae obfuscabatur, et creabatur periculum subversionis eorumdem.

Consequitur tertio, non esse ullatenus secedendum in partes eorum qui dicunt: Ad quid infallibilitas Petro et successoribus eius pro consistentia et incolumitate totius Ecclesiae a Christo collata, si usque ad saeculum XIX expectandum fuit ut esset fidelibus sufficienter proposita? In primis enim omnino negandum est, infallibilitatem pontificiam non fuisse in se explicite agnitam ab omnibus saeculis christianis, uti abunde constat ex argumentis traditionis superius expositis. Si autem de illis paucis ratio habeatur qui eam aliquando, salvo essentiali vinculo unitatis catholicae, negare potuerunt, dicendum quod ab iis ipsis semper fuit cognita, saltem eo modo qui per se ad praxim sufficiebat, videlicet in principio generali de necessitate communicandi cum Sede apostolica tanquam cum capite, centro, et fundamento universalis Ecclesiae. Unde definitiones ex cathedra semper habuerunt de facto eumdem effectum, et nequaquam in altiori auctoritatis culmine eminent nunc, quam ante.

Consequitur denique quarto, nihil prorsus per Vaticanam definitionem fuisse variatum in habitudine Pontificis ad Ecclesiam, Ecclesiae ad Pontificem, vel Ecclesiae totius ad civiles societates, adeoque frustra fuisse qui ante quadraginta annos occasionem sumpserunt criminandi substantialem rerum mutationem, et rumpendi sub hoc praetextu concordata praecedenter inter Sanctam Sedem et Statum communi consensu inita (1).

(1) Exemplo sit epistola Comitis Beust, rerum externarum in Austria ministri, ad legationis Romae secretarium de abrogatione Concordati, 30 Iulii 1870: « Les derniers décrets du Concile, proclamant le « dogme de l'infaillibilité pontificale, n'ont pu être envisagés par le « Gouvernement Impérial et Royal qu'avec un sentiment de profonde « et légitime préoccupation... Armé d'une autorité nouvelle qui le revêt « d'une sorte d'omnipotence, le Souverain Pontife est institué juge su- « prême en matière de foi et de morale, lorsque ces matières reçoivent « en même temps des définitions qui les étendent fort au delà du do- « maine réservé sans contestation à la compétence de l'Eglise. Un ac- « croissement aussi considérable de la puissance dont le Chef de l'E- « glise est dépositaire, oblige les Gouvernements à déployer plus de « vigilance et d'énergie pour maintenir intacts leurs propres droits en « face de ceux qui sont revendiqués sous l'égide de ce pouvoir nou-

« veau... Les doctrines promulguées par le Concile placent les relations « de l'Etat avec l'Eglise sur une base toute nouvelle, puisque celle-ci « étend le cercle de sa compétence et concentre en même temps dans « la personne du Pape tous les pouvoirs qu'elle prétend exercer. Un « changement aussi radical bouleverse toutes les conditions qui ont « présidé jusqu'ici au règlement des rapports entre l'Etat et l'Eglise. « C'est cette dernière qui prend l'initiative d'un acte d'une aussi grande « portée, et en agissant ainsi, elle se place sur un terrain où il ne nous « reste qu'à la suivre en déclarant que les conventions conclues sous « l'empire de circonstances toutes différentes ne peuvent plus être con- « sidérées comme valables. Le concordat de 1855 est par conséquent « frappé de caducité, et le Gouvernement Impérial et Royal le regarde « comme abrogé ».

QUAESTIO XV.

DE EPISCOPIS

Cum de successoribus apostolorum episcopis in sua habitudine, tum ad Romanum Pontificem Petri successorem, tum ad Ecclesiam universalem cuius regimini aliqualiter participant, frequens in superioribus fuerit sermo (1), pauca iam de eis secundum considerationem quae dogmaticae theologiae propria est, dicenda supersunt. Et haec pauca sub sequentium capitulorum compendio proposita accipe.

§ 1.

Quod ad hierarchiam iure divino constitutam pertinent episcopi qui singulis gregibus cum iurisdictione propria et ordinaria praesideant.

Iurisdictio episcoporum, an sit immediate a Deo, vel immediate a Romano Pontifice, acriter disputatum est in Concilio Tridentino, et nihil tunc definitum. In Concilio vero Vaticano quaestio nequidem fuit proposita (2), praesertim cum ad praxim quod attinet, fere indifferens sit, sive una sive altera sententia admittatur. Nam et illi theologi qui episcopalem iurisdictionem immediate a Deo derivari volunt, adhuc eam sine dubio dicunt a Deo conferri cum vera et plena dependentia a Summo Pontifice.

Et nos quidem, tum supra ubi de primatu Petri, tum in tractatu de Ordinis sacramento, communissimam et valde rationabilem sententiam quae in Pontifice proximum agnoscit iurisdictionis episcoporum fontem, pluribus argumentis prosecuti sumus.

(1) Vide praesertim in Quaest. XIII, Thesim 26 § 2. et Thesim 27 per totum; item in Quaest. XIV, Thesim 30 et 31 passim.

(2) Cf. Relationem episcopi Tarvisini ad Conc. Vatic., Collect. Lac. Tom. 7, col. 472.

Cum qua omnino stat veritas catholica quae in praesenti adseritur, videlicet: *Ex dispositione ipsius iuris divini esse, quam nulla potestas, etiam pontificia, abrogare valet, ut sub Pontifice summo singulae partes Dominici gregis per episcopos tanquam per proprie dictos pastores et locorum ordinarios gubernentur* (1). Quod enim haec veritas sit prorsus independens a controversia circa immediatam iurisdictionis originem, sequenti exemplo facile apparebit. Nam si esset aliqua constitutio politica iubens ut sub rege particulares gubernatores praesideant, semper forent isti de iure constitutionis, idque indifferenter, sive immediate a constitutione ipsa singuli potestatem acciperent, sive solum deberent ex immobili constitutionis praescripto per Regis auctoritatem creari. Et haec applica in praesenti, et cum proportione ratiocinare.

Caeterum assertio demonstratur ex perpetuo et manifesto Ecclesiae sensu. Item ex **Act. XX-28**: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quidquid enim Spiritui Sancto refertur auctori, de iure non ecclesiastico, sed divino est. Si ergo Spiritus Sanctus instituit ut per episcopos regantur particulares greges qui in Ecclesia sunt, profecto ad hierarchiam iurisdictionis divinitus constitutam pertinent episcopi, ut etiam aperte docet Tridentinum Sess. XXIII, cap. 4. — Intrinseca autem convenientiae ratio fuit declarata in prolegomenis de Ecclesiae monarchia. Vide ibi dicta (2).

§ 2.

Quod iurisdictio episcopalis, etsi possit per ius pontificium plus minusve restringi, semper tamen est de natura sua iurisdictio completa, ad omnes partes regiminis ecclesiastici in foro tam externo quam interno se extendens.

Sane vero, potestas episcopalis est potestas ad regendum, seu pascendum populum Dei, iuxta praecitatum testimonium Actuum, cui consonat illud 1 Petr. V-2: *Seniores* (id est episcopi)

(1) Nec contra hoc est, quod in iis regionibus in quibus christianitas nondum est regulariter constituta, Apostolica Sedes constituat, non ordinarios episcopos, sed episcopos vicarios, vel etiam simplices presbyteros qui praefecti apostolici dicuntur.

(2) Supra, Quaest. 13, Praenotiones de monarchia.

qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum..., pascite qui in vobis est gregem Dei. Sed potestas pascendi et regendi simpliciter dicta, potestas est quae omnes regiminis ecclesiastici partes complectitur, et non est solum ad ministrandum sacramenta, verum etiam ad leges ferendum, ad exercendum iudicia, ad puniendum contumaces. Unde S. Thomas in IV, Dist. 20, a. 4: « Cum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem « hominum sit duplex, scilicet oeconomica (seu domestica), ut « illi qui sunt de una familia, et politica, sicut illi qui sunt de « uno populo, Ecclesia similatur congregationi politicae, quia ipse « populus ecclesia dicitur. Sed conventus diversi vel parochiae « in una dioecesi similantur congregationi in diversis familiis vel « in diversis officiis. Et ideo solus episcopus proprie praelatus « ecclesiae dicitur, et ideo ipse solus quasi sponsus annulum « ecclesiae recipit, et ideo solus ipse habet plenam potestatem « in dispensatione sacramentorum, et iurisdictionem in foro cau- « sarum quasi persona publica. Alii autem secundum quod ab « eo eis committitur ».

Caeterum apparet ista esse semper intelligenda cum limitatione illa quam ipsa per se importat particularitas et subordinatio episcopalis potestatis. Unde in primis, a particulari episcoporum iurisdictione excipiuntur omnes causae quae ordinem universalis Ecclesiae respiciunt, vel cum eo proximam connexionem habent, et hac ratione *causae maiores* dicuntur. Has enim ad Sedem apostolicam pertinere, et notissimae iuris canonici sanctiones adstruunt (1), et ratio etiam perspicua ostendit,

(1) Decret. l. 1, Tit. 7, c. 1; et l. 3, Tit. 42, c. 3, etc. — Hic animadverte, esse errorem a Febronio vulgatum, quod disciplina referendi ad Sedem apostolicam omnes maiores causas, originem habuit saeculo VIII et IX ex suppositititiis decretalibus collectionis Isidorianae. Sunt autem suppositititiae decretales, quaedam canonum collectio, originaliter (ut videtur) a S. Isidoro Hispalensi compilata, et postmodum circa tempora Caroli Magni ab aliquo ignoto adaucta, interpolata, et divulgata, quae etiam fuit magna ex parte inserta a Gratiano in sua Concordia discordantium canonum. Scopus praecipuus compilatoris seu falsarii fuit obviandi abusui qui paulatim irrepserat in Germania et Gallia, ubi metropolitani sibi ius arrogaverant iudicandi et deponendi episcopos suae provinciae. Porro rei veritas habet quod suppositititiae decretales non fuerunt origo novi iuris, sed solum occasio reformationis

cum in omni societate bene ordinata, maiora negotia quae communis boni totius reipublicae intersunt, ad providentiam supremae potestatis semper devolvantur. Excipitur quoque omnis materia quam Pontifex sua lege ordinat, vel sibi forte reservavit. Quod enim possit Pontifex a iurisdictione episcoporum subtrahere certas res vel personas quae alias ad eam pertinerent, pro certo habendum est. Nam etsi ius divinum sanxerit ut singuli greges episcopis tanquam ordinariis pastoribus regendi committerentur, adhuc tamen quaedam latitudo est intra quam episcopalis potestas restrictionem patitur, quin propterea desinat esse potestas ad pascendum populum Dei. Nec oportuit ut per ius divinum omnino immobiliter determinaretur id quod debuit manere aliqualiter mutationi obnoxium pro varietate circumstantiarum ac temporum, pro maiori vel minori facilitate recursus ad Sedem apostolicam, aliisque eiusmodi. Nunc autem, si ius divinum non assignavit in individuo fines episcopalis potestatis, constat ipsam posse plus minusve restringi per ius pontificium, quia nullos alios limites novit pontificia auctoritas praeter eos quos ei ius divinum praefixit. Hinc ergo locum habent reservationes casuum, causarum, dispensationum, et similia. Hinc quoque oritur exemptio regularium qui in toto mundo ipsa sua exsistentia, iura Primae Sedis exercite attestantur.

§ 3.

Quod praeter Romanum Pontificem, nullus episcopus in alios episcopos iure divino habeat auctoritatem, et quod omnes gradus iurisdictionum patriarchalium, primatialium, vel archiepiscopalium, nihil aliud sunt quam quaedam participationes primatus S. Petri iure pontificio constitutae.

Ratio demonstrativa hinc petitur, quod episcopatus nihil aliud est quam collegium apostolicum per decursum saeculorum usque in mundi finem continuatum. Atqui in collegio apostolico nulla fuit a Christo instituta praelatio, praeter illam quae Petro

---

introductae ad normam antiqui iuris, ut bene ostendit Feller, *Biographie universelle, Isidore Mercator,* et etiam Bouix, *du Concile provincial. 3ème Partie, c. 1.*

propria est. Ergo neque in collegio episcoporum potestas est episcopi in episcopum quasi ex Christi institutione descendens, si unam excipias praelationem supremi capitis Romani Pontificis. Et confirmatur ex facto, quia iurisdictio patriarcharum cessavit. Ergo non erat de iure divino, cum impossibile sit ut in Ecclesia cesset id quod divinae institutionis est. Unde ulterius sequitur quod nec de iure divino sunt alii gradus in episcopali ordine usque nunc exstantes, quoniam illi profecto non altius repetunt principium, nec praestantiorem habent suae constitutionis originem.

Dicendum igitur est, institutionem patriarcharum et archiepiscoporum descendisse de auctoritate Petri seu successorum eius, quatenus convenientissima ordinatione provisum est ut certi antistites in certis circumscriptionibus, pro maiori minorive facultatum delegatione, vices apostolicae Sedis implerent. Unde Leo Magnus, epist. 14 ad Anastasium Thessalonicensem: « Quo« niam sicut praedecessores mei praedecessoribus tuis, ita etiam « ego dilectioni tuae vices mei moderaminis delegavi, ut curam « quam universis ecclesiis principaliter ex divina institutione de« bemus... adiuvares, et longinquis a nobis provinciis praesen« tiam quodammodo nostrae visitationis impenderes ». Et infra, sub finem: « Quibus (sacerdotibus) cum dignitas sit communis, « non est tamen ordo generalis, quoniam et inter beatissimos « apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio po« testatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum « est ut caeteris praeemineret. De qua forma, episcoporum quoque « est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est ne omnes « sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, « quorum inter fratres esset prima sententia, et rursus quidam « in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent am« pliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae « cura confluereet, et nihil usquam e suo capite dissideret ». Quo in loco distinctio fit inter archiepiscopos et patriarchas, ita tamen ut id omnibus commune esse asseratur, quod erga episcopos suarum provinciarum vel suorum patriarchatuum, organa Petri sint et ministri. Unde et Gregorius Magnus in epistola iam citata ad Eulogium Alexandrinum, urbanissime in memoriam revocat, duas sedes Alexandrinam et Antiochenam, in tantum supra alias multas auctoritatem accepisse, in quantum Petrus quadam delegatione suae potestatis eas ad praecellentem hunc

gradum evexerat. Quin imo in Concilio Lugdunensi II, Graeci ultro subscripserunt professioni fidei a Gregorio X missae, in qua sic habebatur: « Ad hanc (Romanam Ecclesiam) sic potestatis « plenitudo consistit, quod ecclesias caeteras ad sollicitudinis « partem admittit. Quarum multas, et patriarchales praecipue, « diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua « tamen observata praerogativa tum in generalibus conciliis tum « in omnibus aliis, semper salva » (1).

Porro in huius rei attestationem, signum distinctivum dignitatis archiepiscopalis quod est pallium, dicitur sumi *de corpore B. Petri*, « ad significandum supra-episcopalem potestatem « esse participationem quamdam (delegatam) potestatis primatus « quam Petrus et eius successores in Christi Ecclesia habent » (2).

§ 4.

Quod praeter episcopos nulli alii sunt qui ad hierarchiam iurisdictionis divina institutione constitutam pertineant.

Certe ad hierarchiam iurisdictionis divinitus institutam illi soli pertinent, qui ex praescripto divinae constitutionis Ecclesiae, in ipsa Ecclesia praesunt cum iurisdictione propria atque ordinaria. Atqui praeter episcopos nulli alii sunt qui has conditiones obtineant. Nam si quod dubium obvenire posset, hoc esset vel de cardinalibus, vel de praelatis religionum, vel denique de parochis.

Atqui cardinales qua tales (3), quocumque modo considerentur, non habent potestatem condistinctam ab ea quae propria est Sanctae Sedi, id est summo Pontifici, a quo assumuntur ut consiliarii et coadiutores in regimine universalis Ecclesiae, itemque ut negotiorum exsecutores tempore vacationis Sedis, praesertim ad electionem novi Pontificis quam citius celebrandam. Non

(1) Apud Labbe, Conc. Lugdun. II, Michaelis Palaeologi imperatoris Graecorum litterae ad Gregorium Papam X.

(2) Oietti, Synopsis rerum moralium et iuris pontificii, ad vocem *Pallium*.

(3) Cf. Constitutionem Eugenii IV *Non mediocri*, et Schmalzgrueber, Tom. I, Tit. XXXI, p. 2.

ergo constituunt ordinem cui propria insit iurisdictio, praeterquam quod minime dici possunt divinae institutionis, nisi forte eo sensu quod ad ipsum ius naturale pertinet, ut sint quidam clerici Pontifici assistentes, qui etiam, eo demortuo, electioni successoris provideant.

Adhuc minor ratio dubitandi est de abbatibus et praelatis religionum. Ubi nota quod potestas quae praepositis regularium in suos competit, est duplex. Una est dominativa, vel domestica seu oeconomica, qualem habet dominus in servum, pater in filium. Altera est iurisdictionis, et quidem quasi episcopalis, quia consistit in potestate reservandi casus, cogendi per excommunicationem et alias censuras ecclesiasticas, aliaque praestandi quae episcoporum propria sunt. Sed hanc eorum potestatem de iure divino non esse, evidentissime constat, quia etsi de institutione et voluntate Christi sit, ut perpetuo in Ecclesia vigeat status religiosus, non tamen de essentia et conceptu huius status est, ut potestas clavium penes ipsos religionis praelatos resideat. Et ideo religiosi status essentia omnino salvatur apud moniales, quanquam feminae sint iurisdictionis ecclesiasticae prorsus incapaces.

At parochos de iure divino esse, nonnullis aliquando visum est post Gulielmum a S. Amore, Gersonem, et alios in Concilio Constantiensi. Quorum opinio semper placuit Iansenistis, et non parvam habet affinitatem cum haeresi presbyterianismi saeculo IV ab Aerio introducta, pro quanto scilicet multa indebite attribuit sacerdotibus secundi ordinis in persona parochorum, praesertim si usque in eum perducatur excessum quem in Pistoriensibus Pius VI condemnavit (1). Porro parochorum nomine

(1) « Doctrina quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam « disciplinam in Synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pen- « dere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore su- « biectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum:* falsa, temeraria, « episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens « haeresi Aerianae a Calvino innovatae. — Item doctrina qua parochi « aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum epi- « scopo iudices fidei, et simul innuitur, iudicium in causis fidei ipsis « competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto: « falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati de- « finitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea ». Bulla *Auctorem fidei*, n. 9-10.

veniunt clerici habentes sub episcopis iurisdictionem ordinariam in aliquam plebis partem, minime quidem ad leges ferendas, aut iudicia in foro externo exercenda, sed solum ad praedicationem verbi Dei et dispensationem sacramentorum. Horum institutio, ut historice constat, certo certius anterior non est saeculo V, et per hoc ipsum iuris mere ecclesiastici esse ostenditur. Equidem de iure divino sunt presbyteri, quibus per sacram ordinationem confert Deus characterem seu ordinis potestatem. De iure pariter divino est, quod iidem presbyteri sint in sacramentorum administratione adiutores episcoporum, minime vero quod ordinaria iurisdictione instruantur ad haec munia exercenda, quasi minores pastores stabili modo uni plebi addicti.

Ergo in omnibus integra manet episcoporum praerogativa, de qua novissime scripsit Eminentissimus Cardinalis Segna in erudito opere cui titulus: De Ecclesiae Constitutione [1]. Vide illum.

[1] Romae, Forzani, 1900.

QUAESTIO XVI.

DE CONCILIIS.

Cum hactenus de subiecto potestatis dictum sit pro regulari et ordinario statu in quo Ecclesia regens per totum orbem est dispersa, quaedam tandem adiicienda veniunt de Conciliis quae identidem et veluti casualiter celebrantur. Et generalia quidem principia iam fuerunt exposita in Quaest. 13, praesertim Thesi 27. Sed et de causa finali conciliorum, eorumque vel necessitate vel utilitate satis egimus ubi de infallibilitate Romani Pontificis (1). Unde solum restat dicendum de tribus aliis generibus causarum, et primo de causa efficiente quae est legitima convocatio.

§ 1.

Quod de ratione concilii oecumenici est, ut convocetur a Summo Pontifice. Et quod concilia etiam particularia sine eius auctoritate legitime non congregantur.

Hic per prius animadvertes, convocationem sumi posse vel pro materiali actus cuius effectus est merum factum adunationis episcoporum, vel pro actu potestativo quo adunationi confertur legitimae synodi ratio et exsistentia. Nullum porro dubium quin de convocatione hoc secundo modo accepta nunc sit sermo. Rursus nota quod cum dicitur esse de ratione concilii oecumenici ut a Pontifice convocetur, procedit assertio de concilio omni ex parte oecumenico. Non enim diffitemur quin convocationis defectus per subsequentem confirmationem et ratihabitionem possit quasi in radice sanari. Quo quidem in casu concilium erit auctoritate oecumenicum, tametsi celebratione non fuerit.

Nunc autem ratio prioris assertionis aperte desumitur ex

(1) Supra, pag. 672, seq.

praedeclarata notione concilii oecumenici, in quo episcopi totius orbis assumuntur a Pontifice quasi in unitate suppositi, ut capitis et membrorum unus et indivisus actus sit, una sententia, unumque solemne iudicium. Huiusmodi enim assumptio per convocationem efficitur, et esse debet a capite assumente, non autem a membris assumendis, ut per se evidentissime constat. Accedit quoque, quod in omni monarchia, praesertim pura et simplici, generalia regni comitia nonnisi ex monarchae auctoritate congregantur. Sed hic, dubium historicum occurrere posset quantum ad partes imperatorum in primis conciliis indicendis. De qua re vide Bellarminum l. 1 de Conc. c. 13, ubi haec duo erudite copioseque declarat: Primo quod Ecclesia usa est urbanitate et condescendentia erga principes, penes quos tunc temporis erant omnes apparatus et sumptus conciliorum. Deinde quod decreta imperialia non habuerunt unquam rationem legitimae indictionis nisi ex assensu Pontificum. Et haec quidem de conciliis oecumenicis.

De particularibus vero dicendum quod ad eorum legitimam constitutionem necessaria quoque est Sanctae Sedis auctoritas. Nam potestas concilii particularis nequaquam consurgit ex summa potestatum quae sunt in singulis episcopis, sed singulus quisque in solidum exercet iurisdictionem super circumscriptionem longe excedentem propriae dioecesis fines. Et ideo, etiam ibi consideratur quaedam potestas supra-episcopalis, quae esse non potest nisi per delegatam participationem potestatis Summi Pontificis. Aliter tamen intervenire habet Sanctae Sedis auctoritas in conciliis provincialibus quibus metropolitani praesunt, aliter vero in conciliis quae non constant episcopis unius determinatae circumscriptionis ecclesiasticae. In prioribus enim auctoritas Pontificis intervenit per ipsam institutionem metropolitanorum, quibus vi institutionis demandatum est munus cogendi concilium provinciale, eique praesidendi. In aliis vero opus est speciali dispositione et directa dispensatione Sanctae Sedis, sine cuius consensu ecclesiastica regula vetat ne ulla synodus in Ecclesia celebretur, ut supra ex Socrate l. 2, c. 8, et Sozomeno l. 3, c. 10 notatum est.

§ 2.

Quod omnes episcopi locorum ordinarii habent ius sedendi cum suffragio decisivo in conciliis oecumenicis; et quod de aliis episcopis, an de iure, an solum ex privilegio vocari debeant vel possint, controvertitur.

Ratio asserti est quia conciliorum oecumenicorum nomine veniunt generalia comitia eorum qui sunt positi regere Ecclesiam Dei. Tales autem, ut ex praemissis constat, sunt omnes episcopi locorum ordinarii. Omnes porro dico, et titulo aequali. Cum enim in concilio sedeant ut catholici episcopi, non ut mandatarii plebium suarum, nulla esse potest distinctio inter episcopos maiorum minorumve sedium. Sed nec valent ibi primatialium vel archiepiscopalium iurisdictionum praerogativae, quae ad vices moderaminis Sanctae Sedis in statu dispersionis implendas sunt introductae. Et ideo omnes et singuli, a minimo usque ad maximum, aequali iure donantur sub communi omnium capite summo Pontifice.

Controvertitur autem, ad strictum ius quod attinet, de episcopis titularibus qui sunt sine plebe, quoniam hi non pertinent actu ad Ecclesiam regentem. At nihilominus, cum procul dubio charactere insigniantur qui ad Ecclesiae regimen est ordinatus, dicendum quod convocatio eorum est saltem consentanea ordini divinitus instituto, nedum ei contrarietur. Et hoc quidem maxime valet de vicariis apostolicis, qui etsi ordinarii pastores non sint, adhuc tamen in regionibus missionum ea quae pastorum sunt exsequuntur.

Denique a iure sedendi certo certius excluduntur simplices presbyteri, quorum character non dicit habitudinem ad regendi officium. Quanquam ex privilegio admittantur cardinales, abbates, et religionum generales, prout apud canonistas late declaratum invenies. De principibus vero nequidem esse potest quaestio, cum satis superque notum sit eos nequaquam ad ordinem hierarchicum pertinere. Unde, ut Bellarminus ait l. I de Conc. c. 17, invitabantur olim, tum ut Concilium defenderent, tum ut testes et conscii conciliarium decretorum, postea transgressores ac contumaces sua potestate comprimerent.

§ 3.

Quod ad Summum Pontificem pertinet vel per se vel per legatos oecumenicis conciliis praesidere, et quod conciliaribus decretis vis peremptoria non est nisi ratione confirmationis eiusdem Summi Pontificis, quae sola communi episcoporum sententiae rationem confert supremitatis atque irreformabilitatis.

Cum praecedens quaestio esset de causa materiali conciliorum, nunc ultimo succedit quaestio de causa formali, qua quaeritur quis debeat esse ordo inter iudices, id est inter membra concilii. Sicut enim in corpore, ait Bellarminus, forma dicitur figura seu ordo omnium membrorum suo loco positorum, ita in coetu hominum forma dicitur ordo quidam quo praeest qui debet praeesse, subest qui debet subesse.

Itaque agitur in primis de praesidentia concilii. Praesidentiam autem dico, non purae repraesentationis quam in modernis parlamentis videre est, sed verae iurisdictionis, qua Pontifex ex potestate sibi propria ius habet moderandi conciliares operationes, determinandi res discutiendas, admittendi vel reiiciendi ea quae sunt iudicio Patrum proponenda, ipsum concilium transferendi, suspendendi, dissolvendi, etc. — Porro a praedicta praesidentia distinguitur iudicialis eiusdem Romani Pontificis sententia quae conciliaribus statutis vim confert peremptoriam. Et ab ea distinguitur primo secundum propriam et intrinsecam rationem, ut per se evidenter patet. Distinguitur deinde secundum rationem necessitatis, pro quanto praesidentiae defectus per subsequentem confirmationem quasi in radice sanari potest, ut iam dictum est de convocatione; at confirmatio pontificia est essentialiter et indispensabiliter requisita ad decretorum auctoritatem. Tertio demum distinguitur, quatenus potest Pontifex praesidere concilio etiam per legatos; confirmare autem decreta conciliaria, nonnisi per semetipsum. Quippe, suam potestatem sub ratione supremitatis delegare omnino nequit. Cum igitur confirmatio sit actus supremus ex quo decretis accedit irreformabilitas, a Pontifice in propria persona promanet necesse est. At vero praesidentia concilii non importat definitivum et ultimum supremae

auctoritatis exercitium, quia decreta Patrum etiam sub legitimo praeside edita, adhuc subiacent ulteriori determinationi per quam ad culmen auctoritatis perducantur.

His igitur praemissis, declarationis terminorum gratia, utrumque assertum facile demonstratur. Et ius quidem praesidentiae evidentius sequitur ex monarchica Ecclesiae constitutione, quam ut nunc indigeat pluribus firmari argumentis. Hoc idem ius comprobant omnia oecumenicorum conciliorum acta. Si enim excipias Concilium II et Concilium V quae non fuerunt in sua celebratione oecumenica, in omnibus aliis, absente Pontifice, praesides assignantur legati apostolicae Sedis. Nam in Concilio I (Nicaeno, anno 325) praesedit Hosius Cordubensis episcopus cum presbyteris Vito et Vincentio, qui tres agebant vices S. Silvestri Papae. In Concilio III (Ephesino, anno 431) praesedit Caelestinus per Cyrillum Alexandrinum et alios Roma missos, quibus etiam hoc dederat commonitorium: « Auctoritatem Sedis apostolicae custodiri debere mandamus.... Ad disceptationem si fuerit « ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire « certamen » (1). In Concilio IV (Chalcedonensi, anno 451) praesedit S. Leo per Paschasinum et Lucentium episcopos, Bonifacium et Basilium presbyteros. In Concilio VI (Constantinopolitano III, anno 680) praefuit Agatho per suos legatos, quorum duo erant simplices presbyteri Petrus et Georgius, tertius Ioannes diaconus. In Concilio VII (Nicaeno II, anno 787), sine controversia praesides fuerunt legati Adriani I, Petrus archipresbyter et Petrus abbas S. Sabae. In Concilio VIII (Constantinopolitano IV, anno 869) praesederunt legati Adriani II, Donatus et Stephanus episcopi, et Maximus diaconus. De aliis vero in Occidente celebratis nequidem suboriri potest quaestio.

Nunc de absoluta necessitate confirmationis pontificiae ad oecumenicitatem decretorum, dicendum quod sponte sua exoritur ex praemissis. Nam si decreta sub formalitate decretorum sunt ab omnibus episcopis simul sedentibus et coniudicantibus, tamen formalitas supremitatis et irreformabilitatis non potest esse nisi a Pontifice, qui in conciliari unitate est caput ad se membra assumens, et petra totam compagem firmans, et monarcha penes quem unum sunt summae claves regni coelorum. Denique, Pon-

(1) Migne, P. L. Tom. 50 col. 503.

tificiae confirmationis necessitas adeo illustri et constanti Ecclesiae traditione proponitur, ut apud Gallicanos ipsos instar inconcussae veritatis semper habita sit.

Concludendum ergo quod concilium oecumenicum et Pontifex non sunt duo subiecta, neque supremae potestatis, neque etiam activae infallibilitatis. Non supremae potestatis, quia concilium eam non habet nisi ratione Summi Pontificis, cuius auctoritas informat definitiones communi consensu conciliariter edictas ad unitatis Ecclesiae manifestationem. Neque etiam activae infallibilitatis, quia haec infallibilitas annectitur supremae potestati ecclesiasticae velut inseparabilis eius praerogativa, quemadmodum in superioribus saepe dictum est.

Sic igitur, assistit Deus Ecclesiae docenti ne in docendo fallat aut fallatur, et haec est infallibilitas activa. Assistit et Ecclesiae edoctae ne a sequenda doctrina pastorum aberret, et haec est infallibilitas passiva. Ex utraque autem, Ecclesiae universalis omnimoda integratur indefectibilitas. Sed Ecclesia docens Pontifice et episcopis constat. Rursus episcopi sunt pastores et magistri respectu plebis, oves vero et discipuli respectu Pontificis. Unde in toto corpore episcoporum attenditur infallibilitas quae sub alio et alio respectu passiva est et activa. Passiva quidem, in quantum integrum corpus obnoxium est magisterio Pontificis doctoris omnium christianorum, a cuius ductu deviare omnino non potest. Activa vero, in quantum hoc idem corpus constituitur super christianam plebem, in qua edocenda, a Petra Ecclesiae et supremo omnium Pastore confirmatur. Et hoc modo hierarchia nostra in summa unitate summoque ordine disponitur, vere terribilis inferni portis *ut castrorum acies ordinata.*

FINIS PRIMI TOMI

INDEX

PAG.

PROOEMIUM 5-23

PARS PRIMA

Demonstratio veritatis Ecclesiae Catholicae Romanae necnon et falsitatis omnium sectarum quae ab ea separantur.

INTRODUCTIO — De obiecto, ratione, et mediis huius demonstrationis 27

§ 1. — *De assensu evidenti* 29

Divisio evidentiae quoad modum quo est in intellectu 30-31

Divisio evidentiae quoad esse quod reddit praesens intellectui 31-33

§ 2. — *De assensu fidei* 34

Quid sit credere et quot modis dicatur . . 34-36

Quod eadem est resolutio fidei divinae et fidei humanae in auctoritatem loquentis, et quod fides supernaturalis formali obiecto non differt a fide quae naturae viribus eliceretur 36-40

Quod auctoritas Dei revelantis attingitur ante actum fidei et in ipso fidei actu, aliter tamen et aliter. Ante actum fidei attingitur absolute ut res, et non est per se immediate nota, sed innotescit per argumenta seu signa quae possunt esse multiplicis generis, et maioris minorisve certitudinis. In

PAG.

ipso autem fidei actu attingitur pure ut ratio credendi, hoc est, non ut quod creditur, sed ut propter quod aliquid creditur, et seipsa firmat assensum credentis, eumque uniformiter terminat, quin detur locus ulteriori resolutioni 40-43

§ 3. — *De credibilitate et evidentia credibilitatis* 43-48

§ 4. — *Quomodo Ecclesia demonstretur, et quomodo credatur* 48-51

§ 5. — *De modo et mediis instituendae demonstrationis* 51-55

QUAESTIO I. — **De institutione visibilis Ecclesiae Christi extra quam non est salus.**

Sententia catholicorum circa successionem religionis inde ab initio mundi 56-61

Sententiae adversae 61-66

THESIS I. — Christus in terris adveniens Mosaicae religioni finem dedit, Ecclesiamque suam ut adimpletionis oeconomiam in quam transiret Vetus Testamentum, primum quidem praedicando annuntiavit, tum in praeparatione proxima antequam pateretur disposuit, denique a mortuis resurgens in actu ultimo fundavit. Quae etiam statim post Christianam Pentecosten, tanquam perfecta atque distincta a Synagoga societas, vitam agere propriam et sese per mundum expandere coepit. 67-99

THESIS II. — Ecclesia Christi ex eiusdem Christi revelatione et instituto est essentialiter visibilis, et ipsa visibilis Ecclesia est Ecclesia promissionum, in qua et per quam homines sanctitatem et salutem consequuntur, ad quam denique si quis re vel voto non pertinuerit, salvus esse non poterit . 99-119

QUAESTIO II. — **De notis Ecclesiae in communi** 120

§ 1. — *Quod male a Protestantibus notae Ecclesiae assignantur* 121-124

§ 2. — *Item, a Graecis et Moscovitis* . . . 125-135

§ 3. — *Quod notae recte reponuntur in quatuor proprietatibus a Patribus Constantino-*

PAG

politanis symbolo inscriptis: Et unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam. 135-141

Quaestio III. — **De nota unitatis** 142

Praenotiones de triplici unitate regiminis, fidei, et communionis 142-148

Thesis III. — Ecclesia ex sui fundatoris instituto est essentialiter una unitate regiminis, fidei, et communionis. Quae triplex unitas prout viva ac per se consistens, id est, nulli alii unitati naturali (puta politicae) subordinata, et accessorii instar annexa, proponitur in evangelio velut nota verae Ecclesiae positiva. Porro, in vi huius notae Ecclesia communionis Romanae unica vera et legitima Christi sponsa esse ostenditur 148-168

Quaestio IV. — **De nota sanctitatis.**

Praenotiones de sanctitate principiorum et membrorum 169-175

Thesis IV — Ecclesia Christi est essentialiter sancta, primum quidem sanctitate principiorum, quam deinde consequitur ut necessaria proprietas sanctitas etiam membrorum. Utraque autem sanctitas prout sese exterius manifestans, haberi debet pro nota verae Ecclesiae positiva, idque non tantum in vi auctoritatis librorum N. T., sed ex ipsa quoque natura rei 175-183

Thesis V. — Perspicuis et notoriis factis demonstratur sedem sanctitatis in mundo nullam omnino esse praeter Ecclesiam Romanae communionis, utpote quae sola ex propriis principiis influat sanctitatem, et sola etiam heroes virtutis velut genuinos a se formatos filios sibi vindicare possit. Hinc rursus in vi huius notae, tanquam unica vera Ecclesia Christi ab omnibus est agnoscenda 184-201

Quaestio V. — **De nota catholicitatis** 202

Praenotiones 202-204

Thesis VI. — Ecclesia Christi est essentialiter catholica catholicitate iuris seu destina-

PAG.

tionis et missionis acceptae a suo Fundatore. Hanc deinde ut necessaria proprietas consequitur catholicitas facti consistens in duobus. Primo quidem in permanenti ac simultanea per orbem diffusione, qua fit ut ipsa vera Ecclesia ingentem fidelium numerum de multitudine gentium sinu suo semper comprehendat. Tum secundo in incremento successivo quo usque in mundi finem sese magis ac magis propagare debet per omnia omnino terrarum loca, omnesque hominum progenies 204-217

THESIS VII. — Ecclesia Romanae communionis habet sola omnes catholicitatis conditiones, et splendore huius notae, independenter etiam a positiva auctoritate Scripturarum, in summo orbis theatro tanquam a Deo fundata palam innotescit 217-230

QUAESTIO VI. — **De nota apostolicitatis** 231

Praenotiones . . . . . Ibid.

THESIS VIII. — Vera Christi Ecclesia est essentialiter apostolica, quatenus in finem usque habere debet visibilem continuationem cum primitiva ea ecclesia quam plantaverunt apostoli. Et quia eiusmodi continuatio ita ei propria est, ut nulli falsae sectae possit esse communis, notae quoque positivae vim ac rationem obtinet, imo vero notae principalis qua potissimum utuntur Patres. Porro, tanto evidentius in communione Romana character iste resplendet, quanto manifestius ab aliis omnibus abesse ostenditur 231-250

THESIS IX. — Cum apostolicitate originis intime cohaeret apostolicitas ministerii sive regiminis, quae quidem in Ecclesia catholica ex successione Romanorum episcoporum super Sedem Petri maxime est conspicua, alibi vero tam evidenter deest, ut ex hoc capite omnes quotquot in mundo sunt sectae separatae, obvia et perquam manifesta illegitimitatis nota obsignentur . 251-266

PARS SECUNDA

De intima constitutione Ecclesiae

PAG

Prooemium huius secundae partis 267-270

CAPUT PRIMUM

QUAESTIO VII. — **De ecclesiae membris** 271

Sententiae haereticorum 271-275

Sententiae theologorum 275-280

THESIS X. — Id quod primo et principaliter requiritur ut quis sit Ecclesiae membrum est character baptismalis, isque non putative tantum, sed in rei veritate susceptus. Porro tanta est vis huius characteris, ut nisi aliquo ipsius baptizati actu haec eius efficacia impediatur, semper aggreget hominem unitati corporis Ecclesiae Catholicae. Ideo illi omnes qui usum rationis nondum adepti, quocumque tandem modo et a quibuscumque sacramentum baptismatis vere acceperunt, ipso facto inter vera corporis eius membra numerantur. 280-288

THESIS XI. — Licet character baptismalis sit de se sufficiens ad incorporandum hominem verae Ecclesiae catholicae, nihilominus ad hunc effectum requirit in adultis duplicem conditionem. Et prima quidem conditio est ut non impediatur sociale vinculum unitatis fidei per haeresim formalem aut etiam mere materialem. Verumtamen, quia huiusmodi impedimentum illa sola haeresis affert, quae in apertam professionem transit, dicendum est solos notorios haereticos a corpore Ecclesiae excludi . . 288-301

THESIS XII. — Altera conditio pro adultis requisita in eo est, ut non impediatur vel non solvatur vinculum catholicae communionis, quod duobus modis potest destrui. Primo per ipsius hominis factum, hoc est, per schisma, de quo proportionaliter sen-

PAG.

tiendum est sicut de haeresi. Deinde per sententiam ecclesiasticae auctoritatis, id est, per excommunicationem quae plenam et perfectam habeat excommunicationis rationem. Quia vero nulla videtur esse talis nisi ea qua quis vitandus efficitur, sequitur quod ad Ecclesiae corpus adhuc pertinere possunt excommunicati tolerati, sive occulti sint, sive etiam notorii. 301-308

THESIS XIII. — Praeter characterem baptismalem simul cum vinculo unitatis tum fidei tum communionis catholicae, nulla alia requiritur conditio. Et ideo, (quod fide etiam tenendum est), inter Ecclesiae membra non sunt soli iusti, multoque minus soli praedestinati 308-322

THESIS XIV. — De anima Ecclesiae sunt omnes et soli iusti in mundo exsistentes; sed primo et principaliter ii qui in re ipsa, deinde vero quasi accessorie, ii qui solo voto ad visibile eius corpus pertinent . . 322-323

CAPUT SECUNDUM

QUAESTIO VIII. — **De potestate ecclesiastica in generali.**

Prooemium 324-326

§ 1. — *Quod potestas ecclesiastica, si formales potestatum rationes considerentur, recte dividitur in potestatem ordinis, magisterii, et iurisdictionis* 326-331

§ 2. — *Quod potestas magisterii, si spectetur in concreto prout inseparabiliter annexum habet ius imperandi subditis obedientiam fidei, ab ipsa potestate iurisdictionis adaequate non distinguitur. Et quod hac de causa usu satis communi recepta est bimembris divisio potestatis ecclesiasticae in potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis* 331-333

§ 3. — *Quae divisio hic tenenda* 333-334

QUAESTIO IX. — **De potestate ordinis.**

THESIS XV. — Est in Ecclesia specialis potestas ordinis quae a potestate iurisdictionis

PAG.

non solum essentia et obiecto distinguitur, verum etiam collationis modo, pro quanto scilicet id propriissimum habet ut consecratione conferatur, id est sacri impressione characteris, ac per hoc, inamissibiliter prorsus permaneat in omni eo qui semel ea potitus est. — Huiusmodi autem distinctio ordinem inter et iurisdictionem, minime efficit ut haec duo sint a se invicem iuxta Christi institutum simpliciter independentia. Sed omnino dicendum est, potestatem ordinis a potestate iurisdictionis dependere quantum ad legitimitatem exercitii, et vicissim potestatem iurisdictionis a potestate ordinis tanquam a conditione in subiecto requisita ut in eo sit regulari ac connaturali modo — Atque hinc tandem consurgit mirabilis illa hierarchiae ecclesiasticae ratio, quae in indivisibili et compacta unitate perstat, et tamen ordinis characteres natura sua inamissibiles, etiam in transfugis et desertoribus permanere sinit 335-345

QUAESTIO X. — **De potestate magisterii.**

THESIS XVI. — Medium a quo dependet iuxta divinam ordinationem propositio credendorum, non est privatus spiritus vel privatum examen Scripturae, sed auctoritas viventis magisterii. Hanc porro auctoritatem in Ecclesia sua Christus instituit cum infallibilitatis charismate perpetuo duraturam, ut esset in ea immobile principium tum incorruptionis tum unitatis fidei. — Nec tamen ad solos fideles seu etiam catechumenos beneficum eius influxum patere voluit, sed supra verticem montium cathedram ecclesiasticam erexit, ut ad eos quoque qui longe sunt, miris multiplicibusque modis hoc magisterium radios suae lucis expanderet, et per ipsum ad perfectum adduceretur quidquid ab initio mundi fuerat pu-

PAG.

blice provisum pro diffusione revelatae veritatis in genere humano 346-387

THESIS XVII. — Potestas infallibilis magisterii pro obiecto primario habet res fidei et morum quae in deposito catholicae revelationis formaliter explicite vel formaliter implicite continentur. — Secundario vero extenditur ad alias etiam veritates in se non revelatas, quae tamen requiruntur ut revelationis depositum integrum custodiatur, et nominatim quidem ad multiplices propositionum censuras et ad facta dogmatica. 387-415

THESIS XVIII. — Quidquid ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam a Deo revelatum proponitur, fide divina credendum est, et pertinaciter obnitens incurrit haeresim. — Caetera vero ab eodem magisterio definita, non divina, sed ecclesiastica fide videntur esse credenda. Unde non sunt per se materia circa quam formalis haeresis esse possit, quamquam huiusmodi definitionibus ex ipsius iuris divini praescripto plenum intellectus et voluntatis obsequium debeatur. . . . 415-428

THESIS XIX. — Ad potestatem magisterii pertinet postremo censurare doctrinas censuris ordinis practici, tanquam quae tuto vel non tuto teneri ac tradi possint. Et quamvis eiusmodi decisiones non sint ex natura rei irreformabiles, neque a suprema auctoritate doctrinali, sed a Pontificiis Congregationibus ut plurimum procedant, adhuc tamen ut se eis subiiciant ex conscientia catholici obstringuntur 428-434

QUAESTIO XI. — **De potestate iurisdictionis.**

THESIS XX. — Ecclesiae suae contulit Christus liberam atque independentem ab omni humana dominatione iurisdictionem, quae non interni tantum, verum etiam externi fori est, comprehendens in ordine ad finem regni coelorum triplicem illam quae omni perfectae societati competit potestatem: le-

PAG.

gislativam scilicet, iudiciariam, et coactivam 435-450

THESIS XXI. — In tota amplitudine potestatis clavium a Christo institutae duplex distinguitur iurisdictionis modus, pro quanto alia iurisdictio est habens esse completum in Ecclesia, eique competens tanquam causae principali; alia vero est in ea existens tantum ut in Dei instrumento. — Prior est primo ac principaliter ad ligandum ligamine legis, et quamvis se extendat ad omnem materiam cuius obligatio conducit ad finem regni coelorum, directe tamen ac per se circa solos actus externos versatur. Posterior est principaliter ad solvendum. Non autem ad solvendum instituta aut leges divinas sive naturales sive positivas, sed solum ad solvendum particulares personas a vinculis adhuc connaturaliter solubilibus quae per suos proprios actus in foro Dei contraxerunt 451-461

THESIS XXII. — Legislativa Ecclesiae potestas pro materia habet tam res fidei et morum quam res disciplinae. Sed in rebus fidei et morum obligatio legis ecclesiasticae adiungitur obligationi iuris divini; in materia vero disciplinae tota obligatio iuris ecclesiastici est. Semper tamen exercitio supremae potestatis legiferae annectitur infallibilitas, pro quanto ex Dei assistentia habet Ecclesia ut nunquam possit statuere disciplinam quae sit quomodolibet opposita regulis fidei et evangelicae sanctitatis . . . 461-465

THESIS XXIII. — Ex praemissis consequitur quod Ecclesiae administrationi et regimini in societatibus christianis specialiter subiicitur iuventutis institutio atque educatio, necnon et librorum impressio, editio, et lectio, in ordine ad puritatem fidei et morum integritatem. 466-470

THESIS XXIV. — Ad potestatem legislativam demum consequitur potestas coactiva quae

PAG.

decretis poenis, non spiritualibus modo, sed et temporalibus ac corporalibus coerceat contumaces. Quidquid autem sit de quaestione controversa, an Ecclesia per se ius gladii immediate possideat necne, dicendum saltem est quod recte et legitime ad coercitionem dissidentium vim potentiae saecularis invocare potuit, et foro civili tradere incorrigibiles haereticos capitali etiam poena puniendos 471-479

CAPUT TERTIUM.

Quaestio XII. — **De forma regiminis ecclesiastici in generali, sive de ratione secundum quam a formis politici principatus discriminatur.**

Prooemium 481-482

§ 1. — *De originibus et formis politici principatus.*

I. Quod potestas politica secundum se a Deo sit auctore naturae 483-488

II. Quod nec forma politici principatus nec coniunctio potestatis cum quibuslibet imperantium personis immediate a Deo sit. Et quod ex consequenti, nulla est persona in civilibus societatibus seu regnis, quae iure divino potiatur auctoritate 488-492

III. Quod ius determinandi formam gubernii et statuendi legem investiturae potestatis, originaliter in communitate est. Et quod sententia scholasticorum circa civilem principatum ad hos terminos reducta, verissima invenitur 492-503

IV. Quod ius statuendi novam gubernii formam novamque investituram potestatis, semper in communitate est quantum boni publici necessitas exigit. Et quod hac de causa, generatim loquendo, omne gubernium cui pacifice adhaeret communitas, pro legitimo habendum sit 503-504

PAG.

§ 2. — *De modo principatus ecclesiastici.*

Quid proprium, quidve distinctivum habeat ecclesiastici principatus forma et constitutio. 505-509

QUAESTIO XIII. — **De monarchia Ecclesiae in Beato Petro instituta.**

Praenotiones de monarchia, eiusque divisione tum in simplicem et mixtam, tum in absolutam et non absolutam 510-513

Errores haereticorum circa monarchiam Ecclesiae 513-514

Error Gallicanorum 514-516

Sententia Bellarmini 516-517

THESIS XXV. — Iuxta evangelii testimonia (Matth. XVI et Ioan. XXI) primatus iurisdictionis constans plenitudine potestatis in universam Dei Ecclesiam, immediate et directe Beato Petro, apostolo, eiusque in perpetuum successoribus collatus a Christo Domino fuit. Et ideo regimen Ecclesiae dicendum est divina institutione exactum ad formam plenae perfectaeque monarchiae . . 517-543

THESIS XXVI. — Singuli praeter Petrum apostoli eidem Petro prorsus aequiparabantur, non solum quoad ordinis potestatem, verum etiam quoad speciale charisma infallibiliter exsequendi constitutionem Christi in prima Ecclesiae plantatione, Ecclesiamque ipsam initiandi sicut erat semper permansura seu continuanda omnibus abhinc diebus usque ad consummationem saeculi. — Sed omnis episcopalis iurisdictio quam vel ipsi vel instituti ab eis antistites in particulares plebes habuerunt, de plenitudine pastoralis potestatis Petri descendebat. — Iurisdictio vero quam procul dubio praeter et ultra ordinarium particularium ecclesiarum episcopatum singulatim exercuerunt, in eis non fuit nisi ut puris eiusdem Petri vicariis, cui soli monarchica Ecclesiae constitutio contulerat in proprium, supremam atque universalem pascendi auctoritatem. 543-561

THESIS XXVII. — Verumtamen ad commen-

PAG.

dandam illam unitatem de qua in ultima coena pro apostolis orans dicit: *Ut sint unum sicut et nos, ut in nobis unum sint, ut sint consummati in unum,* stabili perpetuaque institutione disposuit Christus ut collegium apostolicum prout unitum principi Petro, consors esset supremae potestatis. Hinc monarchia Ecclesiae est monarchia sui generis, quae cum plenam minimeque diminutam monarchici iuris rationem per omnia retineat, adhuc tamen particularium antistitum regimen sic coniunctum habet, ut etiam in individuum summae auctoritatis exercitium admittat cohaerens cum capite episcopale corpus 561-565

QUAESTIO XIV. — **De successore Petri Romano Pontifice.**

Quaestionis divisio. 566

THESIS XXVIII. — Fide catholica certum est, Romanum Pontificem apud quem est de facto successio Principis apostolorum, iure divino universae praeesse Ecclesiae. — Insuper, hanc Petri successionem quae titulus est ad Ecclesiae monarchiam, penes ipsum esse, non modo veritas est facti, sed etiam definitum fidei dogma. — Quin imo, si huius dogmatis conditio et tenor inspiciatur, dicendum omnino videtur alligationem primatus ad episcopalem Sedem Romanam fuisse divino iure sancitam, adeoque (quod ex maxima convenientia requirebatur), summum Ecclesiae principatum esse eiusdem Sedis praerogativam in finem usque saeculorum omnibus modis ab ea inamovibilem. 566-595

Corollarium I. — *Romanus episcopatus et supremus pontificatus non sunt duo episcopatus in actu, sed potentia tantum, hoc sensu scilicet quod potuissent esse duo* 595-597

Corollarium II. — *Sedes Romana est sedes Petri, non autem coniunctim Petri et Pauli, nec Paulus aliquid contulit quantum ad ius potestatis, sed solum quantum ad nobilitatem originis* 597-598

PAG

Corollarium III. — *Si sermo sit de personis quae primatu decorantur, non una est Petri et successorum eius conditio, pro quanto Petrus fuit personaliter a Christo electus, et nulla mediante designatione humana, primatu insignitus; successores vero investituram potestatis iure divino non obtinent nisi praesupposita designatione personae in Romanum episcopum per electionem canonicam* 599-600

Thesis XXIX. — Cum titulus ad successionem Petri in primatu totius Ecclesiae sit legitima in Romanum episcopum electio, prae primis tenendum est conditiones huius electionis a solo iure pontificio, regulariter saltem loquendo, dependere. — Insuper, in persona rite electa et semel pontificatu aucta pontificia potestas cessare quidem potest per voluntariam abdicationem, sed minime per depositionem, imo nec quovis alio modo, si iuxta fundatissimam Bellarmini aliorumque theologorum sententiam supponatur impossibilis casus Pontificis qui per haeresim notoriam desineret esse de Ecclesia. — Quidquid vero de possibilitate huius hypothesis adhuc sentias, id saltem necessario admittendum: pacificam universalis Ecclesiae adhaesionem fore semper infallibile signum legitimitatis personae Pontificis, adeoque et existentiae omnium conditionum quae ad legitimitatem ipsam sunt requisitae. 600-613

Thesis XXX. — Romanus Pontifex habet potestatem ordinariam, immediatam, et vere episcopalem in omnes ac singulas particulares ecclesias; itemque in omnes episcopos tam dispersos quam congregatos, tam distributive quam collective sumptos. Unde superioritas Concilii supra Pontificem a Gallicanis aliquando asserta, reiicienda est tanquam omnino erronea. 613-629

Thesis XXXI. — Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fun-

PAG.

gens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollet qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex seSe, non autem ex consensu Ecclesiae, sunt irreformabiles 629-677

THESIS XXXII. — In Constitutione Vaticana *Pastor aeternus,* Summus Pontifex definivit suam infallibilitatem sacro approbante Concilio, sed ad hanc definitionem Concilio absolute non indigebat. Insuper nihil per definitionem ipsam mutatum est in habitudine Pontificis ad Ecclesiam aut Ecclesiae ad Pontificem, sed id solum effectum est, ut in perpetuum aboleretur error qui apud quosdam obtinuerat, et nonnisi per summam incohaerentiam in eorum opinione subsistebat simul cum fundamentalibus principiis professionis catholicae 677

QUAESTIO XV. — **De successoribus apostolorum episcopis.**

Praenotanda 682

§ I. — Quod ad hierarchiam iure divino constitutam pertinent episcopi qui singulis gregibus cum auctoritate propria et ordinaria praesident 682-683

§ 2. — Quod iurisdictio episcopalis, etsi possit per ius pontificium plus minusve restringi, natura tamen sua semper est iurisdictio completa, ad omnes partes regiminis ecclesiastici in foro tam externo quam interno se extendens 683-685

§ 3. — Quod praeter Romanum Pontificem, nullus episcopus in alium episcopum iure divino habet auctoritatem Et quod omnes gradus iurisdictionum patriarchalium, primatialium vel archiepiscopalium, nihil aliud sunt quam delegatae participationes primatus S. Petri, iure pontificio constitutae. 685-687

PAG.

§ 4. — Quod praeter episcopos, nulli alii sunt qui ad hierarchiam iurisdictionis divina institutione positam pertineant 687

QUAESTIO XVI. — **De conciliis.**

Praenotanda 690

§ 1. — Quod de ratione concilii oecumenici est ut convocetur a Summo Pontifice, et quod concilia etiam particularia sine eius auctoritate non sunt legitima 690-691

§ 2. Quod omnes episcopi locorum ordinarii habent ius sedendi cum suffragio decisivo in conciliis oecumenicis. Et quod de aliis episcopis, an de iure, an tantum ex privilegio vocari debeant vel possint, controvertitur 692

§ 3. — Quod ad Summum Pontificem pertinet vel per se vel per legatos oecumenicis conciliis praesidere. Et quod conciliaribus decretis vis peremptoria non est nisi ratione confirmationis eiusdem Summi Pontificis, quae sola communi episcoporum sententiae formalitatem confert supremitatis atque irreformabilitatis 693-695

Conclusio de subiecto supremae potestatis et activae infallibilitatis.

OPERIS APPROBATIO

Cum opus cui titulus est *Tractatus de Ecclesia Christi (Editio tertia)*, a Card. Ludovico Billot nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, 15 Aprilis 1921.

Carolus Miccinelli S. I.
Praepositus Provinciae Romanae.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica Archiep. tit. Philippensis, Vicesg.

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI

SIVE

CONTINUATIO THEOLOGIAE DE VERBO INCARNATO

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

S. R. E. CARDINALI

OLIM IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

THEOLOGIAE PROFESSORE

TOMUS SECUNDUS

De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

IN « VIA DEL SEMINARIO 120 »

—

MCMXXII

IMPRIMATUR

Fr. A. Lepidi O. P., S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

PROOEMIUM

Verba Danielis ad Nabuchodonosor, cum postquam somnii eius relationem simul et interpretationem pollicitus esset, introductus ad regem, ait: *Mysterium quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli et aruspices nequeunt indicare regi. Sed est Deus in coelo revelans mysteria, qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quae ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt. Tu rex cogitare coepisti in strato tuo, quid esset futurum post haec, et qui revelat mysteria ostendit tibi quae ventura sunt... Tu rex videbas, et ecce quasi statua una grandis... Huius statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex aere. Tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars erat ferrea; quaedam autem fictilis... Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum et aurum et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt vento. Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit*

universam terram. Hoc est somnium. Interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex. Tu rex regum es, et Deus coeli regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi, et sub ditione tua universa constituit. Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum; et regnum tertium aliud aeneum, quod imperabit universae terrae. Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia haec. Porro quia vidisti digitos pedum ex parte ferreos et ex parte fictiles, ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum... In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eis alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum, secundum quod vidisti quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam et ferrum et aes et argentum et aurum. Deus magnus ostendit regi quae ventura sunt postea, et verum est somnium, et fidelis interpretatio eius.

Hucusque Daniel prophetico spiritu complectens omnem seriem saeculorum, vicissitudinesque politicas quae in mundo superventurae erant ita describens, ut non tam vatem futura praedicentem audire crederes, quam historicum praeterita narrantem, seu ea quae ex monumentis accepit superiorum aetatum, fideli relatione sub compendio referentem. Et plura sunt in hoc vaticinio omni admodum attentione digna.

Primum est successio quatuor imperiorum, per caput statuae aureum, pectus argenteum, ventrem aeneum, et tibias ferreas cum pedibus partim ferreis et partim fictilibus, designatorum. Sunt autem quatuor ingentes monarchiae quae a temporibus Danielis, una post alteram

in mundo civili eminuerunt: Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, postremo Romanorum. Nec opus ibi est longa et operosa expositione, siquidem sole clariora sunt in hac parte historiae documenta. *Tu es,* inquit, *caput aureum.* Per quod ostenditur primum regnum Babylonicum, quod revera in Nabuchodonosore II iam attigerat summum splendoris et potentiae. Unde auro pretioso comparatur, cum nihil opulentius Babylone fuerit, nihil magnificentius. Vide Isai. XIV-4, seq. Jerem. LI per totum; Dan. IV-17, seq., etc. *Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum:* Medorum scilicet atque Persarum, fundatum a Cyro, quando abductis a cursu suo aquis Euphratis, ingens illa Babylon quae confidebat in altitudine turrium et potentia munitionum suarum, una nocte capta est, et ultimus eius rex Balthasar interfectus. Porro imperium Persarum, etsi vastum et potens et dives, non tamen aequavit in splendore, et praesertim in duratione, imperium Assyro-Babylonicum. Unde argenti habet similitudinem, quod auro utique comparatum, minus invenitur. *Et regnum tertium aeneum quod imperabit universae terrae,* Alexandrum significat, et regnum Macedonum, successorumque Alexandri. Quod recte aeneum dicitur, observat Hieronymus, quia inter omnia metalla aes vocalius est, et tinnit clarius, et sonitus eius longe lateque diffunditur, ut non solum famam et potentiam regni, sed et eloquentiam graeci sermonis ostenderet. *Et regnum quartum erit veluti ferrum;* ferrum, inquam, comminuens ac domans omnia, quod absque contradictione ad Romanum imperium applicatur. Et bene quidem extremitates eius in pedibus et digitis pedum, ex parte ferreae et ex parte fictiles describuntur, quia sicut in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine

nihil imbecillius, quando et in bellis civilibus, et adversum diversas nationes, aliarum gentium barbararum indigebat auxilio (1). Haec igitur de successione quatuor imperiorum perspicua et manifesta omnino sunt.

At tunc ulterius considera quomodo quatuor illa regna in mystico somnio figurata, etsi singula a singulis distincta, suisque propriis notis signata, adhuc tamen eiusdem prorsus ordinis sunt, et in tantum quidem, ut sub imagine partium unius statuae, uniusque colossi inter se copulentur. Quod etiam infra, in capite septimo eiusdem prophetiae per aliam similitudinem inculcatum invenimus, ubi haec ipsa imperia, prius per caput aureum, pectus argenteum, ventrem aeneum, tibiasque ferreas colossi designata, iam recensentur sub communi symbolo ferocium bestiarum: dum primum assimilatur leaenae, secundum urso, tertium pardo, quartum alteri bestiae innominatae, sed ferocitate caeteras tres superanti. *Videbam,* inquit, *in visione mea nocte, et ecce quatuor venti coeli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiae grandes ascendebant de mari diversae inter se.* Sciscitanti autem Danieli ab angelo interpretationem visionis, responsum ei est: *Hae quatuor bestiae magnae, quatuor sunt regna quae consurgent de terra;* i. e. de mundo figurato per mare, in quo undae sunt populi, tempestates vero sunt politicae revolutiones. Et nota ordinem, ait Hieronymus: Qui in imagine caput aureum dicebatur, hic leaena appellatur. Nam: *Prima* (bestia) *quasi leaena, et alas habebat aquilae,* idque ad designandum regni Babylonici saevitiam, crudelitatem, rapacitatem et superbiam. *Et ecce bestia alia similis urso.* Ipsa est quae in visione statuae per pectus argenteum

(1) Hieron. in Daniel. c. 2.

figurabatur. Re enim vera, ursus non habet maiestatem leoninam, et inferioris gradus est inter bestias. Accedit quod non praedatur sicut leo, at provocatus, fit terribilis: sic Medi et Persae, teste Xenophonte, tranquilli habitabant suos abruptos montes; sed quando rex Assyrius venit provocare eos, coeperunt exhinc insurgere terribiliter. Bene igitur, haec et alia quae praetereo, secundum regnum signant. *Post haec aspiciebam, et ecce alia* (bestia) *quasi pardus.* Tertium regnum est Macedonum seu Graecorum, de quo in statua legimus quod venter et femora erant ex aere. Et iam comparatur pardo, bestiae velocissimae, quae praeceps fertur ad sanguinem, et saltu in mortem ruit, inquit Hieronymus. Nihil enim Alexandri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Indicum Oceanum et Gangen fluvium, non tam praeliis quam victoriis percurrit, et in sex annis partem Europae et omnem sibi Asiam subiugavit. *Post haec aspicebam, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans; dissimilis autem erat caeteris bestiis quas videram ante eam, et habebat cornua decem.* Haec Roma pagana est, quae in statua per tibias ferreas designata, nunc ostenditur quasi devorans universam terram. Dissimilis utique praecedentibus, quia primo sub regibus, deinde sub tribunis, postea sub dictatoribus, sub imperatoribus constituta, Roma devorando alia, suum faciebat quidquid vigoris in eis erat, sed nulli interim assimilabatur, nisi quod non solum non mansuefiebat, imo vero, crudeli instinctu feras caeteras longe superabat. Et ideo Hieronymus: « Satis miror, inquit, quod cum supra, leaenam et « ursum et pardum in tribus regnis posuerit, Romanum

« imperium nulli bestiae compararit: nisi forte ut formi-
« dolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quidquid
« ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelli-
« gamus ». Sic igitur, quatuor illa grandia regna in statua et bestiis expressa, sunt in summa, una eademque res: civilizatio scilicet antiqua, in qua etsi diversae gentes, una post aliam, dominatione potitae sint, semper tamen durabat, ad substantiam quod attinet, idem status rerum, idemque politiae modus sub saeva et tyrannica lege principis tenebrarum, qui et princeps huius mundi in evangelio appellatur. Et hac de causa, omnia regna haec non solum dicuntur *surgere de terra*, eo quod politica erant, ac per hoc, ad terrenam vitam moderandam gubernandamque ordinata; verum etiam saeviorum ferarum similitudine pariter donantur, eo quod pagana erant, et ut talia, non informata spiritu verae religionis, sed spiritu bestiali falsi cultus daemonum: impietatis scilicet, egoismi, crudelitatis, luxuriae, impudicitiae, superbiae, avaritiae, et si quid aliud, iuxta Apostolum, in idolorum servitute comprehenditur. Contemplare ergo ingentem colossum cuius apparitio conterruerat spiritum ipsiusmet Nabuchodonosoris: *Tu rex videbas, et ecce statua una grandis. Statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus eius erat terribilis.*

Sed ecce colossus in eo erat ut contereretur, quinto iam adventante imperio quod in fine praecedentium omnium regnorum annuntiabatur suscitandum. Ecce ipsum vides, ipsum intueris sub typo lapidis de monte praecisi sine manibus, qui percutit statuam, et contritis pariter ferro, testa, aere, argento et auro, iisque redactis in favillam aestivae areae quae vento rapitur, fit mons magnus et implet universam terram. Et numquid ista non admi-

ramur verificata? non cernimus impleta? Interroga ordinem eventuum qui fuerunt maxime conspicui in historia universali. Interroga monumenta quae faciem terrae sub fine Romani imperii ubique renovatam testantur. Interroga vel sola temporum nomina, annorumque numeros in chronologia quae dudum in toto orbe civili viget. Interroga haec omnia, si non lingua sua signant, si non digito tibi ostendunt praecisum aliquod temporis punctum in quo novus ab integro saeculorum natus est ordo: illud dico praecisum punctum, quod non est fundatio Romae, non Olympiadum institutio, non annus primus regni Nabuchodonosor vel Cyri regis Persarum, sed illud ipsum quod praefixum erat in prophetia, quando sine manibus de monte abscissus est lapis ille percussor. « Quid est « mons unde praecisus est lapis sine manibus? Regnum « Iudaeorum: primo quod colebant unum Deum. Inde « praecisus est lapis Dominus noster Iesus Christus... « Confregit omnia regna terrae. Quae erant regna terrae? « Regna idolorum, regna daemoniorum fracta sunt. Re« gnabat Saturnius in multis hominibus. Ubi est regnum « eius? Regnabat Mercurius in multis hominibus: ubi est « regnum eius? Fractum est, redacti sunt illi in regnum « Christi, in quibus ille regnabat... Lapis ille fregit omnia « regna terrarum, lapis praecisus de monte sine manibus. « Quid est praecisus de monte sine manibus? Natus de « gente Iudaeorum sine opere hominum. Omnes enim « qui nascuntur, de opere maritali nascuntur: ille de Vir« gine natus, sine manibus natus est... Crevit et crescendo « fregit omnia regna terrarum. Factus est autem mons « magnus, et implevit universam faciem terrae » ([1]).

([1]) August. *Enarr.* in Psalm. 98 in fine.

At nunc natura huius novi imperii, necnon et habitudo eius ad quatuor priora, pressius consideranda est. Et primo quidem, naturam eius diversam prorsus esse ab illa praecedentium, non est cur multis comprobemus. Certe, cum praecedentibus non continuatur ut pars statuae quam constituunt, sed extra et supra omnem eorum ordinem est. De aliis dicitur quod *surgent de terra;* de isto dicitur quod *Deus coeli suscitabit illud.* Alia, utpote terrena, in favillam redigenda quae vento rapitur. Istud, utpote coeleste, *in aeternum non dissipabitur,* et rursus: *consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum.* Alia vi et armis fundata, ferarum habent similitudinem. Istud, cui nomen *regnum sanctorum Dei altissimi,* non violentia constituendum, non manibus et virtute hominum, sed sola virtute coelesti praevaliturum, colossum percutiet et teget universam terram. Quod qua demum ratione contigerit, notius sane est quam ut debeat dici. Equidem ad tantae plenitudinem victoriae, fuso sanguine opus fuit per tria longa saecula, sed solo sanguine martyrum, donec « Constantinus piissimus imperator rempublicam a per- « versis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Domino « Iesu Christo se subdit, et cum subiectis populis tota « ad Deum mente convertit » (1). Est ergo regnum istud, regnum spirituale, supernaturale, tam fine quam origine coeleste. Est regnum Christi in magna illa Ecclesia catholica, de cuius constitutione, potestate, hierarchia, et intima indole, in priori tomo nostra praecessit consideratio.

Verumtamen, ex hoc quod spirituale regnum est, non ideo ad purum ordinem religiosum restringitur. Alioquin,

(1) Greg. Magn. l. 3, epist. 66.

non esset cur diceretur succedere prioribus quatuor imperiis, quae profecto ordinis politici erant. Neque debuisset statua illa quae percussa destruitur, velut temporalibus regnis, sed magis velut variis religionibus variisque cultibus idololatricis conflata exhiberi. Quamquam non ea nunc successio cogitanda est, per quam ipsa politica potestas ad Ecclesiam fuisset transferenda; nam regnum spirituale non habet pro fine temporalem vitam administrandam, et ideo penes ipsum formaliter esse non potest regimen saeculare. Similique modo, cum colossus ille ingens per mysticum lapidem de monte sine manibus abscissum percutiendus conterendusque ostenditur, non sic est accipiendum, quasi percuteretur in quantum repraesentans politicam gentilitatis potestatem praecise secundum se; nam politica potestas secundum se, ubicumque est, a Deo est, et regno eius non adversatur. Sed cogitanda est politica potestas, praecise secundum quod erat sine subordinatione ad veram religionem, imo cum subordinatione positiva ad diabolum, et ad idola eius, et ad pompas eius, et ad omnem armaturam eius.

Sensus itaque prophetiae est, quod futurum erat ut destructa idololatria, agnitoque Christo Redemptore et legis gratiae auctore, Ecclesia Christi reordinaret gentes et nationes quoad ipsum ordinem politicum et civilem: non quidem absorbendo in se potestates saeculares, neque etiam directe eas sibi subordinando, sed tamen indirecte, pro quanto ratio spiritualis finis in iis quae ordinationem civilitatis spectant involvitur; atque hoc modo, verissimo et propriissimo quodam sensu, contereret terrena imperia quae in paganismo praecesserant, eisque succederet, sese eis substituendo in suprema directione sociali. Et sic de

facto contigisse conspicimus. Exhinc enim apud christianos, ultima norma seu regula in civilibus non fuit amplius despotica voluntas tyranni, non lex Status omnipotentis atque omnivori, sed lex evangelica, et voluntas Dei per Ecclesiam manifestata. Ecclesia fuit auctrix et conservatrix novae civilitatis per suos episcopos, per sua concilia, et praesertim per suos summos pontifices, prout monumenta historiae in tota Europa disertissime testantur (1). Et tunc comminuta sunt vere ferrum, testa, aes, argentum et aurum, redactaque in favillam aestivae areae quae vento rapitur, quando Caesares et Nabuchodonosores qui proprio numini populos sibi subiectos sacrificare cogebant, depositi sunt de sede, locum dantes principibus christianis, quorum hic est in Carolo Magno titulus, haec velut definitio: *Carolus, gratia Dei rex, regnique Francorum rector, et devotus sanctae Ecclesiae defensor, atque adiutor in omnibus apostolicae Sedis* (2). Iam Status cum Ecclesia intima unione coniungitur, imo se ei subesse, ei servire, ei famulari fideliter profitetur.

Haec igitur est unio et perquam necessaria subordinatio, de qua dicendum nunc venit, ad complementum tractatus de Ecclesia. Cum enim iam dictum sit de veritate catholicae Ecclesiae, tum absolute, tum comparative ad sectas quae christiano nomine utcumque gloriantur; deinde vero de intima eius constitutione quoad membra, potestatem, et hierarchiam: ultima tandem superest quaestio de habitudine eius ad Statum politicum, seu de prin-

(1) Ita Liberatore, *La Chiesa e lo Stato,* cap 1, a. 2, § 4.

(2) *Praefatio Capitularium Caroli Magni.* Migne, Tom. 97, col. 121.

cipiis quae fundamento esse debent regularibus relationibus societatis temporalis cum societate spirituali divinitus fundata a D. N. I. C. Et centum iam anni sunt, ex quo principia ista coeperunt maxime obscurari, etiam apud multos catholicos. Unde factum est ut difficillime de eorum veritate convinci soleant ii quos educatio, quos consuetudo praesentis status rerum, quos opinio praedominans, et si dicere liceat, atmosphaera ambiens dogmatibus imbuit moderni liberalismi. Fidenter tamen dixerim, non esse spem fore ut nationes christianae unquam reviviscant et refloreant in terra, nisi his ipsis restitutis principiis. Et si de eorum restitutione desperandum foret, signum esset non longe abesse ultimam catastrophen, conformiter ad ea quae habet Apostolus, 2 Thess. II-3. Verum non est undequaque desperandum, et plura, eaque non levia indicia sunt possibilis cuiusdam restaurationis. Nam, quod liberalismus claves mortis habeat pro vita quae nunc est, non secus ac pro futura, semper magis ac magis hisce nostris diebus inculcatur a sanioris iudicii oeconomistis, politicis, et philosophis; crescentemque quotidie favorem obtinent ea quae proxime elapso saeculo, contra insana principia Revolutionis, summa illa ingenia, de Maistre, de Bonald, Ketteler, Veuillot, Le Play, Pie, Liberatore, etc., scripta reliquerunt. Et haec sunt via ad restaurationem ordinis socialis christiani; haec animos praeparant ad complementum operis Concilii Vaticani, a quadraginta fere annis suspensi et interrupti, ut sicut per solemnes eius definitiones error Gallicanus penitus confixus fuit, ita et per easdem, cum Deo placuerit, error liberalismi tam multiplici vulnere iam confossus, ultimo conficiatur.

Caeterum nostra disputatio ad tria principalia capita revocabitur. Primo de errore liberalismi in generali, et variis eius formis. Secundo de his quae errori opponuntur, id est, de debita unione Status et Ecclesiae, et subordinatione indirecta unius ad alteram. Tertio de his quae consequuntur ad subordinationem, praecipue vero de immunitate Ecclesiae respectu Status, et de officiis Status erga Ecclesiam.

QUAESTIO XVII.

DE ERRORE LIBERALISMI ET VARIIS EIUS FORMIS.

Liberalismus, secundum quod dicit errorem in materia fidei et religionis, doctrina est multiformis quae plus minusve emancipat hominem a Deo, et a lege eius, et a revelatione eius, et ex consequenti solvit civilem societatem ab omni dependentia a societate religiosa, hoc est ab Ecclesia quae legis divinitus revelatae custos est, et interpres, et magistra.

Liberalismum dixi, secundum quod importat errorem in materia fidei et religionis. Quia si rationem nominis consideres, facile perspicies quomodo non in iis solis quae spectant religionem et relationes ad Deum, viget aut vigere potest liberalismus. Equidem emancipatio a Deo finis fuit principaliter intentus. Convenerunt enim adversus Dominum et adversus Christum eius dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.* Sed ad hunc ipsum finem generale principium praestituerunt, quod limites ordinis religiosi praetergreditur, et omnes partes humani consortii pervadit ac penetrat. Principium autem est huiusmodi: Libertatem esse fundamentale hominis bonum, sanctum et inviolabile, cui attentare per coactionem nefas; adeoque, hanc ipsam irrestrictam libertatem poni debere tamquam immobilem petram supra quam omnia in humano convictu organizentur de facto, tamquam immobilem nor-

mam secundum quam omnia iudicentur de iure: ut ea demum aequa et iusta et bona dicatur societatis conditio, quae praefato inviolatae libertatis individualis principio assidet; iniqua et perversa, quae secus. Hoc est quod excogitaverunt promotores memorandae illius Revolutionis anni millesimi septingentesimi octogesimi noni, cuius amari fructus in toto fere mundo iam colliguntur. Hoc est quod in *declaratione iurium hominis,* initium tenet, et medium, et finem. Hoc est quod ideologis illis instar basis fuit ad reaedificationem societatis ab imis fundamentis, in ordine tum politico, tum oeconomico, tum domestico, tum praesertim morali et religioso.

Operae igitur pretium erit instituere per prius crisim generalis principii liberalismi, tam secundum se, quam secundum multiplices quas in omni ordine rerum habet applicationes. Ex quo deinde facilior patebit accessus ad specialem considerationem de iis circa quae praesens versatur disputatio, videlicet de liberalismo religioso et variis eius formis, prout supra in titulo quaestioni praefixum est.

ARTICULUS PRIMUS

DE FUNDAMENTALI PRINCIPIO LIBERALISMI, ET MULTIPLICIBUS APPLICATIONIBUS EIUS.

Libertas quae nunc in quaestionem venit, non illa praecise est de qua tractant metaphysici, scilicet facultas liberi arbitrii, consistens in dominio quo voluntas gaudet super actus suos, id est in activa indifferentia qua velle potest vel non velle, velle hoc vel eius oppositum. De hac libertate quae a necessitate intrinseca est, quae conscientiae obligationes secum trahit, quae nos moralis legis servandae debitores facit, liberalismus non curat, et in tantum non curat, ut plerique eius asseclae puri materialistae sint, non agnoscentes in homine plus quam principia spontanei motus secundum instinctum et determinationem naturae. In omni autem modo, admittant vel non admittant liberum arbitrium proprio et metaphysico sensu acceptum, non in eo qua tali suum idolum ponunt, sed in facultate utendi activitate propria, quaecumque illa sit, absque exteriori coercitivo autonomam eius expansionem impediente. Est itaque libertas ista, libertas ab omni coactione; et non solum a coactione simpliciter, quae est per violentiam, et ex consequenti, in solos actus externos cadere potest, verum etiam a coactione secundum quid, quae est per metum et timorem legum, per intimationem poenarum, per sociales dependentias et necessitudines, uno demum verbo, per ligamina cuiusvis generis quibus prohibetur homo quominus secundum suam propriam individualem inclinationem in omnibus agat vel agere possit. Talem libertatem dixerunt bonum per antonomasiam, cui cedere debent omnia, iis tantum forsitan exceptis quae pro ordine pure materiali in republica requiruntur; bonum excellens ad quod sartum tectumque servandum caetera subordinanda sunt, quodque omni sociali constructioni, si modo ad normam boni et aequi exigatur, fundamento sit necesse est. De hoc igitur fundamento, de hoc primo

liberalismi principio quale iudicium ferendum sit, paucis iam determinare oportebit.

§ 1.

Quod fundamentale liberalismi principium est in se absurdum, et contra naturam, et chimaericum.

Absurdum dico a primo initio, pro quanto bonum hominis principale situm esse vult in carentia omnis vinculi qualitercumque coercentis aut restringentis libertatem. Etenim bonum hominis nonnisi dupliciter intelligitur: aut se habet ut finis, aut se habet ut medium ad finem. Quo iam in loco collocabis, quaeso, libertatem? Non in priori, puto. Quia quidquid in ratione finis assignare placuerit, id saltem procul dubio mihi concedes, quod libertas nequit esse finis ipse. Dicit enim quamdam operandi potentiam seu facultatem, et omnis potentia seu facultas est propter aliud, ad minus propter operationem, quae rursus, dum hic vivimus, in prosecutione alicuius boni seu veri seu apparentis tota consistit. Manifestissime ergo dicendum relinquitur, libertatem se tenere ex parte eorum quae sunt ad finem, et ideo videndum quid de bonis quae sunt ad finem, vel ipse vulgaris et communis sensus nos edoceat. Ista distinguit Augustinus in tres categorias, nimirum in bona summa, media, et minima: idque ratione evidenti et perquam perspicua. Summa bona esse ait, quibus nemo male utitur. Media et minima, quae tam boni quam mali usus esse possunt, hoc solo discrimine, quod media bona adhuc ad bonam vitam requiruntur, minima vero nullo modo. « Virtutes igitur, inquit, quibus recte vivitur, « magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine « quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiae vero « animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt » ([1]). Ex quo iam liquet, liberum arbitrium nequaquam inter summa

([1]) Aug. de lib. arb. l. 2, c. 19.

bona, sed inter media esse recensendum, quia si nulla laus, nulla honestas vitae absque libero arbitrio, nullum quoque genus est aut sceleris, aut flagitii, aut nocumenti tam proprii quam alieni, in quod pro malo usu praeceps non feratur. Ideo indiget libertas repagulis ne in praecipitia ruat, et quanto efficacioribus frenis in bono ad quod est per se ordinata continebitur, tanto etiam melior eius conditio erit. Quisquis autem hoc negat, fundamentali principio liberalismi assentiendo, is in alterutrum ex his duobus absurdis abire necesse habebit: aut impudenter affirmabit libertatem in praesenti vita indefectibilem; aut non verebitur asserere, bonum fore, imo optimum, si defectibili libertati expeditus per omnia *sui defectus usus* sancte et inviolabiliter custodiatur. In quo quidem, quid aliud quam summa dementia est?

Verum initia dementiae haec. Ulterior progressus in eo est quod addunt: bono libertatis individualis cuncta postponenda; proinde inimica et contraria perfectioni humanae ea esse omnia, quae libertatem individualem quavis ratione vel limitant vel impediunt: et quia ex necessitudinibus socialibus multiplices huic eidem libertati compedes oriri manifestum est, ideo idealem hominis rationem nonnisi in eo statu asociali reperiri, in quo sola regnaret lex puri perfectique *individualismi*. Et haec revera fuit monstruosa conceptio Revolutionis et philosophorum eius, qui etiam, ut suas abstractas theorias utcumque firmare viderentur, imaginati sunt exsistentiam primitivae cuiusdam conditionis in qua extra societatem de facto homo fuit, huic suae inventioni accommodantes traditiones gentium de aurea aetate, de saturniis regnis, de paradiso innocentiae, etc. Quid enim, putas, originalis illa aurea aetas? Aetas absolutae libertatis, quae in feream deinde magis magisque semper declinavit, quo magis magisque homines in societatem coaluerunt. Videsne principium liberalismi sponte sua et necessitate ineluctabili desinens in ea quae contra naturam sunt? Si quid enim evidens, si quid manifestum, si quid luce etiam meridiana clarius, profecto, quod

in societatem nascitur homo, quod natura socialis est homo, quod socialis status homini est lex vitae, quemadmodum vel sola corporeae exsistentiae necessitas nimis aperte declarat: « Aliis enim « animalibus natura praeparavit cibum, tegumenta pilorum, de- « fensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem « ad fugam. Homo autem institutus est, nullo horum sibi a na- « tura praeparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam « sibi haec omnia officio manuum posset praeparare, ad quae « omnia praeparanda unus homo non sufficit. Nam unus homo « per se sufficientem vitam transigere non posset. Est igitur ho- « mini naturale, quod in societate multorum vivat. Amplius, « aliis animalibus insita est naturalis industria ad omnia ea quae « sunt eis utilia vel nociva, sicut ovis naturaliter aestimat lupum « inimicum. Quaedam etiam animalia ex naturali industria co- « gnoscunt aliquas herbas medicinales, et alia eorum vitae ne- « cessaria. Homo autem, horum quae sunt suae vitae necessaria, « naturalem cognitionem habet solum in communi, quasi eo per « rationem valente ex universalibus principiis ad cognitionem « singulorum quae necessaria sunt humanae vitae, pervenire. Non « est autem possibile quod unus homo ad omnia huiusmodi per « suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini, quod « in multitudine vivat, ut unus ab alio adiuvetur, et diversi di- « versis inveniendis per rationem occuparentur, puta unus in « medicina, alius in hoc, alius in alio... etc. » ([1]). Sed somniantes sophistas nihil horum deterret. Vetat enim immobile principium, quod e iure naturae etiam ipsi eruere non verebuntur. Nam putant se aliquid dicere cum aiunt: Homo liber nascitur, ergo contra naturam est quidquid nativam hanc restringit libertatem. Sicut si dicerent: Homo nascitur nudus, ergo contra naturam est, quod vestimentis operiatur. At vero, etsi nascamur nudi, adhuc tamen vivimus vestiti, et non eousque, puto, quemquam pertrahet dementiae furor, ut dicat perfectionem naturae

([1]) S. Thom. de regim. princ. l. 1, c. 1.

apud eas solas tribus permansisse, quae in Oceania vel Africa degunt tales quales e sinu matrum exierunt. Praeterea, quid quaeso, sibi hoc vult, hominem nasci liberum, nisi ipsum nasci sine impedimentis ad expansionem propriae activitatis? Et simili quoque libertate animalia et plantas natura donavit, ita tamen ut eis, quemadmodum paulo supra dictum est, statim ut nascuntur, tegumenta et munimenta et caetera necessaria providerit. Unde ex virtute naturae aestimativa, in sui exordio, vitant contraria, et convenientia amant, nullo dirigente praevio. Non sic autem filii hominum, non sic. « Propter quod Dominus « ostendit, in hoc lilia agri et volucres coeli melioris esse con- « ditionis quam homo, referendo indigentiam ad illum magnifi- « cum regem Salomonem qui tam excellenter abundavit. *Re-* « *spicite,* inquit, *volucres coeli, quia non serunt neque metunt,* « *neque congregant in horrea. Considerate lilia agri, quoniam* « *non laborant neque nent.* Postea subdit: *Dico vobis, quod nec* « *Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis;* « quasi maioris fuerit indigentiae quantum ad victum et vesti- « menta ac tegumenta, quam plantae et animalia » (1). Et vere sic est. Melioris conditionis forent bruta animalia quam homo, et incomparabiliter, si semel supponamus quod homo ex ipsa naturae institutione animal sociale sive politicum non est, et quod beneficio societatis compensari non debeat id quod individuo qua tali natura negavit. Caeterum, serione agimus an volumus iocari? Nam quod libertas cum qua nascuntur homines, nihil sit aliud, praetereaque nihil, quam libertas plenissima transeundi ex utero ad tumulum, nimis apertum manifestumque est. O insensati sophistae, quis vos ita dementavit, ut ad naturam continuo appellantes, contra naturam talia et tam enormia peccetis!

Sed si fundamentale liberalismi principium incipit ab absurdo, si in ea deinde progreditur quae evidentiori naturae in-

(1) S. Thom. de regim. princ. l. 4, c. 2.

tentioni contraria sunt, quid iam dicendum de chimaeris quas in re sociali, instar normae seu ideae dirigentis, praestituit ac praedefinit? Nam, velint nolint, necessitas nunc incumbit vivendi in societate, et faustum infaustumve sit, nullus iam regressus datur ad felicem illum statum primitivum in quo filius silvarum vivebat homo. De ea ergo constructione sollicitos eos esse oportuit, quae intactum relinqueret palladium libertatis, et duas res coniungeret quae videri forsitan potuissent incompossibiles, *individualismum* scilicet et *socialem organismum*. Et hic opus, hic labor. Sed nihil durum ideologis, nihil arduum iis qui construunt in aere. Ecce in promptu habet liberalismus exhibere tibi societatem ad regulam boni et aequi ideatam, eamque e sociali, ut vocant, contractu natam. Quia si societas nequaquam homini naturalis est, imo si positive est contra naturae intentionem, prout et in quantum opponitur impraescriptibilibus iuribus libertatis, non est unde aliquatenus legitimetur, nisi et a libertate ortum ducat, et ad supremum finem libertatis sartae tectaeque servandae, expresso consilio et data opera, artificialiter construatur. Pone igitur initiale pactum quo libere inter se conveniunt homines de communi convictu sub gubernio et lege communi. Pone praesertim tales pacti conditiones, quae et fini intento, et voluntati paciscentium ad amussim respondeant. Porro voluntas paciscentium non est renuntiandi libertati, sed solum iungendi simul suas individuales libertates, ut ex eis simul iunctis una totalis libertas habeatur. Libertas est quae sola quaeritur, quae sola in commune confertur, quia omnia sunt a libertate, per libertatem, et ad libertatem. Nihil ergo valere poterunt, socialiter loquendo, differentiae quae unum hominem ab alio discriminant, nihil dependentiae naturales vel historicae, nihil necessitudines familiales vel nationales, nihil diversitates ingeniorum, aptitudinum, educationis, culturae, iurium, quae acquisita vocantur, et si quae alia huiusmodi. Omnia enim haec materiae contractus socialis penitus extranea sunt. Nonnisi de libertate appositio est, et omnes ac singulos homines aequali libertate natura donavit.

Proinde, omnes et singuli undequaque aequales in societatem veniant necesse est. Numera nunc individua, et totidem erunt aequalia suffragia: quae si unanimis sensus sint, nihil melius; si non sint, relinquitur numerica maioritas (dimidium + 1), quae exprimet voluntatem generalem, et exprimendo voluntatem generalem, exprimet quoque generalem libertatem. Ista est lex civitatis ad rigorosa principia philosophiae tandem aliquando reductae. Et non tibi videtur admirabile?

Verumtamen, non ita forsitan admirabile, ut in tantis philosophiae luminibus, plenam perfectamque chimaerae rationem non agnoscas. De ratione enim chimaerici systematis sunt potissimum duo: Quod realibus entibus non conveniat, et quod iis idealibus elementis componatur, quae nedum harmonice in finem intentum conspirent, vergant potius in eius destructionem atque interitum. Utrumque autem in systemate liberalismi facile est videre.

Et primo quidem, realibus hominibus in carne et ossibus exsistentibus systema hoc profecto non convenit. Omitto quod de ineunda societate humana per viam liberi pacti seu contractus, nullus unquam, nisi somnians philosophus cogitavit. Omitto quod absoluta societatis indigentia, eaque antevertens omnem possibilem usum libertatis, ei soli obscura erit, qui forte esset delapsus e nubibus, quemque nascentem societas non excepisset, adolescentem non aluisset, viventem denique, omnis generis et primae necessitatis beneficiis prosecuta non fuisset. Quid quod ipsimet socialis contractus assertores testimonium in hoc reddunt veritati? Nam quomodo liber societatis ingressus, si ipsis fatentibus, ad originalis libertatis statum nullus iam patet aditus? Sed haec omnia, si placet, praetermitte. Solum accipe elementum sociale quod nunc in basim systematis assumitur. Elementum hoc est homo individuus, et quidem spoliatus omnibus differentiis locorum, temporum, stirpium, nationalitatum: omnibus vinculis religiosis, familialibus, corporativis, politicis, ad hanc usque diem, consequenter ad evolutionem sive naturalem sive histo-

ricam vel creatis vel admissis. Homo est qui neque modernus est neque antiquus, neque occidentalis neque orientalis, neque pater neque filius, neque iuvenis neque senex: uno verbo, homo in omnibus individuis sibi semper idem, semper aequalis, habens, nec minus nec plus, facultatem ratiocinandi et libere agendi. Atqui homo iste de secundis intentionibus est; homo iste ens logicum est; homo iste sedem habet in arbore Porphyrii, in ordine realitatum non habet. Et si in ordine realitatum locum non habet, neque etiam habebit chimaericum systema quod ad usum eius confecerunt (1)

(1) « Appliquez le contrat social, si bon vous semble, mais ne l'appliquez qu'aux hommes pour lesquels on l'a fabriqué. Ce sont des « hommes abstraits qui ne sont d'aucun siècle et d'aucun pays, pures « entités écloses sous la baguette métaphysique. En effet on les a formés en retranchant expressément toutes les différences, qui séparent « un homme d'un autre, un Français d'un Papou, un Anglais moderne « d'un Breton contemporain de César, et l'on n'a gardé que la portion « commune. On a obtenu ainsi un résidu prodigieusement mince, un « extrait infinement écourté de la nature humaine, c'est-à-dire, suivant « la définition du temps, un être qui a le désir du bonheur, et la faculté de raisonner, rien de plus et rien de moins. On a taillé sur ce « patron plusieurs millions d'êtres absolument semblables entre eux; « puis, par une simplification aussi énorme que la première, on les a « supposés tous indépendants, tous égaux, sans passé, sans parents, « sans engagements, sans traditions, sans habitudes, comme autant « d'unités arithmétiques, toutes séparables, toutes équivalentes, et l'on « a imaginé que rassemblés pour la première fois, ils traitaient ensemble « pour la première fois. De la nature qu'on leur a supposée, et de la « situation qu'on leur a faite, on n'a pas eu de peine à déduire leurs « intérêts, leurs volontés, et leur contrat. Mais de ce que le contrat « leur convient, il ne s'ensuit pas qu'il convienne à d'autres. Au contraire, il s'ensuit qu'il ne convient pas à d'autres, et la disconvenance sera extrême si on l'impose à un peuple vivant; car elle aura « pour mesure l'immensité de la distance qui sépare une abstraction « creuse, un fantôme philosophique, un simulacre vide et sans substance, de l'homme réel et complet ». (Taine, la Révolution, Tom. I, l. 2, c. 2).

Verum, chimaerica systematis indoles adhuc magis sese prodit in hoc, quod in finem libertatis sartae tectaeque servandae constructum, toto se vergit in libertatis destructionem et interitum. Quod vel prima fronte evidenter apparebit quantum ad minoritates, quae tyrannicae dictaturae praevalentis numeri, sine defensione ulla, ulloque possibili recursu permittuntur. Et tamen eiusmodi esse debebat idealis illa societas, quae ita in unum colligeret libertates individuales, ut singulus quisque, obtemperando legi, obtemperaret suae ipsius voluntati in lege et per legem repraesentatae! Imo, non solum quantum ad minoritates, sed et quantum ad maioritates ipsas hoc idem primo pariter intuitu apparebit. Quia maioritates, dum quantitate arithmetica praevalent, non ratione ut plurimum praestant, non sapientia, non autonomo iudicio, non iis demum omnibus quae vere homines proprii sui iuris efficiunt. Et si quis in rebus humanis ex toto peregrinus non est, is de facili perspiciet quod multitudines huiusmodi, si forte ad legem faciendam admittantur, solent esse praeda agitatorum, violentorum, praepotentum, et ut uno verbo dicam, oligarchiarum quae ex individualismo natae, eas subiugant, eisque tamquam dominationis instrumentis utuntur in finem sui proprii interesse, propriaeque ambitionis: Unde a primo ad ultimum, illa adeo decantata libertas, vi systematis resolvitur in privilegium paucorum praepotentum, dum caeteros omnes, vel aperta oppressio manet, vel servitus velata sub mendaci apparentia emancipationis. Haec, inquam, conclusio est

---

« La constitution de 1795, tout comme ses aînées, est faite pour « l'*homme*. Or il n'y a point d'*homme* dans le monde. J'ai vu dans ma « vie des Français, des Italiens, des Russes, etc., mais quant à l'*homme*, « je déclare ne l'avoir rencontré de ma vie; s'il existe, c'est bien à « mon insu... Mais une constitution qui est faite pour toutes les na- « tions, n'est faite pour aucune; c'est une pure abstraction, une œuvre « scolastique faite pour exercer l'esprit d'après une hypothèse idéale, « et qu'il faut adresser à l'*homme*, dans les espaces imaginaires qu'il « habite ». (de Maistre, Considérations sur la France, c. 6).

quam iam suppeditat summarium systematis examen. Ut autem pro rei gravitate manifestior atque evidentior fiat, utque simul magis ac magis pateat, quam perniciosum, quam noxium, quam mortiferum sit fundamentale liberalismi principium, in ordine etiam ad simplicem civilis vitae finem, oportet venire ad eius applicationes in particulari. Id quidem in propositione quae sequitur

§ 2.

Quod principium liberalismi in suis applicationibus ad res humanas, secum fert disgregationem et dissolutionem omnium socialium organorum, ubique inducens luctam pro vita, loco concordiae pro vita, quae sola lex vitae est. Et quod exstinguit omnes libertates reales, per constitutionem Status despotici, absoluti, irresponsabilis, omnivori, cui nullus in arbitrio et omnipotentia limes.

Prae primis notandum quod integrali perfectaeque applicationi principii chimaerici et antinaturalis, locus utique non est. Naturam enim expellas furca, usque redibit; neque erit unquam in potestate somniantium philosophorum, componere realem societatem ad amussim suarum idearum, eo modo quo habet potestatem figulus luti, ex una massa fingere ad libitum quodcumque vas. Nam sicut malum, si integrum et perfectum esset, ne seipsum quidem sustinere posset, sed seipsum destrueret: ita quoque omne systema contrarium naturae est in sua integritate importabile, adeoque in applicationem venire nequit, quin multiplicis generis causas inveniat quae obsistunt, et reagunt, et perniciosam vim principiorum ex parte elidunt. Non ergo aestimanda nocivitas liberalismi ex solis effectibus quos in re ipsa hactenus secutos conspicimus. Sed videndum quid applicatio systematis per se ferat, quid etiam mali de facto induxerit pro rata sui influxus, id est, pro maiori mino-

rive latitudine quam ei reliquit minor maiorve resistentia, vel fidei religiosae, vel naturalis honestatis, vel etiam simplicis instinctus conservationis, secundum diversas locorum et personarum circumstantias.

Hac igitur observatione, ut par est, praemissa, per prius nunc considera quomodo applicatio fundamentalis principii liberalismi per se importat destructionem omnis minoris societatis, seu naturalis seu connaturalis, quae intra ambitum Status exsistens, sit a Statu distincta, aut saltem a Statu legem non accipiens. Id quidem ex iam dictis perquam manifestum a priori efficitur, et fit adhuc manifestius a posteriori, si ad legislationes te conferas, e liberalismo ortas, id est, ex principiis Revolutionis.

Primo, inquam, efficitur ex iam dictis manifestum. Liberalismus enim, totus quantus est, intendit emancipationi individui, cui sartum tectumque vult summum illud et principale hominis bonum, quod est libertas. Statuit praeterea quod emancipationi individui repugnat societas, societas organizata, societas stabilibus vinculis legibusque formata, societas denique quae vere societatis nomen mereatur, illa una et sola duntaxat excepta, quae ad normam principiorum *contractus socialis* esset constituta. Rursus, societas illa *contractus socialis* nonnisi ea est, quae individua colligit velut totidem unitates arithmeticas inter se penitus aequales, et a se invicem undequaque independentes, sub uno gubernio e summa individualium voluntatum emanato, quod nomine Status appellant. Consequens igitur est ut liberalismus in fatis habeat, aut negare seipsum, aut progredi versus dissolutionem omnis societatis a Statu distinctae, non consistendo unquam in nefando suo opere destructionis sive pulverizationis, donec regnet super monades perfecte disiunctas, et mere agglomeratas eo modo quo agglomerantur grana frumenti in acervo. Haec sunt profecto, ad quae logica ineluctabili principia systematis ducunt. Quomodo autem ab ordine idearum ad ordinem factorum traducta sint, et de die in diem traducantur, operae pretium est paucis declarare.

Prima omnium est societas a Deo ipso auctore naturae instituta, societas inter omnes benefica, anterior omni societati politicae, respondens intimioribus humani cordis affectibus, necnon et evidentioribus vitae tam moralis quam physicae necessitatibus; societatem dico domesticam sive familialem. Ipsa igitur, prima quoque omnium, adversos experietur ictus liberalismi, qui quantum in se est, omni modo, omni conatu, omni ope familiae destruendae ac de medio tollendae intendit, ut merito diceres quod legislatoribus Revolutionis, haec vere prostat delenda Carthago. Et destruit primo eam in suo fundamento. Nam fundamentum familiae est matrimonium, illudque indissolubile, per indivisam in finem usque viri et mulieris obligationem. Haec porro obligatio, quantum sit libertati et emancipationi individui contraria, omnes sane vel primo intuitu vident. Verumtamen sunt adhuc in mentibus hominum radicata praeiudicia, quae non sinunt ut citius in intenta reformatione procedatur. Itaque initium sumetur a reductione matrimonii ad conditionem meri contractus civilis, sola civilis legis auctoritate sanciti. A matrimonio deinde civili gradus fiet ad legale divortium, et non sine causa, quia quidquid legis civilis auctoritate ligatur, eiusdem quoque legis auctoritate solvi potest et rescindi. Denique a legali divortio sensim sine sensu pronus parabitur descensus ad concubitum vagum, in quo esse debet plenissima principiorum applicatio, et cum quo non maius relinquetur familiae vestigium, quam quod habetur apud bestias. Vides igitur quomodo liberalismus omni ope intendit familiae destruendae in suo primo fundamento. Intendit pariter eidem destruendae in sua auctoritate. Et primo quidem per leges a patrefamilias auferentes liberam dispositionem bonorum suorum, ut iam ei non liceat in suis filiis unum prae alio potiori parte donare, imo nec indignum exhaeredare. Deinde vero, et maxime, per leges instructionis publicae atque obligatoriae, quibus filiorum educatio aequivalenter parentibus praeripitur, et totum scholarum publicarum regimen ita civili auctoritati attribuitur, ut alii cuicumque au-

ctoritati nullum recognoscatur ius immiscendi se in disciplina vel regimine studiorum, in delectu aut approbatione magistrorum. Et quid, quaeso, potestati paternae residuum remanebit, quando eiusmodi legislatio ad ultimum suae evolutionis terminum veniens, ea quae usque nunc nonnisi in votis sunt, ad plenam exsecutionem perduxerit? Sed, si tot ac tantis dissolutionis causis familiam adhuc resistere contingat, ecce tandem tibi leges successorales quae iubent ut mortuo patre vel matre, bona aequaliter dividantur, et eat unusquisque per viam suam, dissipati patrimonii partem secum ferens. Unde familia iam fit associatio temporaria quam cito mors dissolvit, et dispergit ad quatuor ventos; tollitur cum stabilitate fundi, continuitas eius per temporum aetates; aufertur quoque perennitas exemplorum et traditionum, nec remanent nisi individui qui transeunt, et alii post alios evanescunt.

Sic igitur, ad familiae destructionem praecipuo ac vehementiori conatu intendit liberalismus, nec alia sane de causa, nisi quia ipsam videt, tum institutionis soliditate, tum influxus efficacia, nefandis suis finibus quam maxime obsistere. At ne existimes, alias minores societates invenire posse gratiam in oculis eius: quales exempli causa, illae sunt quas *corporationes* vocabant, utputa artificum, operariorum, et generatim hominum quos eiusdem artis exercitatio sub certis statutis et legibus inter se velut connaturaliter colligabat. Nullas enim tales compatitur individualismus contractus socialis. Sed cum essent istae facilioris destructionis, ideo eas uno decreto, una lege, una significatione praepotentis arbitrii, ab ipso sui exordio Revolutio in perpetuum abolitas voluit. Et praetextus semper idem: individui libertatem sartam tectamque esse servandam: liberum campum relinquendum aemulationi individualium libertatum; contra principium libertatis esse quidquid vel impedit vel minuit liberam commutationem quaesiti laboris et oblati stipendii, etc., etc. Frustra opponent sapientes oeconomistae id quod vel solus vulgaris et communis sensus statim dictat: libertatem illam in-

dividualem nullis unitarum virium praesidiis communitam, penitus esse inermem; non esse libertatem qua operarius laborare, acquirere, lucrari queat sicut vult, sed solum sicut potest, nec iam secundum legem humanam et iustam organizationis laboris, sed secundum legem mechanicam et fatalem effrenatae atque obruentis concurrentiae; non fore aequas partes inter eum qui laborem vendit, et eum qui laboris conditiones ac stipendium cogitur acceptare, quia venditor laboris potest inter multos eligere eos qui dira necessitate compulsi, in stipendium semper magis ac magis insufficiens adigentur consentire; libertatem ergo hanc ex parte operarii, brevi desinere in libertatem moriendi inedia, esse libertatem negativam, abstractam, imo subtractam; ex hac libertate oriri inhumanam luctam pro vita, et ingentem illam modernae aetatis plagam proletariatus, id est, numerosae classis omni prorsus stabili proprietate privatae, et ad conditionem haereditariae cuiusdam inopiae miserandum in modum redactae, etc. ([1]). Frustra, inquam, tu vel alius quispiam boni ac recti iudicii, haec et alia oppones. Utquid enim ad aequitatem appellas? utquid ad iustae et beneficae iura libertatis? Haec praeter quaestionem sunt. Non quaeritur libertas cum addito, iusta vel non iusta, benefica vel non benefica. Quaeritur libertas propter se, libertas secundum quod ipsa, libertas in idea. Et haec idealis libertas non concedit ius civitatis nisi individualibus personis, quas, ne sibi invicem compedes afferant, omnis inter se cohaesionis expertes esse vult.

Manifestum itaque est, operam liberalismi in eo esse, ut dissolvat omnia ad unum organa socialia. Nam sicut organa

([1]) « Le prolétariat, c. à. d. la condition de la famille détachée « de tout bien, apparut (sous le droit révolutionnaire) comme une chose « normale, au lieu d'une monstruosité sociale ». La Tour-du-Pin, *Vers un ordre social chrétien.* — « L'existence d'une classe nombreuse privée « de toute propriété, et vivant en quelque sorte dans un état de dé- « nuement héréditaire, est un fait nouveau et accidentel ». Le Play, *Réf. soc.* t. I.

corporis physici non sunt moleculae et atomi, sed artus et membra, ita quoque organa corporis socialis non sunt individua, sed familia et corporatio et civitas. Quae si semel in suo proprio organismo dearticulata supponantur, ipso facto omnes reales libertates funditus pereant necesse est. Et ratio est evidens, quia super monades disgregatas atque dissociatas quas individualismus induxit, nihil iam remanere potest nisi ingens ille colossus Status omnivori, qui destructa omni organizatione et autonomia inferiori, absorbet in se omnem vim, omnem potestatem, omne ius, omnem auctoritatem, fitque unicus administrator, procurator, institutor, praeceptor, educator et tutor, donec fiat unicus quoque proprietarius et possessor. Et quid aliud, quaeso, in hoc importatur quam monstruosa servitus? Dicit Apostolus quod haeres, quanto tempore parvulus est, nihil differt a servo, quia sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus praefinitum a patre. At peius aliquid successit pupillo illi contractus socialis. Pupillus enim ille non est parvulus impubes, sed populus maturae aetatis; pupillus ille non ad tempus in ea conditione ponitur, in qua nihil differt a servo, sed indefinite et in perpetuum: pupillus ilie noñ est sub tutore constituto a patre, sed sub hero cui nullus, quantum est ex vi systematis, in arbitrio et praepotentia limes. In ultima quippe analysi, resolvitur liberalismus Revolutionis in eam propositionem quae notatur in Syllabo sub n. 39: « Reipublicae Status, utpote omnium iurium origo et « fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ».

Verum, quale tandem aenigma, quod systema sociale super libertatem, ad libertatem, et pro libertate constructum, *tam evidenter* ad despotismum et subtractionem omnis realis libertatis ducat? ([1]). Cuius novi generis mirum istud est, quod doctrina

([1]) « Dans l'ordre politique, le libéralisme exprimé à la première « phrase du *Contrat social*, et au premier article de la *Déclaration des « droits de l'homme*, porte que l'homme naît libre. Le libéralisme veut « dégager l'individu humain de ses antécédences ou naturelles ou his- « toriques. Il l'affranchira des liens de famille, des liens corporatifs et

politica in pura, ut volunt, philosophia fundata, dictaturam numeri, qua nihil magis antiphilosophicum cogitatur, pro summa

« de tous les autres liens sociaux ou traditionnels. Seulement, comme « il faut vivre en société et que la société exige un gouvernement, le « libéralisme établira le gouvernement de la société en accordant un « suffrage à chaque liberté, et en faisant le compte de ces souverains « suffrages. La majorité exprimant ce que Rousseau appelle la volonté « générale, exprimera ainsi en quelque sorte une liberté générale. La « volonté de la majorité devient dès lors un décret-loi contre lequel « personne ni rien ne saurait avoir de recours, si utile et si raisonnable, « ou si précieuse et si sacrée que puisse être cette chose ou cette per- « sonne. La liberté principe établit une règle qui ignore méthodique- « ment les forces et les libertés particulières; elle se vante de créer « toute seule la liberté de chacun; mais en pratique, l'histoire le montre « bien, cet individualisme affaiblit les individus. C'est son premier effet. « Le second est de tyranniser, sans sortir du *droit,* tous les individus « n'appartenant pas au parti de la majorité, et ainsi de détruire les der- « niers refuges des libertés réelles ».

« Dans l'ordre économique, la liberté-principe veut que la con- « currence des libertés individuelles, d'où le bien doit sortir inévitable- « ment, soit œuvre sacrée. Il n'y a qu'à laisser faire et à laisser passer. « Le statut du travail doit donc être individuel. Autant par respect « pour sa liberté propre, que par vénération de la mécanique du monde, « l'ouvrier doit respecter les injonctions du décret de Chapelier, et s'in- « terdire sévèrement toute association, corporation, fédération, tout syn- « dicat d'ordre professionnel, de nature à troubler le libre jeu de l'offre « et de la demande, le libre échange du salaire et du travail. Tant pis « si le marchand de travail est un millionnaire, maître absolu du choix « entre roooo ouvriers: liberté! liberté! La liberté économique aboutit « donc, par une déduction rapide, à la célèbre liberté de mourir de « faim. J'oserai l'appeler une liberté négative, abstraite; mieux, une li- « berté soustraite. Toute liberté réelle, toute liberté pratique, tout pou- « voir libre et certain de conserver sa vie, de soutenir sa force, est refusé « à l'ouvrier tant qu'on lui refuse la liberté d'association. Il a fallu le « déclin des idées libérales pour obtenir, dans l'ordre économique, un « certain degré de liberté d'association. Pour étendre cette liberté, pour « l'étoffer, pour la nourrir, on devra écraser tout ce qui subsiste du libé- « ralisme dans les esprits.... Il faut exclure tout libéralisme, ou renoncer « à toute liberté effective ». Maurras, *Libéralisme et liberté,* p. 5, seq.

habeat auctoritate? ([1]). Et putas quod si sola ibi in causa esset, aut civilis libertas, aut platonica philosophia, haec doctrina seu systema ad tantum fortunae fastigium unquam pervenisset? Sed utique, aliud in causa erat, aliud in causa usque nunc manet. Quid autem illud sit, statim declarandum est.

§ 3.

Quod principium liberalismi est essentialiter antireligiosum, cornua independentiae directe erigens adversus Deum. Et quod ad finem tollendi de mundo Dei cultum, Dei religionem, Dei legem, imo et notionem, omnia quaecumque sub fallaci praetextu libertatis in ordine seu politico seu oeconomico seu domestico attentavit, re ipsa diriguntur.

Essentialem antireligiositatem seu impietatem principii liberalismi evidenter videbit quisquis animo perpendet, ipsum esse proprium principium magnae illius *Revolutionis,* de qua cum veritate dictum est quod characterem habet satanicum adeo expressum, adeo visibilem, ut exinde ab omni eo quod cunctis retro temporibus visum fuerat unquam, distinguatur ([2]).

([1]) « Il faut exclure le principe du gouvernement du nombre, « parce qu'il est absurde dans sa source, incompétent dans son exer- « cice, pernicieux dans ses effets.... Nous respectons trop le peuple « pour aller lui dire: Il suffit de compter les voix des incompétents, « pour résoudre les questions d'intérêt très général qui exigent de lon- « gues années d'étude, de pratique ou de méditation. Il suffit de re- « cueillir et d'additionner les suffrages des premiers venus pour réussir « les choix les plus délicats.... Le gouvernement du nombre tend à la « désorganisation du pays. Il détruit par nécessité tout ce qui le tem- « père, tout ce qui diffère de soi: religion, famille, traditions, classes, « organisation de tout genre, etc. ». Id. ibid. p. 9, seq.

([2]) « La révolution française ne ressemble à rien de ce qu'on a vu « dans les temps passés. Elle est *satanique* dans son essence ». De Maistre, « *du Pape,* discours préliminaire. — « Il y a dans la révolution française « un caractère satanique qui la distingue de tout ce qu'on a vu et peut-être « de tout ce qu'on verra ». Id. *Considérations sur la France*, c. 5.

Equidem impietas nunquam defuit in mundo, et semper scelus fuit impietas; at non semper fuit cum eadem indole, cum eadem intensitate, cum eadem praesertim organizatione. Apud antiquos generatim, impietas sat pacate procedit: discurrit nimirum, disputat, cavillatur, irridet, sed acrimonia caret. Ipse Lucretius vix ad convicia et maledicta assurgit, etiam quando religionem traducit ut fecundam malorum parentem. Quippe, non ea tunc erat religio, quae coaevae incredulitatis iram et furorem mereretur excitare. Cum autem praedicari coepit Evangelium, pugna contra religionem coepit quoque invalescere. Et tamen adhuc modus fuit et mensura, nam persecutores pagani, nedum sub vexillo formalis irreligiositatis militarent, tanquam atheos potius, et avitae religionis eversores christianos insectabantur. Sequioribus deinde saeculis, si qui impietatis antesignani compareant, rari sunt admodum, et segregati, non foedere inito adunati, non praesertim, furiis quas vidimus nos, agitati. Unde et qui pro patre modernae incredulitatis haberi potest, Petrus Bayle, in peioribus etiam suorum operum partibus, longe adhuc a suis succedaneis distat, adeo parum incensus videtur studio persuadendi, faciendique proselytos: dubitans magis quam negans, dicens pro simul et contra, a tono acrimoniae abstinens, quasi a studio partium alienus. Sed saeculo tandem decimo octavo, impietas in veram formidabilemque potentiam excrescit. Tunc primum revelatur proprius nostris temporibus impietatis character, impietatis furor, et si dicere liceat, ad purum excoctus impietatis succus. Non iam frigida scepticismi indifferentia, non imperturbata adversus anodynos errores increduli ironia, sed inexpiabile odium, ira excandescens, rabies exaestuans, Religionem velut capitalem inimicum prosequuntur, et qui *philosophorum* nomine veniunt, ab odio christianismi ad odium personale contra divinum eius auctorem assurgunt. Re enim vera, genere quodam nequitiae quae supra naturam humanam esse videretur, ipsam Iesu Christi personam eo loco habent, quo haberi potest personalis inimicus vivens. Tunc etiam, conspira-

tione facta, viribusque unitis, « *infamem* » de mundo delere iurant; iurant eradere de terra, ut nomen eius non memoretur amplius. Tunc directe contra Deum insurgunt, dicentes: *Recede a nobis: Scientia viarum tuarum nolumus, et quis est Omnipotens ut serviamus ei?* (1). At nunc, quis a multo iam tempore esset status rerum in Europa, considerandum venit. Religio nimirum totum corpus sociale a planta pedis ad verticem capitis intime pervaserat. Cum enim a christianismo omnis apud nos civilizatio ortum duceret, et religionis ministri ubique obtinuissent conspicuum et praegrandem in statu politico locum, hinc factum fuerat ut ubique etiam, institutiones civiles et religiosae miro modo compenetratae invenirentur. Nam et de omnibus Europae statibus plus minusve cum veritate dici potuisset quod de regno Franciae pronuntiavit anglus historicus: hoc regnum per episcopos fuisse constructum, sicut per apes construitur alveare. Iam ergo ratio aperitur cur apud impios Revolutionis promotores rabies antireligiosa, necessaria quadam consequentia secum traxerit odium socialium institutionum, utpote quae tales essent a quibus principium religiosum omnino non poterat separari. Antiquum aedificium cui construendo natura simul et religio amico foedere iuncta adlaboraverant, summopere displicuit. Unde et solo aequandum, funditusque destruendum esse decreverunt, ut locus daretur novo ordini sociali et politico, qui esset idoneus primo et principali scopo destruendi omnem religionem (2).

(1) Iob. XXI-14.

(2) « Ce ne fut que dans la première moitié du dix-huitième siècle « que l'impiété devint réellement une puissance. On la voit d'abord « s'étendre de toutes parts avec une activité inconcevable. Du palais « à la cabane, elle se glisse partout, elle infeste tout; elle a des che- « mins invisibles, une action cachée, mais infaillible, telle que l'obser- « vateur le plus attentif, témoin de l'effet, ne sait pas toujours décou- « vrir les moyens. Par un prestige inconcevable, elle se fait aimer de « ceux mêmes dont elle est la plus mortelle ennemie, et l'autorité « qu'elle est sur le point d'immoler, l'embrasse stupidement avant de « recevoir le coup. Bientôt un simple système devient une association

Huius porro novi ordinis socialis instaurandi praetextus fuit libertas; codex, contractus socialis; medium, demagogia;

« formelle, qui, par une gradation rapide, se change en complot, et « enfin en une grande conjuration qui couvre l'Europe. Alors se montre « pour la première fois ce caractère de l'impiété qui n'appartient qu'au « dix-huitième siècle. Ce n'est plus le ton froid de l'indifférence, ou « tout au plus l'ironie maligne du scepticisme, c'est une haine mor- « telle, c'est le ton de la colère et souvent de la rage. Les écrivains « de cette époque, du moins les plus marquants, ne traitent plus le « christianisme comme une erreur humaine sans conséquence, ils le « poursuivent comme un ennemi capital, ils le combattent à outrance; « c'est une guerre à mort, et ce qui paraîtrait incroyable si nous n'en « avions les tristes preuves sous les yeux, c'est que plusieurs de ces « hommes qui s'appelaient *philosophes,* s'élevèrent de la haine du chris- « tianisme jusqu'à la haine personnelle contre son divin auteur. Ils le « haïrent réellement comme on peut haïr un ennemi vivant... Cepen- « dant l'Europe entière ayant été civilisée par le christianisme, et les « ministres de cette religion ayant obtenu dans tous les pays une « grande existence politique, les institutions civiles et religieuses s'é- « taient mêlées et comme amalgamées d'une manière surprenante; en « sorte qu'on pouvait dire de tous les états de l'Europe, avec plus ou « moins de vérité, ce que Gibbon a dit de la France, *que ce royaume* « *avait été fait par des évêques.* Il était donc inévitable que la philoso- « phie du siècle ne tardât pas de haïr les institutions sociales, dont il ne « lui était pas possible de séparer le principe religieux. C'est ce qui « arriva: tous les gouvernements, tous les établissements de l'Europe « lui déplurent, parce qu'ils étaient chrétiens, et à mesure qu'ils étaient « chrétiens; un malaise d'opinion, un mécontentement universel s'em- « para de toutes les têtes. En France surtout, la rage philosophique « ne connut plus de bornes, et bientôt, une seule voix formidable se « formant de tant de voix réunies, on l'entendit crier (à Dieu) au mi- « lieu de la coupable Europe: Laisse-nous! Faudra-t-il donc éternel- « lement trembler devant des prêtres, et recevoir d'eux l'instruction « qu'il leur plaira de nous donner? La vérité dans toute l'Europe est « cachée par les fumées de l'encensoir; il est temps qu'elle sorte de « ce nuage fatal. Nous ne parlerons plus de toi à nos enfants; c'est à « eux, lorsqu'ils seront hommes, à savoir si tu es, et ce que tu es, et « ce que tu demandes d'eux. Tout ce qui existe nous déplaît, parce que

ratio vero ultima, constitutio Status *athei* et *colossei,* supremi omnium iurium arbitri, totiusque liciti vel illiciti, permissi vel prohibiti omnipotentis dictatoris, sub quo infame Dei nomen et cultus in perpetuum aboleretur. In hoc cuncta collineant, ad hoc caetera tanquam media ordinantur; ad hoc destructio familiae, ad hoc destructio corporationum, ad hoc destructio libertatum tam municipalium quam provincialium, ut scilicet una in fine residua maneat impii Status potestas, absque cuius imperio non possit quisquam movere manum aut pedem in omni ambitu universi. Hic est finis intentus, non civilis libertas. Libertas praetextus est, libertas idolum est ad seducendos populos; idolum quod manus habet et non palpabit, pedes habet et non ambulabit; inanime numen sub quo Satanas parat redigere gentes in servitutem longe peiorem quam illa erat in qua mundum antiquum tenebat cum materialibus idolis paganismi. Caeterum, id quod in causa versatur, nihil aliud quam religio. Volumus, inquiunt, organizare humanitatem quae possit carere Deo (1). Et rursus: A diebus Revolutionis, in rebellione sumus contra auctoritatem divinam et humanam; humanam intellige, quae a Deo dependeat (2). Et iterum: « Multi sunt qui lo-« quuntur et scribunt de lucta civilizatrice, sed pauci qui intel-« lexerunt luctam eiusmodi esse contra ultimum ac desperatum « conatum ideae christianae iamiam exstinguendae, et civiliza-

---

« ton nom est écrit sur tout ce qui existe. Nous voulons tout détruire, et « tout refaire sans toi. Sors de nos conseils, sors de nos académies, sors « de nos maisons; la raison nous suffit. Laisse nous! » De Maistre, *Essai sur le principe générateur des constitutions politiques,* n. 63-66.

(1) Nous voulons organiser une humanité qui puisse se passer de « Dieu ». Jules Ferry.

(2) « Depuis la Révolution nous sommes en révolte contre l'au-« torité divine et humaine, avec qui nous avons d'un seul coup réglé « un terrible compte le 21 janvier 1793 ». Clémenceau. — Caeterum, si quis de *satanico* spiritu Revolutionis, ex irrefragabilibus et maxime authenticis documentis certior fieri velit, consulat quatuor tomos abbatis Barruel, *Mémoires pour servir à l'histoire du Jacobinisme.*

« tionem modernam paratam esse ad omnia media adhibenda, « potius quam cedat de iis quae tanto labore obtinuit. Civili- « zatio enim moderna et christianismus in contradictione sunt, « et ideo unum alteri locum det necesse est. Progressus mo- « dernus non potest agnoscere nisi Deum mundo immanentem, « oppositum Deo transcendentali revelationis christianae, nec « aliam moralitatem praeter solam illam veram, cuius fons est « voluntas humana sese per seipsam determinans, sibique ipsi « lex exsistens » (1).

Haec igitur sit ultima praesentis articuli conclusio: Liberalismum prosequi eversionem religionis, quando sub ementito libertatis nomine, ordinem intrat seu domesticum, seu oeconomicum, seu politicum. At nondum est completa eius descriptio, Superest ut de variis eius formis in ordine ad religionem, aliquid adiiciatur. Non enim unum tenet modum, sed novit temperare rigorem suorum postulatorum quoad eos quos portentum suae impietatis adhuc offenderet; imo novit sese transfigurare in angelum lucis, et sub boni specie vanis quibusdam sophismatibus incautos irretire. Ideoque, in quot quasi species dividatur, paucis nunc exponendum venit.

(1) Hartman, *Religion de l'avenir*.

ARTICULUS SECUNDUS

DE VARIIS FORMIS LIBERALISMI IN RE RELIGIOSA

Tres sunt principales liberalismi religiosi formae (1). Est liberalismus *absolutus;* est liberalismus *moderatus;* est denique liberalismus cui difficulter admodum nomen imponeres, quia cum in plena incohaerentia versetur, fugit omnem definitionem: proprius scilicet eorum qui *catholicorum liberalium* denominationem assumunt. Omnibus tribus formis commune est adstruere emancipationem ordinis civilis a religioso, ac per hoc, Status ab Ecclesia. Sed in prima forma statuitur eiusmodi emancipatio, per viam omnimodae dominationis Status supra Ecclesiam. In secunda forma asseritur per viam plenae independentiae, tum Status ab Ecclesia, tum Ecclesiae a Statu. In tertia denique propugnatur et promovetur mutua haec independentia ac separatio, non ut veritas iuris, sed ut quae in praxi optimum suppeditet modum vivendi. De singulis his formis quale iudicium sit, quidve proprium ac distinctivum habeant, per ordinem videndum est.

§ 1.

Quod prima forma liberalismi convertitur cum materialismo et atheismo (2).

Haec est forma liberalismi absoluti de quo fuit praecedens articulus. Concipit Statum velut altissimam potentiam ad quam humanitas in suo sociali progressu sese elevare possit. Non solum Status nihil habet supra se, sed nequidem habet sibi aequale, aut sibi non subiectum. Ipse potestas est summa et universalis, cui nihil resistere potest, cui cuncta debent obedire.

(1) Cf. omnino Liberatore, *La Chiesa e lo Stato,* cap. I, art. I, per totum.

(2) Ex Liberatore, *La Chiesa e lo Stato,* cap. I, art. I, § 2.

Ipse norma per excellentiam, ipse regulator omnium relationum inter homines; in cuius conspectu non est ius seu individuale seu domesticum quod inviolable sit, et multo minus ius sacrum quo alia societas gloriari queat. Nam omnia iura derivant ab eo in virtute voluntatis socialis, quae per publicam opinionem prius manifestata, in legem deinde erigitur a mandatariis populi in Parlamentis. Et quia voluntas socialis est essentialiter progressiva, consequitur quod nulla lex, nulla institutio immutabilitate gaudet, sed cuncta sunt progressui indefinito obnoxia. Semper tamen lex Status, quamdiu lex Status est et manet, supremam exhibet regulam operationis humanae.

Haec theoria, ut cuique videre licet, ea est quae plus minusve regit constitutiones modernas Europae, declarationi *iurium hominis* innixas. In cuius principiis Ecclesia non modo amittit omnem praeeminentiam respectu Status, verum etiam omnem rationem societatis perfectae et independentis. Ad summum manere poterit tanquam simplex collegium, vel quaevis alia associatio, suam a Statu exsistentiam accipiens. Et quemadmodum Status ex mero suo beneplacito, prout expedire iudicat, ei concedit ut gaudeat vita publica, sic definit qui sint limites intra quos concessa iura exercere valeat, altum sibi semper dominium reservans. Quo fit denique tandem, ut huiusmodi Ecclesiae conditio sit sub aliquo respectu peior quam conditio eius sub paganis imperatoribus, dum intermittens cruentae persecutionis vis tantisper eam respirare sinebat.

Nunc autem, quid de intrinseca theoriae indole censendum sit, facile est videre. In primis continet implicitam negationem spiritualitatis animae, necnon et immortalitatis eius. Qua enim ratione Statum conciperet tanquam potestatem supremam, nisi fatum hominis restringeret ad solum cursum vitae organicae et materialis? Nam quisquis semel admisit quod non in hac terra completur hominis destinatio, et quod eum manet post praesentem vitam alia vita immortalis, statim, velit nolit, cogitur admittere supremam societatem nonnisi religiosam esse posse,

illam scilicet quae hominem ducit et promovet ad summum suum atque imperiturum bonum. Nec est omnino unde iudicet quispiam, finem temporalis prosperitatis cui Status invigilat, esse illud bonum cui omnia cedere debent atque subordinari, nisi simul cogitet hominem tanquam e pura materia eductum, et in materiam quoque totaliter resolvendum. Ergo liberalismus absolutus idem valet ac materialismus.

Verum error radicalis e quo omnes alii fluunt, est proprie negatio Dei. Nam certe, si in suppositione sit, Deum non esse, aut (quod ad idem reducitur) non esse a mundo distinctum, sine difficultate intelligitur quod altissima universi potentia ipse homo exsistat, et quidem homo associatione amplificatus, homo evolutus in multitudinem et in aciem civilis communitatis instructus. In hoc quippe homine, ultimus iam limes perfectionis ad quam pertingit improducta materia. Ipse ex consequenti, absolutus sui ipsius dominus; ipse sibi suisque inferioribus normas praestituens de eo quod vel bonum appellare libuerit, vel malum, iustum vel iniustum. At nulla maior cogitatur absurditas, agnito semel Deo personali, creatore coeli et terrae, super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelso. Tunc enim, in illo Deo vivo et vero, ineluctabili necessitate agnoscendus summus dominus ac legislator universi, sub quo homo, et societas, et quicumque in societate praesunt, curventur necesse est. Tunc, non Status, non opinio publica, non placita progressus, sed immutabilia moralitatis principia divinitus impressa in mentibus nostris, pro suprema actionis humanae regula in ordine tam privato quam publico accipienda. Tunc denique, sublimiores potestates non alio iure imperandi auctae apparebunt, quam subordinato, ut regant populos secundum voluntatem illius Domini, cui et ipsae, omnium primae sunt subiectae.

Audite ergo, reges, et intelligite; discite, iudices finium terrae. Praebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: Quoniam data est a Domino pote-

stas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis (1).

Ecce qualem nobis potestatis politicae ideam ingerunt divinae Scripturae: aliam profecto ab idea potentiae quae totius iuris fons sit et origo! Ecce quomodo in politico imperante non plus monstrant quam ministrum: *Dei enim minister est in bonum,* ait apostolus, Rom. XIII-4. Minister, inquam, applicans legem quam accipit, et a qua sicubi deflectit, non iam ei obedientia subditorum, sed durissima a Domino eius debetur castigatio. Quae omnia evidentissima sunt in solo etiam stricto rigore logicae, pro omni eo qui agnovit Deum, et ne umbram quidem dubitationis admittunt. Quapropter, monstruosa illa conceptio Status, supremae normae publicae moralitatis, dominium habentis supra ipsam societatem religiosam, ut pro necessitate seu utilitate finis politici, iura fori externi ei concedat, auferat, limitet, mensuret (2): eiusmodi, inquam, conceptio intrinsece cohaeret cum absoluta negatione Dei: Dei scilicet vivi ac veri, qui aliquid aliud sit quam idea vacua, ad continendum in officio vilem populum adinventa.

Nec valet si dicas quod conceptio illa adhuc relinquit independentem religionem individualem ac privatam: Hoc enim nihil est. Primo quia cum individui non magis sibi sufficiant

(1) Sap. VI-2, seq.

(2) Vide in priori tomo citationes ad thesim 20, § 1.

ad vitam religiosam quam ad temporalem, imo multo minus, ipsa religiosa societas medium necessarium eis est, ad hoc ut in cultu divino informentur. Et ideo, vindicare sibi dominium supra religionem socialem, est ex consequenti dependentem facere religionem etiam fori privati et interni. Secundo quia religio non mutat naturam, cum ab ordine publico transfertur in privatum. Si ergo in ordine publico recensetur inter res mere humanas quae sunt ad finem politicum et sub imperio Status, in ordine quoque privato, quantum est ex vi systematis, ponitur loco humani negotii, puta vanae opinionis circa Deum, qui cum in re ipsa chimaera quaedam sit, adhuc tamen a superstitiosis et debilis mentis hominibus putatur exsistere. Unde, omnibus modis, a primo ad ultimum, liberalismus absolutus, id est, asserens dominationem Status supra Ecclesiam, idem valet ac purus putidusque atheismus. Et cum haec nullam possibilem evasionem habere videantur, non est amplius insistendum, sed iam veniendum ad mitiorem quamdam liberalismi formam, de qua sit sequens assertio.

§ 2.

Quod liberalismus moderatus, sin minus ad formalem atheismum, at certe ad manichaeismum reducitur (1).

Liberalismus de quo hactenus dictum, a praesagio sui nominis ita discordat, ut fere crederes impositum nomen per antiphrasim, eo scilicet modo quo per antiphrasim quoque, veteris fabulae furiis Eumenidum appellatio data. Re enim vera, libertas illa a qua denominationem sumit, si libertas impietatis est, multo adhuc magis libertas exquisitae tyrannidis, peiorisque omni barbarie despotismi. Quare pluribus displicuit eius enormitas; quibus consequenter curae fuit construere liberalismum (sit venia verbo), magis liberalem. Et iste est liberalismus qui moderatus dici

(1) Cf. Liberatore, *La Chiesa e lo Stato,* cap. I, art. I, § 2.

solet, quique verbis saltem tenus, non amplius efferatam dominationem Status supra Ecclesiam, sed solum plenam eius ab ea independentiam, perfectamque utriusque ab invicem separationem propugnat, iuxta celebrem formulam: *Ecclesia libera in Statu libero*. Profitetur se non negare ordinem religiosum, etiam supernaturalem, cum absoluta quae ei debetur autonomia; sed tantum velle ut ab eo penitus praescindatur, cum de ordinatione politicae societatis agitur. Duo siquidem inter se disparata sunt, res religiosa et res politica. Alius campus, alius finis, alia media civitatis, alia vero religionis. Et quomodo confunderemus nos ea quae ipsa natura rerum separavit? Caeterum, non esse recedendum a generali principio iustitiae, quo cuique suum reddere iubemur, et Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae sunt Dei: ut scilicet iure suo gaudeat societas ecclesiastica, gaudeat et civilis, et cum sit utrique sub sole locus, eat unaquaeque per viam suam, nihil curando de rebus alterius (1).

(1) Audias loquentem liberalem moderatum: « Plus d'alliance entre « l'Eglise et l'Etat: que l'Eglise n'ait plus rien de commun avec les « gouvernements, que les gouvernements n'aient plus rien de commun « avec les religions, qu'ils ne se mêlent plus de ces affaires! Le parti- « culier professe à sa guise le culte qu'il a choisi suivant son goût: « comme membre de l'Etat, il n'a point de culte propre. L'Etat recon- « naît tous les cultes, leur assure à tous une égale protection, leur « garantit une égale liberté, tel est le régime de la tolérance; et il « nous convient de le proclamer bon, excellent, salutaire, de le main- « tenir à tout prix, de l'élargir constamment. L'on peut dire que ce « régime est de droit divin: Dieu lui-même l'a établi en créant l'homme « libre; il le pratique en faisant luire son soleil sur les bons et sur les « méchants. A l'égard de ceux qui méconnaissent la vérité, Dieu aura « son jour de justice, que l'homme n'a pas le droit de devancer. Chaque « Eglise, libre dans l'Etat libre, incorporera ses prosélytes, dirigera « ses fidèles, excommuniera ses dissidents; l'Etat ne tiendra nul compte « de ces choses, n'excommuniera personne et ne sera jamais excom- « munié. La loi civile ne reconnaîtra aucune immunité ecclésiastique, « aucune prohibition religieuse, aucun lien religieux; le temple paiera « l'impôt des portes et fenêtres, l'étudiant en théologie fera le service

Haec certe magis speciosa sunt, imo ad aequitatis regulam ita exacta multis videbuntur, ut nihil magis. Nisi quod, si quis paulo diligentius consideret, facile videbit insubsistentem positionem, propter irreductibilem dualismum quem inducit. Quod quidem a multo iam tempore observavit Bonifacius VIII in bulla *Unam Sanctam,* ubi ait assertorem absolutae independentiae tam Ecclesiae a Statu quam Status ab Ecclesia, Dei ordinationi resistere, *nisi duo sicut Manichaeus fingat esse principia, quod falsum et haereticum iudicamus.* Et vere sic est, quia doctrina logice cohaeret cum absurdis placitis Manichaeorum, vel certe cum aequipollentibus, sive accipiantur Manichaei secundum quod duos deos et duas naturas in singulis principiis esse arbitrabantur (1), sive secundum quod duas quoque animas in unoquoque homine asserebant: « Unam de Deo, quae naturaliter « hoc est quod ipse; alteram de gente tenebrarum quam Deus « nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abiecerit, sed quae « suam vitam, suam terram, suos fetus et animalia, suum po- « stremo regnum habuerit, ingenitumque principium » (2).

Et primo quidem manifestum per se est quod si unum est totius mundi principium, seu ut dicitur Eccli. I-8, *unus altissimus creator omnipotens,* una quoque erit ordinatio universi, unus supremus finis creationis. Manifestum etiam quod finis iste,

---

« militaire, l'évêque sera juré et garde national, le prêtre se mariera « s'il veut, divorcera s'il veut, se remariera s'il veut. D'un autre côté, « pas plus d'incapacités et de prohibitions civiles que d'immunités d'un « autre genre. Toute religion prêchera, imprimera, processionnera, ca- « rillonnera, anathématisera, enterrera suivant sa fantaisie, et les mi- « nistres du culte seront tout ce peut être un citoyen. Rien n'empê- « chera du côté de l'Etat, qu'un évêque commande sa compagnie de « garde nationale, tienne boutique, fasse des affaires; rien n'empêchera « non plus que son Eglise, ou le Concile, ou le Pape puissent le dé- « poser. L'Etat ne connaît que des faits d'ordre public ». L. Veuillot, *L'illusion libérale,* § 1.

(1) August. de moribus Ecclesiae, l. 1, c. 10.

(2) August. de vera religione, c. 9.

maxime sublimis ex parte ordinantis, maxime beneficus ex parte ordinatorum, alius esse non poterit quam gloria Dei et aeterna beatitudo creaturae rationalis, cuius gratia caetera inferiora facta sunt. Manifestum denique quod huic eidem fini omnem finem inferiorem subordinari oportebit, si modo verum sit quod bona secundaria respectu boni primarii habent rationem mediorum, et quod media sub fine contineantur necesse est. Unde iam fluet consequentia ineluctabilis evidentiae: ipsum scilicet Statum politicum contineri sub uno illo unici supremi finis ordine, a quo non magis ei praescindere licebit, ac liceret ex. gr. carpentario praescindere a fine architecti cui debet materiam praeparare, et in usum aedificandae domus disponere. Dico autem ineluctabilis evidentiae consequentiam, ita ut non sit medium evadendi, nisi negando maiorem praemissam e qua ipsa fluit. Quisquis igitur ponit finem civitatis et finem religionis prorsus inter se disparatos, ac per hoc, penitus disparatas seu separatas potestates quae utriusque prosecutionem regunt: eo ipso unitatem primi principii implicite negat; alium esse dicit creatorem spiritualium, alium vero temporalium; alium deum a quo ordinatur homo ad vitam civilem, et alium a quo ad vitam religiosam. Duo ergo, sicut Manichaeus, fingit esse principia, et si forte a Manichaeo in aliquo discordat, nonnisi in hoc quod sentit aliquid etiam peius. Nam factorem temporalium quem Manichaeus habebat pro deo malo, ipse facile habebit pro deo lucis et progressus; illum vero alium, quem utpote factorem spiritualium, Manichaeus deum bonum dicebat, dicet deum tenebrarum et obscurantismi. Equidem consuetum est apud eos qui facere solent argumenta historica contra historiam, philosophica contra philosophiam, et scripturistica contra Scripturam: consuetum, inquam, est appellare ad sententiam illam evangelicam qua reddere iubemur quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Porro, de vera ratione secundum quam ea quae Caesaris sunt, ab iis quae sunt Dei, in evangelio contradistinguuntur, nondum est disputandi locus; id enim in sequenti quaestione tractandum

relinquitur. Interim vero, unum hoc interrogare liceat: utrum Caesar pro creatura Dei habeatur, vel non habeatur. Si pro creatura Dei, quomodo, quaeso, independens a Deo, ius habens ordinandi res suas sine ullo respectu ad Deum, ad legem Dei, et ad religionem quam instituit Deus? Si autem non pro creatura Dei, ergo, te ipso fatente, alius deus temporalium oppositus creatori spiritualium esse perhibetur, et revera duo, iuxta Manichaeum, finguntur esse principia.

At non solum duo prima principia, sed duas etiam animas in unoquoque homine necessarium erit admittere, et multo adhuc fortiori ratione quam quae Manichaeis causa fuerat, ad novum hunc dualismum declinandi. Manichaei siquidem, cum duas voluntates in deliberando animadvertissent, duas naturas duarum mentium esse concludebant, bonam unam, malam alteram. Non tamen ponebant illas concomitanter suis viis insistentes, sed ita inter se pugnantes, ut praevalente una, altera ab opere cessare cogeretur: quod non ita absolute repugnabat possibili reductioni in unam solam animam alternis vicibus, modo in bonum, modo in malum sese inflectentem, donec per victoriam unius tractionis supra aliam, incipiat tandem in uno firmari tota voluntas una, quae prius in opposita partialiter distendebatur. Nunc autem liberalismus moderatus, separando ordinem civilem ab ordine religioso, separat civem a christiano, philosophum a credente, publicum hominem a privato, politicum a fideli. Separat, inquam, non sicut separantur belligeri, quorum unus alterum vult supprimere, sed sicut separantur collaterales, quorum singulus quisque sequitur viam suam, et simul cum altero regulariter fungitur officio suo, quantumcumque ad disparata et contraria per separatos motores ambo moveantur. Et hoc dico, absolute et essentialiter repugnare omni possibili reductioni in unum, nec esse aliter conceptibile, quam ponendo in uno eodemque homine animas duas, mentes duas, conscientias duas realiter inter se distinctas: unam atheam, alteram religiosam; credentem unam, discredentem alteram; unam intentam temporalibus sine ordine

vel respectu ullo ad spiritualia, alteram intentam spiritualibus et quasi in superlunaribus extra hunc mundum positam; unam per quam serviat Caesari, et alteram per quam serviat Deo (1).

Quocumque ergo modo res aspiciatur, ista reciproca duarum potestatum independentia, seu fictio Ecclesiae liberae in Statu libero, novum instaurat Manicheismum, theoretice quidem absurdum, practice vero impossibilem. Qua enim ratione unquam concipies motores duos uni eidemque mobili regulariter applicatos, nisi sit inter eos subordinatio, per quam contrarietas impulsionum vitetur, et necessaria servetur unitas directionis? Quod ne ipsi quidem dissimulant liberalistae moderati, quoties ab abstracta verborum rhetorica descendunt in campum concretae realitatis. Eos non fugit requisita per se, aut subordinatio Status ad Ecclesiam, aut subordinatio Ecclesiae ad Statum. Sed primam concedere nefas; esset enim renuntiare primo et maxime essentiali principio liberalismi. Unde necessitate coacti, et non valentes sese sustinere in apparenti illo reciprocae independentiae aequilibrio, reincidunt in liberalismum absolutum, ponuntque Ecclesiam sub manu et potestate Status, quoties iudicio ipsius Status, ratio politici finis et temporalis interesse id exigere videbitur (2).

(1) « Nulle richesse d'éloquence ne peut dissimuler longtemps ce « fond d'incurable misère, nulles paroles dans aucune langue n'ont une « élasticité qui puisse mettre d'accord et retenir ensemble de pareilles « contradictions : *Libre coopération, indépendance réciproque des deux « pouvoirs,* etc. Que signifient ces sonorités? Que tirer pratiquement « de la *libre coopération* de l'âme et du corps, de l'indépendence réci- « proque de la matière et de l'esprit? ». L. Veuillot, ubi supra, § 24.

(2) « Il faut qu'il y ait une puissance supérieure qui ait droit... « de lever tous les doutes et de franchir toutes les difficultés. Cette « puissance est celle à qui il est donné de peser tous les intérêts, celle « de qui dépend l'ordre public et général, à qui seule il appartient de « prendre le nom de puissance dans le sens propre... La société reli- « gieuse a dû reconnaître dans la société civile, plus ancienne, plus « puissante, et dont elle venait faire partie, l'autorité nécessaire pour

Accidit ergo istis, quod iis accidere solet, qui erroris radice retenta, temperamenta quaerunt, unde errori meliorem concilient apparentiam. Qui non solum nihil proficiunt, sed claudicando in duas partes, cum dedecore et inelegantia in foveam cadunt quam vitare volebant. Sed haec ipsa claudicationis deformitas est, quae adhuc magis conspicua apparebit in tertia liberalismi forma de qua iam dicendum superest ultimo loco.

§ 3.

Quod liberalismus qui dicitur « catholicorum liberalium » omnem classificationem fugit, et unam solam distinctivam atque characteristicam notam habet, quae est nota perfectae et absolutae incohaerentiae (1).

Veritas assertionis constare potest vel ex sola consideratione terminorum qui iunguntur in appellatione illa: *catholicus liberalis*.

Catholicus namque ille est qui profitetur ea quae christiana fides docet, et prae primis, quae fundamenti instar in catechismo tradit: Creatum esse hominem ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, eum revereatur, ei serviat iuxta modum qui est in beneplacito voluntatis eius, et sic tandem salvet animam suam. Reliqua vero super faciem terrae sita, creata esse hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum iuvent; quibus ex consequenti, eidem homini eatenus utendum, eatenus abstinendum, quatenus ad prosecutionem finis vel con-

« assurer l'union, et le souverain est demeuré maître de faire prévaloir « l'intérêt de l'Etat dans tous les points de discipline où il se trouve « mêlé ». Portalis, *Discours et travaux inédits*. — « On ne saurait ad- « mettre deux puissances absolument égales, dont le concours produi- « rait une sorte de manichéisme politique, et n'aboutirait qu'à des luttes « périlleuses, ou à une négation sans issue ». Dupin, *Rapport sur les « travaux inédits de Portalis*.

(1) Cf. Liberatore, l. c. § 4.

ferunt vel obsunt; praesertim cum, testante ipsa Veritate, nihil ei prosit si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, imo prosit quam maxime, debilem vel claudum vel luscum introire in vitam aeternam, potius quam duas manus et duos pedes et duos oculos habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur. Proinde, falsam esse, perniciosam esse, lethiferam esse, summopere detestandam esse prosperitatem praesentis vitae quae cum dispendio salutis animae obtinetur; eamdem hanc praesentem vitam totam disponi debere per respectum ad futuram, cuncta temporalia aeternis esse subordinanda, adeoque oportere ut ordinatio potestatis quae praesidet temporalibus, subsit directioni potestatis superioris, cui finis aeterni procuratio a Deo ipso cum promissione perpetuae assistentiae creditur fuisse commissa. Non haec omnia sunt in principiis cuiusvis catholici, si modo suae professioni totus non mentiatur?

Sume nunc professionem liberalis. Certe liberalis, prout nunc de liberalibus loquimur, ille est qui profitetur, et celebrat, et approbat, et promovet immortalia, ut vocant, principia anni millesimi octingentesimi octogesimi noni. De his ergo principiis videndum est quid contineant. Porro principia ista, positis semel a parte iis quae non in proprium habent, sed de antiquo et communi thesauro naturalis iuris et aequitatis accepta retinent, quia de his nulla quaestio (1): ista, inquam, principia ad

(1) « Rien de plus laborieux et de plus infructueux qu'un voyage « à la recherche des principes de 89. On y rencontre considérablement « de buissons creux, de banalités, de phrases vides. M. Cousin, ayant « entrepris de révéler ces mystères qui portent le nom redouté et béni « de principes de la Révolution française, les réduit à trois: *La souve-* « *raineté nationale; l'émancipation de l'individu, ou la justice; la dimi-* « *nution progressive de l'ignorance, de la misère et du vice, ou la charité* « *civile.* Tocqueville ne contredit pas M. Cousin; seulement il démontre « sans peine que 89 n'a inventé ni cela, ni rien de ce que l'on peut « mettre encore de bon et d'acceptable sous le nom de 89. Tout exis- « tait mieux qu'en germe dans l'ancienne constitution française, et le

minimum reducta, et meliori quo possunt modo intellecta, proclamant independentiam rerum humanarum a divinis, subductionem ordinationis civilis a lege religiosa, dearticulationem regiminis temporalium a regimine intendente finem ultimum ac supremum; denique, ut uno verbo dicam, translationem orbitae civitatis in eam sphaeram reservatam, in qua iam cessat dominium Dei, cessat obligatio agnoscendi et colendi eum, cessat ordo hominis ad vitam aeternam, et solus aperitur oculus respiciens in vitam praesentem, clauso altero qui ostendit viam in futuram. Haec sunt quae in immortalibus principiis continentur, idque secundum benigniorem quam patiuntur interpretationem; nam in sensu Patrum Revolutionis, qui aliunde solus est consentaneus logicae rerum, important etiam saecularizationem absolutam et perfectam, id est, expulsionem principii theocratici e mundo, et rupturam definitivam totius humanae societatis cum Ecclesia, cum Iesu Christo, cum Deo, imo cum idea Dei et ultimo eius vestigio ([1]). In omni autem modo, et permissa in-

---

« développement en eût été plus général et plus solide, si la Révolu-
« tion n'y avait pas mis la main, c'est-à-dire le couteau. Avant 89, la
« France croyait bien s'appartenir, et l'on avait bien déjà quelques
« lueurs de l'égalité devant la loi, par suite de la pratique déjà longue de
« l'égalité devant Dieu. La charité manifestait son existence par un assez
« grand nombre d'établissements et de congrégations charitables; l'ins-
« truction publique était plus libérale, plus solide, et plus largement
« répandue qu'aujourd'hui... Si donc les principes de 89 sont ce que
« dit M. Cousin, en quoi la foi catholique leur est-elle contraire? Ca-
« tholiques libéraux et catholiques non libéraux les ont également non
« seulement respectés, mais pratiqués et défendus ». L. Veuillot, *Illusion libérale*, § 32.

([1]) « Mais il est temps d'ouvrir l'arcane de 89, et de dénoncer le
« point où la foi catholique libérale devra cesser, ou d'être libérale,
« ou d'être catholique. Il existe *un* principe de 89 qui est le principe
« révolutionnaire par excellence, et à lui seul toute la Révolution et
« tous ses principes. On n'est révolutionnaire qu'au moment où on
« l'admet, on ne cesse d'être révolutionnaire qu'au moment où on l'ab-

terim acceptione mitigata, quis iam non videt in eis talem irreductibilitatem ad fundamentalia christianismi principia, ut quaecumque accommodationis tentamina in summa incohaerentia consistant necesse sit? Porro aestimatio a priori plane confirmatur a posteriori, si rationes catholicorum liberalium perpendantur, una post alteram.

Incohaerentia in primis est, cum distinguunt inter principia abstracta et eorum applicationem, confitentes vera equidem esse, speculative loquendo, ea quae dicimus de necessaria unione et subordinatione potestatum, et se, speculative iterum loquendo, minime dissentire; sed aliud esse speculationis obiectum, aliud vero, quod locum habet in concreto ordine rerum, ubi multa sunt a conditionibus theoriae penitus discordantia. Et sic putant se satisfecisse veritati, relegando illam in regionem abstractionum. Verum, pace ipsorum dixerimus, principia illa quae vocant abstracta, suntne utique vel non, ad materiam moralem pertinentia, id est, praestituentia normam actuum humanorum, et regulam operationis rectae; operationis dico, quae in humana societate recte dirigatur ut finis exigit? Et si sunt se totis dictamina practica, ut per se evidens est, quomodo non summa incohaerentia in eo qui illa admittit, et simul vult ut in applicationem non deducantur? Nam ex hoc quod concretus rerum ordo differat ab idealibus theoriae conditionibus, id unum sequitur: nunquam fore ut apud nos actuationem obtineant cum

« jure. Dans un sens comme dans l'autre, il emporte tout; il élève « entre les révolutionnaires et les catholiques un mur de séparation à « travers lequel les Pyrames catholiques libéraux et les Thisbés révo- « lutionnaires ne feront jamais passer que leurs stériles soupirs. Cet « unique principe de 89, c'est ce que la politesse révolutionnaire des « Conservateurs de 1830 appelle la sécularisation de la société; c'est « ce que la franchise révolutionnaire du *Siècle,* des Solidaires et de M. « Quinet, appelle brutalement l'expulsion du principe théocratique; c'est « la rupture avec l'Eglise, avec Jésus-Christ, avec Dieu, avec toute re- « connaissance, avec toute ingérence et toute apparence de l'idée de Dieu dans la société humaine ». Veuillot, ubi supra, § 33.

ea perfectione quam nuda speculatio prae se fert. Sed profecto, cum eodem genere argumenti probarem quod praecepta virtutum in campo speculationis relinquenda sunt, quia humana conditio tantam altitudinem rectitudinis non patitur. Cum eodem quoque genere argumenti, demonstrarem quod scientiae mathematicae nullam possunt aut debent habere applicationem ad artes, quia triangulus idealis, exactus, geometricus, in concreto non datur, aut quia rigori calculi, experimentalis effectus semper contradicit.

Rursus incohaerentia est in distinctione quam faciunt inter id quod *de iure* conveniens aut debitum esset, et id quod *de facto* Ecclesiae utile est, dicentes: Perniciosum de facto semper fuisse Ecclesiae, regimen unionis; Ecclesiam de facto nulla unquam maiora mala perpessam esse quam ab episcopis illis fori externi, protectoribus principibus, prout incessantes attestantur luctae cum imperatoribus Bysantinis, cum Caesaribus germanicis, cum regibus Franciae, Angliae, Hispaniae, etc.; Ecclesiam eheu! de facto perire propter temporalia sustentacula quae sibi improvide comparavit; ideoque unum remanere salutis remedium, unam domum refugii, libertatem! Libertatem esse quae in augusta Ecclesiae fronte perditam coronam restituet; libertati fidendum tanquam amicae fideli, nec a libertate discedendum propter principia a priori quae in sua ideali regione, cum omni utique reverentia, sarta tecta relinquenda sunt ([1]). Haec illi, sed

([1]) « L'Eglise périt par les appuis illégitimes qu'elle s'est voulu « donner. Le temps est venu, elle doit changer de maximes; ses en- « fants doivent lui en faire sentir l'opportunité. Il faut qu'elle renonce « à tout pouvoir coercitif sur les consciences, qu'elle nie ce pouvoir « aux gouvernements. Plus d'alliance entre l'Eglise et l'Etat..., etc. etc.... « Notre catholique libéral s'animait beaucoup en déroulant ces mer- « veilles. Il soutenait qu'on n'avait rien à lui répondre, que la raison « et la foi et l'esprit du temps parlaient par sa bouche. Pour l'esprit « du temps, personne n'y contestait. En matière de raison et de foi, « on ne laissait pas de lui pousser des objections, mais il haussait les « épaules et ne restait jamais sans répartie. Il est vrai que les asser-

incohaerenter. Primo quia, si principia a priori ordinem enuntiant institutum et intentum a Deo, impossibile est ut neglectus

---

« tions énormes et les contradictions énormes ne lui coûtaient rien. Il « partait toujours du même pied, criant qu'il était catholique, enfant « de l'Eglise, enfant soumis; mais aussi, homme de ce siècle, membre « de l'humanité vieillie et mûre, et en âge de se gouverner elle-même. « Aux arguments tirés de l'histoire, il répondait que l'humanité vieillie « est un monde nouveau, en présence de qui l'histoire ne prouve plus « rien; ce qui ne l'empêchait par d'exploiter lui-même l'argument his- « torique, lorsqu'il en trouvait l'occasion. Aux paroles des Saints Pères, « tantôt il opposait d'autres paroles, tantôt il disait que les Saints Pères « avaient parlé pour leur temps, que nous devons penser et agir comme « au nôtre. Devant les textes de l'Ecriture, il avait la même ressource: « où il arrachait des textes qui semblaient contraires, ou il fabriquait « une glose à l'appui de son sens, ou enfin cela était bon pour les « Juifs et leur petit Etat particulier. Il ne s'embarrassait pas davantage « des bulles dogmatiques de la *Cour romaine*... Ce sont, dit-il, des for- « mules disciplinaires faites pour le temps, et qui n'ont plus de raison « d'être aujourd'hui. La Révolution française a enterré ces règles avec « le monde sur qui elles pesaient. La contrainte est abolie; l'homme « aujourd'hui est capable de liberté et ne veut plus d'autre loi! Ce ré- « gime qui déconcerte vos timidités, poursuivit-il d'un ton sibyllin, est « pourtant celui qui sauvera l'Eglise, et le seul qui puisse la sauver. « Du reste, le genre humain se lève pour l'imposer, il faudra bien le « subir, et cela est déja fait. Voyez si qui que ce soit peut opposer « quoi que ce soit à cette force triomphante, si même on le veut, si « même, vous exceptés, quelqu'un y songe. Catholiques intolérants, « vous étiez déjà plus absolus que Dieu le Père, qui a créé l'homme « pour la liberté; plus chrétiens que Dieu le Fils, qui n'a voulu établir « sa loi que par la liberté; vous voici maintenant plus catholiques que « le Pape; car le Pape consacre, en les approuvant, les constitutions « modernes, qui sont toutes inspirées et pleines de l'esprit de liberté. « Je dis que le Pape, le Vicaire de J. C. approuve ces constitutions, « puisqu'il vous permet de leur prêter serment, de leur obéir et de les « défendre. Or, la liberté des cultes y est, l'athéisme d'Etat y est. Il « faut en passer par là; vous y passerez, n'en doutez point. Dès lors « pourquoi vous débattre? Votre résistance est vaine; vos regrets ne « sont pas seulement insensés, ils sont funestes. Ils font haïr l'Eglise,

eorum cedat in maiorem Ecclesiae utilitatem. Secundo, quia facta quae afferuntur probant quod homo sua perversitate saepe corrumpit instituta Dei, non probant quod hac de causa ordinatio divina debeat repudiari aut a parte poni. Tertio, quia argumentum historicum peccat per incompletam enumerationem, referendo sola mala quae sub regimine unionis acciderunt, et

---

« et ils nous entravent beaucoup, nous, libéraux, vos sauveurs, en fai-
« sant suspecter notre sincérité. Au lieu donc d'attirer sur vous une
« défaite certaine et problablement terrible, courez à la liberté, saluez-la,
« embrassez-la, aimez-la. Elle vous sera bonne et fidèle amie, et vous
« donnera plus que vous ne pourriez jamais ressaisir. La foi croupit
« sous le joug de l'autorité qui la protège; obligée de se défendre, elle
« se relèvera; l'ardeur de la polémique lui rendra la vie. Que n'entre-
« prendra pas l'Eglise lorsqu'elle pourra tout entreprendre? Combien
« ne touchera-t-elle pas le cœur des peuples, lorsqu'ils la verront aban-
« donnée des puissants du monde, vivre uniquement de son génie et
« de ses vertus. Au milieu de la confusion des doctrines, du déborde-
« ment des mœurs, elle apparaîtra seule pure, seule affermie dans le
« bien. Ella sera le dernier refuge, le rempart inexpugnable de la mo-
« rale, de la famille, de la religion, de la liberté! — Tout a des limi-
« tes, et l'haleine de notre orateur trouva les siennes...

« Le libéral avait repris haleine. Dès qu'il eut repris haleine, il
« reprit son discours, et l'on vit bien que ce qu'il venait d'entendre
« n'avait fait aucune impression sur lui, si même il l'avait entendu. Il
« ajouta force paroles à celles qu'il avait déjà dites en grande abon-
« dance; rien de nouveau. Ce fut un mélange plus épais d'arguments
« historiques contre l'histoire, d'arguments bibliques contre la Bible,
« d'arguments patristiques contre l'histoire, contre la Bible, contre les
« Pères, et contre le sens commun... Il allégua encore le monde nou-
« veau, l'humanité émancipée, l'Eglise endormie et prête à se réveiller
« pour rajeunir ses symboles. Le passé mort, l'avenir radieux, la liberté,
« l'amour, la démocratie, l'humanité, étaient mêlés là dedans comme
« les faux brillants que les dames répandent aujourd'hui sur leurs faus-
« ses chevelures. Tout cela ne parut pas plus clair ni plus vrai que la
« première fois. Il s'en aperçut, nous dit que nous nous séparions du
« monde et de l'Eglise vivante qui sauraient bien aussi se séparer de
« nous, nous mandit presque, et enfin nous laissa consternés de sa
« folie ». L. Veuillot, *Illusion libérale*, § 1-4.

dissimulando ac praetermittendo bona ingentia quae ita superabundabant, ut manifeste appareat, protectionem principum, etsi aliquando degeneraverit in oppressionem, ut plurimum tamen fuisse Ecclesiae in praesidium et potentissimum adiutorium. Quarto, quia defectus incompletae enumerationis aggravatur per defectum comparationis cum malis quae ex separatione per se enascuntur, et in immensum, sicut hodierna experientia testis est, praeponderant. Quinto, quia nihil sic elucet in genere inconnexae et incompositae argumentationis, sicut conclusio ultima de recursu ad libertatem. Libertas quippe ad malum proclivis, ad irreligionem prona, totius mali est causa, et ipsa, ipsissima est quae in remedium erigitur!

At vero, aiunt, unio et subordinatio potestatum, quantumcumque esset per se exoptanda, nunc saltem de impossibilibus est; repugnat enim spiritus modernus, contra quem conari, inutile. Prudentia ergo praecipit acceptationem novi status rerum, sive ad impediendum ne semper in peius ruat, sive ad capiendum meliorem fructum adhuc possibilem. Et hoc est in quo, deficientibus aliis argumentis, tandem consistunt illi. Nisi quod, haec dicendo, ut recte observat Liberatore, in peiorem quam prius incidunt incohaerentiam, totaliter deviando ab eo quod in quaestione est. Non enim inter nos quaestio agitatur, utrum supposita contumacia saeculi, oporteat patienter ferre id quod in nostra potestate non est, et interim strenuam operam dare vitandis maioribus malis, eliciendisque bonis quae possibilia manent. Sed quaestio est utrum conveniat approbare eam conditionem socialem quam liberalismus inducit, encomiis celebrare principia quae huic ordini rerum fundamento sunt, eaque verbo, doctrina, opere promovere, uti faciunt illi qui simul cum nomine catholico, liberalium nomen sibi adsciscunt. Et ipsi potissimum sunt, qui nihil unquam proficient, quia utroque claudicant pede, et conciliationis modum frustra tentantes, nec a filiis Dei agnoscuntur ut genuini, nec a filiis Revolutionis ut sinceri recipiuntur. Veniunt quidem ad eorum castra cum tessera seu

συμβολω principiorum 89, sed quia συμβολον male pronuntiant, prohibentur ab ingressu.

Legitur in libro Iudicum (XII, 5-6), quod Galaaditae pugnantes contra Ephrataeos, cum eos superassent, coniuraverant ut nullus ex Ephraim fugiens, salvus abiret. « Occupaveruntque « Galaaditae vada Iordanis per quae Ephraim reversurus erat. « Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque « dixisset: Obsecro ut me transire permittatis, dicebant ei Ga- « laaditae: Numquid Ephrateus es? Quo dicente: non sum, in- « terrogabant eum: Dic ergo *Schibboleth,* quod interpretatur « spica. Qui respondebat: *Sibboleth:* eadem littera spicam ex- « primere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in « ipso Iordanis transitu ». Et sic quoque contingit ad ingressum portae castrorum liberalismi. Iis qui volunt intrare dicitur: dic ergo *Schibboleth,* quod interpretatur *saecularisatio societatis.* Interest autem an bene vel male pronuntient. Porro catholici liberales defectum linguae in hoc patiuntur, et non valent sacramentale verbum efferre sicut oportet (1). Ideo non admittuntur, et nec apud homines nec apud Deum obtinent fructum, quia in se dualismum illum verificant de quo Scriptura, Eccli. XXXIV-28, ait: *Unus aedificans et unus destruens, quid prodest illi nisi labor? Unus orans et unus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?*

(1) « Ils jurent volontiers par les principes de 89; ils disent même « *les immortels* principes. C'est le *schibboleth* qui donne entrée au camp « du grand libéralisme. Mais il y a manière de le prononcer, et nos « catholiques n'y sont pas tout-à-fait... C'est pourquoi ils prononcent « mal le *schibboleth*, et pourquoi la Révolution ne leur ouvre pas. La « Révolution est plus juste envers eux qu'ils ne le sont eux-mêmes. « Elle les flaire catholiques, elle leur fait l'honneur de ne les pas croire, « lorsqu'ils la veulent convaincre qu'ils le sont si peu, que personne, « hors de l'Eglise, n'en verra rien, et qu'ils joueraient très bien leur « personnage d'athée dans cette forme idéale de gouvernement sans « culte et sans Dieu ». Veuillot, l. c. § 32-34.

QUAESTIO XVIII.

DE SUBORDINATIONE INDIRECTA STATUS AD ECCLESIAM.

Ex dictis in capitulo praecedenti, tria iam in confesso esse debent: Primo, esse necessariam unionem et harmoniam inter utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam; et quidem secundo, unionem et harmoniam non qualemcumque, sed formalem et per se, cuius principium in subordinatione unius ad alteram; tum tertio, in subordinatione quae non sit Ecclesiae ad Statum, sed e converso, Status ad Ecclesiam.

Primum horum trium, de necessitate unionis et harmoniae, lippientes etiam offendit oculos, supposito praesertim quod in eosdem homines utraque potestas habeat regulariter exerceri. Neque enim hic locus est asserendi *luctam pro vita,* sed magis, si alias unquam, *concordiam pro vita.* Et lucta quidem pro vita sedem habet in systemate Darwin, in quo oportet debiliora individua perimi, et sola remanere fortiora atque valentiora, in progressivam speciei vel specierum evolutionem. Nunc autem, nec religio perimenda a praevalente civitate, nec a praevalente religione civitas; non devoranda Ecclesia in melioramentum Status, non devorandus Status in melioramentum Ecclesiae. Sed ambo potius, etiam sibi invicem conservanda: tum quia neutrius bonum integrum est absque conspiratione alterius, tum quia ibi

quoque suam applicationem habet illud Evangelii: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Quare unio sacerdotii et imperii est evidentissime requisita conditio ad bonum et regularem statum societatis humanae, nec ulli sapienti unquam probabitur in hac parte, inepta distinctio a liberalibus catholicis introducta, inter id quod verum est in abstracto theoriae, et id quod convenit in concreto ordine factorum. Contra quos Gregorius XVI in Encyclica *Mirari vos:* « Neque laetiora « et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, « qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacer- « dotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, perti- « mesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam « quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit et salutaris ».

Duo quoque alia, de necessitate harmoniae quae procedat ex aliqua subordinatione (contra dualismum liberalismi moderati), et quidem temporalis potestatis ad spiritualem, non autem vice versa, spiritualis ad temporalem (contra materialismum liberalismi absoluti), sine difficultate intelliguntur. Quia si unio quaeritur, certe non casualis et per accidens, sed stabilis et per se. Unionis autem stabilis et per se, aliud principium excogitabile non est nisi subordinatio, eaque consentanea respectivis finibus potestatum quae in ordinem venire debent. « Necessarium est, « inquit Suarez ([1]), ut hae potestates aliquem ordinem inter se « observent; alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari. « Nam saepe temporalia commoda repugnant spiritualibus, et « ideo, vel erit bellum iustum inter utramque potestatem, vel « necesse est alteram alteri cedere, ut omnia recte ordinentur. « Ergo vel potestas spiritualis erit sub temporali, vel e contrario. « Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem, « quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem. « Ergo dicendum e contrario est, potestatem temporalem subie- « ctam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat ».

([1]) Suarez, Defensio fidei, l. 3, c. 22.

Sed iam de intimiori ratione huius subiectionis necnon et de modo eius inquiritur. Et dico de modo, quia subiectio alia est directa, alia tantum indirecta. Unde statim suboritur quaestio, qualis sit illa quam dicimus, Status ad Ecclesiam subordinatio. Et non caret difficultate. Nam ex una parte, consentaneum est, sic subordinari potestates, quomodo subordinantur fines; et fines quos respiciunt duae potestates, saecularis et ecclesiastica, facile videbuntur etiam directe inter se subordinari, cum finis vitae aeternae qui est finis Ecclesiae, sit finis simpliciter ultimus ad quem cuncta sunt referenda, et sub quo disponuntur temporalia omnia tamquam totidem media seu viae ad illum perveniendi. Ex alia vero parte, si consulas communem omnium hominum sensum, et quod magis est, ipsam doctrinam evangelii, nihil inverosimilius, quam quod potestas imperatoria sub pontificia sit directe constituta: cum omnes apprehendant potestatem imperii velut in suo ordine supremam, et ipse Christus diserte dixerit regnum suum non esse de hoc mundo, diserte etiam distinxerit inter ea quae Caesaris sunt, et ea quorum providentiam et curam commisit Ecclesiae. Quid ergo? Ad indirectam subordinationem confugies? Sed neque sic difficultas evitatur, quia indirecta illa subordinatio suspicionem ingerit temperamenti arbitrarie conficti, quod non iustatur conditionibus rerum quae in quaestione sunt, utpote non respondens habitudini vitae praesentis ad futuram et temporalium ad aeterna, adeoque in eo consistens quod aut nimis est, aut non satis.

Vides igitur quomodo undique dubia consurgunt, ad quorum resolutionem oportet ordinate procedere, sequentium declaratione propositionum.

§ 1.

Quod supremum bonum ad quod per intentionem operantis, omnes actus humani sunt ultimo referendi, est unum bonum, unusque finis beatitudinis aeternae. Et quod, loquendo de quibuscumque actionibus rectis in honesto usu quarumcumque rerum, prout debitae ac sanctae intentionis imperio subsunt, non est locus distinctioni inter directe vel indirecte tantum fini ultimo subordinatas, quia omnes sunt media directa, per quas ascensiones in corde ponuntur, et itur de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.

Praeambuli loco praemittitur haec prima propositio ad vitandas aequivocationes quae facile occurrunt circa ordinem temporalium ad aeterna: ut scilicet in tuto sint generalia principia de actibus humanis, de ultimo fine, de charitate forma virtutum omnium, et ne quis existimet ea qualitercumque infirmari vel in discrimen adduci, propter ea quae infra dicentur de duobus finibus, quorum alter directe non sit sub altero.

Supponitur autem nota distinctio inter *finem operantis* et *finem operis*. Finis operis illud est ad quod suapte natura opus ordinatur, sicut aedificationis finis est domus, manducationis est nutritio, recreationis est conservatio virium corporis, etc. Finis vero operantis est, quem principaliter operans intendit, sicut finis eius qui aedificat domum, quandoque est lucrum; et finis eius qui cibo et potu et quibuslibet delectabilibus utitur, quandoque est sola delectatio, quandoque vero bonum virtutis seu temperantiae, atque ita porro. Nunc igitur, a *finibus operum* abstrahitur, ut solus consideretur *supremus ille finis operantis,* ad quem debent ultimo referri omnes quotquot sunt actus humani. Asseritur autem esse finis beatitudinis aeternae. In quo tamen observandum est, duplicem esse beatitudinis acceptionem,

prout beatitudo sumitur vel formaliter vel obiective. Obiectiva beatitudo est Deus ipse; formalis est creatus visionis intuitivae actus quo Deo beatitudinis obiecto uniemur. Et rursus, sive obiective sive formaliter sumpta beatitudo, duas rationes in se coniungit minime confundendas, prout vel bonum creaturae, vel Dei gloria in ea attenditur. Nam licet summum creaturae bonum et summa Dei gloria sint re omnino idem (unde et gratias agimus Deo propter magnam gloriam eius, quia id quod gloria ei est, beneficia nobis sunt): adhuc tamen ratione sic distinguuntur, ut in primo non sit nisi finis ultimus *ut noster,* in altero vero finis ultimus *simpliciter et absolute.* Finis ultimus ut noster, est Deus ut quo possesso consequemur veram felicitatem, impletionem omnis nostri desiderii, perfectam omnium bonorum sufficientiam. Finis ultimus simpliciter et absolute, est idem Deus in beatitudine sese communicans, ut qui per ipsam beatitudinem perfecte est glorificandus, ut in quo super omnia dilecto pausabit amor beatificus, ut ad quem intuitive cognitum referemus totum quod in nobis erit, totum nostrum bene esse, totam nostram abundantiam, perfectionem, felicitatem; et sic nunc sumitur finis beatitudinis aeternae. In eodem scilicet sensu quem intendunt theologi, cum dicunt amorem charitatis esse amorem divinae bonitatis in quantum est beatitudinis obiectum, ut apud S. Thomam, 2-2, Q. 23, a. 4, et in III, D. 27, Q. 2, a. 2, et Q. disp. *de char.* a. 2, et alibi saepe.

Hunc ergo finem esse eum in quem oportet per intentionem operantis *recta* dirigi omnes omnino actus humanos, aperte nos docet Dominus in evangelio, cum ait primum et maximum mandatum in eo consistere, ut diligamus Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et ex tota virtute nostra. Quod eleganter explicans Angelicus in opusculo *de perfectione vitae spiritualis,* c. 3-5, praemittit tres esse perfectionis modos divinae dilectionis: unum qui competit soli Deo, alterum qui beatis comprehensoribus, tertium qui nobis in statu huius vitae de necessitate praecepti imponitur.

De primo gradu ait: Primus et summus gradus divinae dilectionis convenit soli Deo. Qui quidem modus consideratur ex parte dilecti et ex parte diligentis. Dico autem ex parte dilecti, ut scilicet aliquid tantum diligatur, quantum diligibile est. Ex parte vero diligentis, ut aliquid diligatur secundum totam facultatem diligentis. Cum autem unumquodque sit diligibile secundum quod est bonum, bonitas Dei cum sit infinita, infinite diligibilis est. Infinite autem diligere nulla creatura potest, quia nullius virtutis finitae potest esse actus infinitus. Solus ergo Deus, cuius est tanta virtus in diligendo, quanta est bonitas eius, seipsum perfecte diligere potest secundum primum perfectionis modum.

Iam de secundo gradu qui proprius est comprehensoribus: Creaturae igitur rationali hic solus modus perfecte Deum diligendi possibilis est, qui sumitur ex parte diligentis, ut scilicet secundum suam totam virtutem creatura rationalis diligat Deum. Unde et in ipso divinae dilectionis praecepto manifeste hoc exprimitur. Dicitur enim Deut. VI-5: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* sed Luc. X-27, additur: *et ex omni mente tua:* ut cor referatur ad intentionem, mens autem ad cognitionem, anima vero ad affectum, fortitudo ad exsecutionem; haec enim omnia in Dei dilectione sunt expendenda. Considerandum est autem, quod haec dupliciter impleri contingit. Cum enim totum et perfectum sit cui nihil deest, ex toto corde et anima et fortitudine et mente Deus diligetur, si nihil in his omnibus nobis desit, quin totum actualiter convertatur in Deum. Sed hic perfectae dilectionis modus non est viatorum, sed comprehensorum. Unde apostolus, Philip. III-12: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam;* quasi tunc perfectionem exspectans, cum ad comprehensionem pervenerit, beatitudinis palmam accipiens. Comprehensionem autem accipit, non secundum quod importat inclusionem aut terminationem comprehensi, sic enim Deus incomprehensibilis est omni

creaturae, sed secundum quod comprehensio importat consecutionem eius quod in sequendo aliquis quaesivit. In illa autem coelesti beatitudine semper actualiter intellectus et voluntas creaturae rationalis in Deum feretur, cum in divina fruitione illa beatitudo consistat; beatitudo autem non est in habitu, sed in actu. Et quia Deo creatura rationalis inhaerebit tamquam ultimo fini; in finem autem ultimum omnia per intentionem referuntur, et secundum ultimum finem omnia exsequenda disponuntur: consequens est quod in illa beatitudinis perfectione creatura rationalis diliget Deum *ex toto corde*, dum tota eius intentio feretur in Deum ex omnibus quae cogitat, amat, aut agit; *ex tota mente,* dum semper actualiter mens eius feretur in Deum, ipsum semper videns, et omnia in ipso, et secundum eius veritatem de omnibus iudicans; *ex tota anima,* dum tota eius affectio ad Deum diligendum feretur continue, et propter ipsum omnia diligentur; *ex tota fortitudine,* vel *ex omnibus viribus,* dum omnium exteriorum actuum ratio erit Dei dilectio. Hic est ergo secundus perfectae dilectionis divinae modus, qui est beatorum.

Tertio denique venit modus qui nobis viatoribus praecepto imponitur: Alio vero modo, ex toto corde, mente, anima, et fortitudine Deum diligimus, si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu vel habitu in Deum non referamus; et huius divinae dilectionis perfectio datur homini in praecepto. Primo quidem, ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut apostolus dicit 1 Cor. X-31: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod quidem impletur cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, et per consequens, omnia quae per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quae a Deo abducant, sicut sunt peccata. Et sic Deum diligit homo ex toto corde. Secundo, ut intellectum suum homo Deo subiiciat, ea credens quae divinitus traduntur, secundum illud apostoli, 2 Cor. X-5: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et sic Deus diligitur ex tota mente. Tertio, ut quaecumque

homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat. Unde dicebat apostolus, 2 Cor. V-13: *Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis; charitas enim Christi urget nos.* Et sic Deus ex tota anima diligitur. Quarto, ut omnia exteriora nostra, verba et opera ex divina charitate firmentur, secundum illud apostoli, 1 Cor. XVI-14: *Omnia vestra in charitate fiant.* Et sic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic est ergo tertius perfectae dilectionis divinae modus, ad quem omnes ex necessitate praecepti obligantur. Secundus vero modus nulli est possibilis in hac vita, nisi simul fuerit viator et comprehensor, sicut Dominus noster Iesus Christus.

Tale, inquit, est praeceptum diligendi Deum ex toto corde, tota mente, tota anima, et tota virtute. Et si quidem consideretur hoc praeceptum secundum quod virtualiter negativum, sic obligat semper et ad semper; diversimode tamen, iuxta duplicem eius intentionem, primariam scilicet, vel tantum secundariam. Nam iuxta intentionem primariam iubet ut non fiat aliquid quod sit *contra* finem charitatis; iuxta secundariam, ut etiam non fiat aliquid quod sit *praeter*: illud per mortale peccatum, hoc per veniale. Si autem accipiatur ut affirmativum, sic non obligat semper et ad semper, sed solum identidem: quatenus identidem homo se convertat ad Deum tamquam ad dilectum super omnia, ei subiiciendo et ad beneplacitum voluntatis eius referendo omnes suas intentiones, potentias, affectiones, actiones, utique bonas et honestas. Unde ultro sequitur quod omnis actio bona et honesta, si substet, et in quantum substat ut debet, vel actu vel virtute, imperio charitatis, medium est *directe positum* sub fine beatitudinis aeternae: illius dico beatitudinis in qua erit omni ex parte perfecta glorificatio divinae bonitatis, et creatura rationalis convertetur tota in ardentem fornacem amoris, cuius flamma sine intermissione aut defectu semper ascendet ante Deum.

Sic igitur, si de fine operantis loquamur, nonnisi unus ve-

rus finis ultimus est, ad quem omnia nostra referenda sunt: servitia, studia, negotia, administrationes et usus quarumcumque rerum, etiam pure mundanarum: ita scilicet ut omnes et singuli actus nostri, cuiuscumque ordinis vel materiae, si omni ex parte suae regulae conformentur, efficiantur vere meritorii, atque adeo, *directe* conducentes in dictum unicum finem cuius gratia conditi sumus, hoc est, in finem vitae aeternae. Et hoc quidem tamquam extra omnem possibilem controversiam praesupposito, suboritur iam questio, an et quomodo intelligi adhuc possit illa finium dualitas, praesertim cum indirecta tantum unius ad alium subordinatione quae in praesenti capitulo obiectum nostrae investigationis est. Solutio autem petenda ex iis quae sequuntur.

§ 2.

Quod si nunc abstractio fiat a fine operantis, ut solus finis operis consideretur, sic sunt fines duo, et duo mediorum ordines: hinc bonum salutis aeternae ad quod referuntur media quae dicuntur spiritualia, illinc bonum vitae praesentis ad quod referuntur ea quae temporalia. Et quod inter duos istos fines subordinatio directa non est, sed tamen indirecta, quatenus bonum temporale sic est sub spirituali, ut debeat non modo ei non obesse, verum etiam ei inservire tamquam removens impedimenta, et subministrans conditiones sub quibus libera esse possit atque expedita eius prosecutio.

Ut dictum est supra, finis operis ille est ad quem opus ordinatu ex natura sua, et in quem conducit secundum se, praescindendo a modo et ordine qui ei supervenit ex intentione operantis. In hoc autem genere considerari possunt, vel fines proximi, fragmentarii, particulares, qui multiplicantur supra numerum, pro singulorum multiplicatione operum, vel fines totales et completi in quos particulares collineant. Sicut alius est finis

operis carpentarii, alius caementarii, alius fabri ferrarii, omnes tamen in unam domus perfectionem collineantes. Et similiter, alium finem habet ars architectonica, alium sartoria, alium culinaria, sed unus est finis totalis et completus, corporalis necessitas. Loquendo igitur *de finibus operum totalibus ac completis,* dico non esse nisi duos in suo ordine ultimos ac supremos, iuxta distinctionem duplicis vitae quam homo vivere habet : alius temporalis quae finitur ad mortem, alius spiritualis quae hic inchoata, nullum in futuro terminum novit.

« Duae quippe vitae sunt : una terrena, altera coelestis ; « altera corporea, altera spiritualis. Una qua corpus vivit ex « anima, altera qua anima vivit ex Deo. Utraque bonum suum « habet quo vegetatur et nutritur ut possit subsistere. Vita ter- « rena bonis terrenis alitur ; vita spiritualis bonis spiritualibus « nutritur. Ad vitam terrenam pertinent omnia quae terrena sunt. « Ad vitam spiritualem, quae spiritualia sunt bona omnia. Ut « autem in utraque vita iustitia servetur, et utilitas proveniat,... « potestates sunt constitutae. In laicis quippe, ad quorum stu- « dium et providentiam ea quae terrenae vitae necessaria sunt, « pertinent, potestas est terrena. In clericis autem, ad quorum « officium spectant ea quae spiritualis vitae sunt bona, potestas « est divina. Illa igitur potestas saecularis dicitur, ista spiritualis « nominatur ». Ita Hugo a S. Victore, *de Sacr.* l. 2, part. 2, c. 4. Sed nondum est nobis de potestatibus sermo. Adhuc enim in consideratione finium consistimus, et de finibus adhuc loquendo dico, ipsam excellentiam finis spiritualis supra terrenum et temporalem, in causa esse cur unius ad alium directa subordinatio esse nequaquam possit. Tunc enim directa subordinatio est, quando finis inferior se habet ad superiorem ut medium, et quidem ut medium per se, id est proportionatum, cum semper oporteat ut ea quae sunt ad finem, proportionata sint ad finem inducendum. Nunc autem, inferioritas boni temporalis respectu spiritualis, sita praecise est in omnimoda disproportione, quae

rationem viae seu medii directi non solum non compatitur, sed positive etiam excludit.

Felicitatem temporalem, mortalem, corporalem describens Psalmista ait: *Quorum filii sicut novellae plantationes in iuventute sua; filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus eius; boves eorum crassae. Non est ruina maceriae neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui haec sunt* (1). Sed quid haec ad bonum virtutis, ad perfectionem animae, ad finem sempiternae beatitudinis: filios habere incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantia pecora, nullam ruinam, nullum tumultum et clamorem in plateis, sed quietem, pacem, copiam rerum in domibus, in civitatibus? Certe non est ista felicitas per se conductiva ad alteram, non scala ad illam, non ex virtute suae formae ad illam disponens. Ergo nec finis sub fine directe positus, imo potius finis in suo ordine ultimus, ultra quem scilicet, in linea recta non proceditur. Quid ergo dicemus? An propterea, mutuam duorum finium independentiam et veluti dearticulationem praedicabimus? Absit. Nam certe, cum Apostolus, 1 Tim. II-2, praecipiebat orandum esse pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, adiungebat: *in omni pietate et castitate.* Sentiebat ergo, temporalem reipublicae quietem et pacem cedere in bonum religionis, adeoque et prosecutionis finis spiritualis. Et cum Dominus ipse iubebat nos, in oratione illa quae informativa est totius nostri affectus, petere a Patre panem quotidianum (in quo quidem intelligitur omnis sufficientia praesentis vitae), satis inculcabat, et terrena coadiuvare nos suo modo ad ea quae sunt salutis aeternae. Et cum edocemur, bona quoque temporalia ad materiale obiectum spei theologicae pertinere, nullum dubium quin accipiantur secundum quod quaedam sunt adminicula, « quibus adiuvamur ad tenden-

(1) Psalm. CXLIII-12, seq.

« dum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corpo-
« ralis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad
« actus virtutum » ([1]). Denique, quomodo fieri posset ut per intentionem operantis omnia referri debeant ad finem beatitudinis, sicut in § 1 dictum est, nisi omnia quoque quae operationis rectae obiectum sunt, ad finem istum aliqualiter pertinerent? Nam profecto, referre ad finem id quod fini nullatenus inservire natum est, absonum prorsus, et a recto dictamine rationis alienum. Dicendum itaque, aliquam esse procul dubio subordinationem finis temporalis ad spiritualem; quae cum directa esse nequeat, restat ut sit indirecta. Sed quid, putas, indirectae subordinationis nomine venit?

Porro de hac subordinatione proportionaliter sentiendum est sicut de causa indirecta, quae dicitur dupliciter. Primo, quae non impedit, cum impedire possit, sicut si dicatur aliquis alium perfundere, quia non clausit fenestram per quam imber ingreditur. Secundo, et magis proprie, quae removet impedimenta, seu apponit conditiones sub quibus causa per se, ex virtute suae formae effectum ponens, liberum atque expeditum habet sui exercitium, sicut qui complanat seu aequat viam, causa indirecta dicitur et est ambulationis per eam.

Et secundum hanc analogiam sine difficultate intelliges subordinationem indirectam finis temporalis ad spiritualem. Quia finis temporalis, etsi sit alius ordinis ac spiritualis, in alia sphaera exsistens et ab aliis principiis pendens, adhuc tamen sic disponendus est: *ut primo, non sit impedimento fini spirituali,* et sicubi in oppositionem veniat, debeat omnino cedere, et detrimentum potius subire: *ut secundo, non solum non sit impedimento, sed sit etiam adminiculo,* idque per modum auferentis impedimenta, seu apponentis exteriores conditiones pacis, quietis, tranquillitatis, et sufficientis prosperitatis, sub quibus expedita atque imperturbata esse valeat, quantum status huius nostrae mortalitatis pa-

([1]) S. Thom. 2-2, Q. 83, a. 6.

titur, operatio salutis aeternae. Unde apparet, indirectam subordinationem temporalium ad aeterna non tollere positivam eorum ad illa vel utilitatem vel necessitatem. Quo fit ut per intentionem operantium, directe etiam ad finem spiritualem referri queant ac debeant. Quidquid enim quocumque modo fini inservire natum est, directe cadere potest sub intentione intendentis finem (1).

Sed iam, a subordinatione finium facilis transitus erit ad subordinationem potestatum.

§ 3.

Quod eodem modo debent subordinari potestates, quo modo subordinantur fines ad quorum providentiam potestates sunt constitutae. Et quod naturae rerum consentaneum est ut potestas temporalis subsit spirituali, non quidem per respectum ad proprium suum temporalem finem, sed per respectum ad spiritualem, pro quanto scilicet, nec plus nec minus, interesse finis spiritualis in temporalibus implicatur, et conveniens eius promotio in animis hominum, de armis etiam quae saeculari societati propria sunt, requirit adiutorium.

Haec assertio est mera applicatio praecedentis doctrinae ad duas potestates quibus mundus regitur. Nondum attingit positivos fontes ex quibus subiectio Status ad Ecclesiam theologice demonstratur, sed solum proponit quid sit naturae rerum rectoque ordini consentaneum; et secundum hoc, vix indiget nova declaratione, supra id quod praemissum est in paragrapho superiori. Et sane, oportet sumere attributiones, mensuram, ordinem et gradum potestatum, a finibus ad quos totae quantae

(1) Apparet itaque quod finis directe subordinatus alteri consideratur ut causa per se, quae propria virtute movet ad illum. Finis vero subordinatus alteri solum indirecte, consideratur ut causa per accidens, quae se habet ut removens prohibens.

sunt referuntur. Nam semper ea quae dicuntur secundum habitudinem ad aliquid, distinguuntur et specificantur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur. Unde Aristoteles in 1 *Ethic.* cap. 1, generalis principii loco ponit, facultates habere inter se easdem relationes, quas inter se fines servant; quae res adeo evidens per se est, ac perspicua, ut nullum contra se habeat vel apparens argumentum. Si igitur temporalium ad spiritualia indirecta subordinatio est, indirecta quoque potestatis temporalis ad potestatem spiritualem subordinatio sit necesse est. Quam pulchre per sequentem similitudinem Bellarminus illustrabit.

« Ut se habent in homine spiritus et caro, ita se habent « (in populo christiano) duae illae potestates. Nam caro et « spiritus sunt quasi duae respublicae, quae et separatae et « coniunctae inveniri possunt. Habet caro sensum et appeti- « tum, quibus respondent actus, et obiecta proportionata, et « quorum omnium finis immediatus est sanitas et bona con- « stitutio corporis. Habet spiritus intellectum et voluntatem, « et actus atque obiecta proportionata, et pro fine, animae « sanitatem et perfectionem. Invenitur caro sine spiritu in brutis; « invenitur spiritus sine carne in angelis; invenitur etiam caro « adiuncta spiritui in homine, ubi quia unam personam faciunt, « necessario habent subordinationem et connexionem. Caro enim « subest, spiritus praeest, et licet spiritus non se misceat actio- « nibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones ut « in brutis exercet, tamen quando eae officiunt fini ipsius spi- « ritus, spiritus carni imperat, eamque castigat, et si opus est, « indicit ieiunia aliasque afflictiones, etiam cum detrimento aliquo « et debilitatione ipsius corporis, et cogit linguam ne loquatur, « oculos ne videant, etc. Pari ratione, si ad finem spiritus obti- « nendum necessaria sit aliqua carnis operatio, et ipsa etiam « mors, spiritus imperare potest carni, ut se ac sua exponat, « ut in martyribus videmus. Ita prorsus politica potestas habet « suos principes, leges, iudicia, etc. Et similiter ecclesiastica « suos episcopos, canones, iudicia. Illa habet pro fine tempo-

« ralem pacem, ista salutem aeternam. Inveniuntur quandoque « separatae, ut olim tempore apostolorum, quandoque coniunctae « ut nunc. Quando autem sunt coniunctae, unum corpus effi- « ciunt, ideoque debent esse connexae, et inferior superiori « subiecta et subordinata. Itaque spiritualis non se miscet tem- « poralibus negotiis, sed sinit omnia procedere sicut antequam « essent coniunctae, dummodo non obsint fini spirituali, aut non « sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid « accidat, spiritualis potestas potest et debet coercere tempo- « ralem omni ratione ac via quae ad id necessaria esse vide- « bitur ([1]) ».

Ubi vides, temporalem potestatem quae praesidet rebus mundanis, nequaquam poni sub spirituali, ratione sui proprii finis; sed, conformiter ad superius dicta, eatenus tantum asseri subiectam, quatenus debet temporalia ordinare negotia eo modo qui non sit impedimento fini spirituali, tum praeterea positivum praestare famulatum, si quando contingat ut ad removenda impedimenta quae eidem spirituali fini aliunde obsunt, media quoque quibus ipsa instruitur, sint necessaria. Quamobrem, civilis potestas adhuc dicitur et revera est in suo ordine suprema, quia ad illam fit ultima resolutio in sua sphaera, seu in tota communitate quae illi subest: dum a tali principe supremo omnes magistratus qui in tali communitate vel in parte eius potestatem habent, pendent: ipse vero princeps nulli superiori in ordine ad finem civilis gubernationis subordinatur. Verumtamen, quia ordo temporalis et civilis ad spiritualem et aeternum referendus est, hinc fit ut materia ipsa potestatis civilis aliter quandoque dirigenda et gubernanda sit, et media eius in alia etiam ministeria debeant impendi, quam si sola civilis ratio exsisteret. « Et tunc, quamvis temporalis princeps, eiusque potestas, « in suis actibus directe non pendeat ab alia potestate eiusdem « ordinis, et quae eumdem finem tantum respiciat: nihilominus

([1]) Bellarm. de Rom. Pont. . 5, c. 6.

« fieri potest ut necesse sit, ipsum dirigi, adiuvari, vel corrigi « in sua materia a superiori potestate gubernante homines ad « excellentiorem finem, et aeternum. Et tunc illa dependentia « vocatur indirecta, quia illa superior potestas circa temporalia « non per se aut propter se, sed quasi indirecte et propter aliud « interdum versatur (1) ».

Et haec sunt quae velut a priori ostenduntur requiri ad bonum ordinem in societate humana; imo cedere in maximum emolumentum ipsiusmet civitatis politicae, si modo verum est, prosperitatem civitatis non consistere in tranquillitate quam sola vis materialis gignit, sed in ea potius quam fovent boni mores, firmat religio, et tutatur status vere consentaneus fini ob quem factus est homo secundum quod homo. De qua re infra, cum ad particularia ventum erit, amplior sermo habebitur. Interim vero, non in solis considerationibus a priori oportet nos remanere, sed quid de potestatibus et ordine earum per ius positivum evangelicum constitutum sit, iam nunc videndum est.

§ 4.

Quod Ecclesia non accepit a Christo potestatem ullam temporalem sive politicam, et quod directam in saecularia iurisdictionem ipsa sibi nunquam vindicavit.

In hac assertione facillime, nunc saltem, convenient omnes. Quod si qui olim, quos recenset Bellarminus (*de Rom. Pont.* l. 5, c. 1), in partem oppositam declinaverunt, vix ac ne vix quidem sunt attendibiles. Nam vel fuerunt iurisconsulti in theologia parum versati, vel theologi sat obscuri nominis, ut Augustinus Triumphus, Alvarus Pelagius, etc. Quorum rationes, si quid demonstrant, demonstrant potius absolutam causae inanitatem.

(1) Suarez, Defens. fid. l. 3, c. 5.

Probatur ergo breviter, quia ut dicit Suarez in defens. fid. l. 3, c. 5, si cui dedisset Christus aliquam temporalem potestatem seu iurisdictionem, maxime Petro quem suae Ecclesiae caput constituit. Petro autem non donasse, satis colligitur ex Matth. XVI-19, ubi ante illa verba: *Quodcumque ligaveris,* et *quodcumque solveris,* praemittit Christus promissionem: *Tibi dabo claves regni coelorum.* Non ergo promisit Christus Petro claves regni terreni, ac proinde non promisit temporale dominium, vel iurisdictionem temporalem directam, sed spiritualem potestatem. Quocirca, quod statim Christus addit; *Quodcumque ligaveris,* vel, *quodcumque solveris,* secundum potestatem quam nomine clavium promiserat, sine dubio intelligendum est. Et similiter verbum, *pasce oves meas*, secundum eamdem potestatem intelligendum est, nam ibi promissionem prius factam Christus adimplevit. Et confirmatur, quia ipse non reliquit in terris nisi vicarium illius regni quod de facto inter homines degens ipse sibi assumpsit. Regnum autem quod in vita mortali assumpsit, illud est de quo dicit ad Pilatum: *Regnum meum non est de hoc mundo,* scilicet non temporale et terrenum, quale est regnum Caesaris. « Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel « exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; « sed rex Israel, quod mentes regat, quod in aeternum con- « sulat, quod in regnum coelorum credentes, sperantes, aman- « tesque perducat ». Ita Augustinus, tract. 51 in Ioan. n. 4. In cuius verbis, totius traditionis consonam sententiam audire est, quin opus sit in se adeo aperta longius progredi citatione auctoritatum.

Unde ipsi Pontifices Romani huic conclusioni ultro et diserte attestantur. Pulchre Nicolaus I, epist. 86 ad Michaelem imperatorem: « Fuerunt haec ante adventum Christi, ut qui- « dam typice reges simul et sacerdotes exsisterent; quod san- « ctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia, quodque in « membris suis diabolus imitatus, utpote qui semper quae « divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare

« contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices « dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eumdem regem « et pontificem, ultra sibi nec imperator iura pontificatus ar- « ripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam « idem mediator Dei et hominum homo Christus Iesus sic acti- « bus propriis, et dignitatibus distinctis, officia utriusque po- « testatis discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum « efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et « christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, « et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum impe- « rialibus legibus uterentur: quatenus spiritalis actio carnalibus « distaret incursibus ». Ubi vides potestates non solum secundum se, verum etiam secundum subiecta, regulariter saltem loquendo discretas. Et dico, regulariter saltem loquendo, quia per haec minime prohibetur quin in eadem persona, particularis quidam civilis principatus et potestas spiritualis simul coniungantur, uti infra, de immunitate ecclesiastica et de convenienti eius praesidio in dominio temporali Sedis apostolicae loquentes ostendemus. Interim vero, id saltem aperte eruitur: politicum principatum non esse in quibuscumque Ecclesiae pastoribus ex instituto et donatione Christi, adeoque Ecclesiam qua talem, nullam sibi in saecularia directam potestatem arrogare. Eamdem conclusionem prae se ferunt decretales Innocentii III, cap. *Novit,* de iudiciis, et cap. *Venerabilem,* qui filii sint legitimi, et cap. *Solitae*, de maioritate et obedientia. In idem quoque collineat protestatio in consistorio habita a Bonifacio VIII, tempore litis exortae inter ipsum et Philippum IV Galliae regem: *Petrum Flotam imposuisse Pontifici, quod mandasset regi ut recognosceret regnum ab ipso. Quadraginta iam annis se expertum esse in iure, et scire duas esse potestates ordinatas a Deo. Quis ergo deberet vel posset credere tantam fatuitatem, tantam insipientiam fuisse vel esse in capite suo? Protestari se, quod in nullo vellet usurpare iurisdictionem regis; regem tamen negare non posse, quin esset Pontifici subiectus rationi peccati.* Subdit autem Spondanus, Ann.

eccl. ad annum 1302, n. 11: « Hinc aperte probari, quantum « Bonifacius alienus fuerit ab illo supercilio quod plerique omnes « ei impingunt, de subiectione temporali regnorum omnium, et « quo sensu eam intellexerit. Quem eumdem ipsum fuisse existi- « mamus, quo olim Innocentius III, cum ab aliquibus culpa- « retur quod in Philippum Augustum regem Francorum com- « motus fuisset occasione belli ab eo illati Ioanni Angliae regi, « scribens pariter ad praelatos Galliae testatus est, non se iu- « risdictionem regis perturbare aut minuere intendere, aut iu- « dicare de feudo, cuius ad regem spectaret iudicium, sed de- « cernere de peccato, cuius ad ipsum Pontificem pertineret sine « dubitatione censura, quam in quemlibet exercere posset ac « deberet... Quo etiam sensu accipienda celebris illa ab eodem « Bonifacio edita constitutio, quae incipit *Unam sanctam*, de « auctoritate et potestate Ecclesiae, duplicique gladio ei a Christo « tradito ».

Sed haec nos iam evocant ad subordinationem indirectam duarum potestatum, quam ius evangelicum tanto certius ponit, quanto apertius directam excludit. De qua proinde sit ultima huius capituli propositio.

§ 5.

Quod Ecclesia accepit a Christo plenam auctoritatem super baptizatos in ordine ad finem salutis aeternae, et quod idcirco, in societatibus christianorum potestas saecularis iure divino indirecte subest iurisdictioni ecclesiasticae.

Plena certe, atque in suo ordine illimitata est potestas data Petro, et per Petrum Ecclesiae, gubernandi cunctos fideles versus finem vitae aeternae. Talem enim potestatem continent *claves regni coelorum*, principi apostolorum collatae; talem potestatem significant verba: *quodcumque solveris, quodcumque ligaveris super terram* ad eum directa: talem potestatem im-

portat commissum ei officium *pascendi oves et agnos,* uti ex dictis in Qq, 11 et 13, satis superque constat. Sed omnimoda haec plenitudo importat procul dubio, respectu eorum omnium qui ovile Christi per baptismum ingressi sunt, iurisdictionem sese extendentem ad omnia media, etiam indirecta, in finem requisita; inter quae eminet praelaudatum illud erga religionem temporalis regiminis servitium ac famulatus. Dicendum ergo quod ius evangelicum positive instituit in societatibus christianorum, eam ipsam subordinationem civilis auctoritatis ad ecclesiasticam, quam supra, § 3, vidimus intercedere de iure naturali inter politicam et religiosam potestatem in genere.

Hanc conclusionem magis explicat Suarez, rem considerando, tum ex parte principis christiani qui subiectum est politicae potestatis, tum ex parte populi in quem illa exercetur. Ex parte quidem principis. Nam, inquit, princeps christianus spiritualiter subditus est Petro; et potestas spiritualis data Petro universalis est ad omnes actus subditorum dirigendos, quibus vita aeterna perdi vel comparari potest; et unus ex his actibus in christiano principe est debitus usus potestatis gubernativae, quia si illa iuste non utatur, condemnabitur. Ergo ad pastorem spiritualem talis principis pertinet facultas dirigendi illum in usu temporalis potestatis, pro quanto animae obesse vel prodesse potest, quemadmodum inculcat Gelasius I, epist. 8, ad Anastasium imperatorem: « Duo quippe sunt, imperator Auguste, « quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pon- « tificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus « sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino « reddituri sunt examine rationem ». Sed ex parte subditorum principis adhuc magis urget ratio. Nam pontifex in vi muneris sibi a Christo commissi, tenetur habere curam spiritualem totius populi christiani, et avertere ab eo spiritualia incommoda quae ex abusu potestatis temporalis in eum possunt redundare. Ergo, hoc etiam titulo necesse est ut potestas spiritualis ad temporalia indirecte extendatur, dirigendo, ubi oportuerit, potestatem

politicam ne ita temporalia disponat, ut spiritualibus noceant. Ergo rursus, in potestate spirituali Ecclesiae includitur, sensu saepe iam declarato, directiva vis temporalium ([1]).

Et articulns quidem primus Declarationis Gallicanae anni 1682, a summis Pontificibus Innocentio XI, Alexandro VIII, et Pio VI in bulla *Auctorem fidei*, iteratis vicibus quoad omnia et singula in ea contenta condemnatae, sic ferebat: « Beato « Petro eiusque successoribus Christi vicariis, ipsique Eccle- « siae, rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, « non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potesta- « tem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo,* « et iterum: *Reddite ergo quae sunt Cesaris Caesari, et quae* « *sunt Dei Deo,* ac proinde stare apostolicum illud: *Omnis* « *anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim po-* « *testas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt;* « *itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges « ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati « Dei ordinatione subiici... directe vel indirecte... Eamque sen- « tentiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Eccle- « siae quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, « et Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam ». Ubi vides auctoritates Scripturae quae ad rem praesentem nihil at- tinent, sat temerarie produci; omitti autem eas quae vere fa- ciunt, praesertim vero illud Petro a Christo Domino dictum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* In quo intelligitur collata omnis potestas ad ovile gubernandum, ac per hoc, potestas pascendi omnes oves ut eis convenit, cogendo singulos christianos ut eo modo Deo serviant, quo secundum suum statum servire debent. Atqui debet princeps temporalis Deo servire defendendo et iuvando Ecclesiam ex iis quibus qua princeps instruitur mediis, ut ex iam dictis patet, et magis patebit ex dicendis. Ergo etiam, loquendo nunc secundum normam iuris, potest ac debet Ec-

([1]) Ita fere Suarez, *Defens. fidei,* l. 3, c. 22.

clesiae pastor iubere principibus ut suum officium adimpleant, et nisi adimpleverint, cogere per eas commodas rationes quas ratio et adiuncta temporum permiserint.

Haec sunt quae de potestate indirecta Ecclesiae supra temporales principes qua tales, certissime eruuntur ex verbis Christi Dei ac Domini nostri, dum ipsam instituendo Ecclesiam, supremum eius caput Petrum ordinabat, totius sui gregis curam ei committens. Haec sunt quae aliunde recto ordini per omnia noscuntur congruere; nam sicut aequum est, corpus animae subiici, et temporalia ad sempiterna referri, eisque subordinari, ita necessarium erat ut in Christi Ecclesia, politica potestas sacerdotali esset subiecta, ut ab ea in aeternam beatitudinem dirigeretur, et sicubi ab eo fine deflecteret, emendaretur ac corrigeretur. Haec denique sunt quae tam constanti tamque unanimi theologorum sensu semper retenta sunt, et Pontificum praesertim atque oecumenicorum etiam conciliorum usu et praxi tam solemniter firmata, ut opinio contraria, Bellarmino teste, non tam opinio quam haeresis antiqua dicenda sit.

Plus quam septuaginta auctores in medium adducit ipse Bellarminus in praefatione tractatus adversus Guglielmum Barclaium, inter quos eminent, ex Italis S. Thomas, S. Bonaventura, Aegidius Romanus, S. Antoninus, Caietanus; ex Gallis S. Bernardus, Paludanus, Durandus; ex Hispanis S. Raymundus, Turrecremata, Soto, Bannes, Valentia, Molina; ex Germanis Hugo a S. Victore, Henricus Gandavensis, Dionysius Carthusianus, Ioannes Driedo; ex Anglis Alexander Alensis, Ioannes Baconus, Thomas Waldensis, Reginaldus Polus, etc. Tum refert illustria historiae ecclesiasticae facta, nemini non cognita, et pro tanto, speciali nunc mentione non indigentia.

Quae si bene consideraveris, facile perspicies quid sentiendum de explicatione a quibusdam proxime elapsi saeculi catholicis liberalibus proposita. Qui cum non auderent directe contraire tantis auctoritatibus, et culpare pontifices tamquam de abusu vel iniqua usurpatione potestatis, dixerunt eos merito in

rebus politicis iudicium exercuisse, id tamen non in vi suae auctoritatis pontificiae, sed solum in vi iuris publici tunc vigentis in Europa, seu ratione consensus vel expressi vel taciti christianorum populorum, qui supremum moderatorem ordinis etiam politici Romanum Pontificem instituerant. Sed hoc, quam inconsiderate dictum sit, luculenter apparebit vel ex prima inspectione documentorum. Expresse enim appellant Pontifices ad potestatem ligandi quam in beato Petro acceperunt, ad auctoritatem Iesu Christi cuius vices in terra gerunt. Concilium quoque Lugdunense I, in canone *Excommunicamus,* ea auctoritate manifeste agit, quae Ecclesiae divinitus collata est ad fidei custodiam, securitatem, defensionem et praesidium. Aliunde vero, quid magis inauditum in tota retro traditione, quam ineptus ille recursus ad ius publicum medii aevi? Et dico ineptum, quia sic, ne sensum quidem amplius habet distinctio inter potestatem directam et indirectam, universaliter apud theologos receptam. Quippe, indirecta potestas in temporalia omnino non intelligitur nisi in se spiritualis, et ad temporalia sese extendens, non per se, sed per accidens, hoc est, ratione habitudinis ad spiritualia. Quod si forte ius publicum medii aevi appellare placet agnitionem et publicam professionem iuris divini evangelici in christianitate medii aevi obtinentem, sic fuit conditio ad hoc ut posset de facto exerceri indirecta illa pontificum potestas. Si autem intelligitur ius constitutum per voluntatem populorum, e quo ortum habuisset potestas ipsa, sic assertio est erronea, contra quam protestantur omnia hactenus dicta. Quibus adde, coronidis loco, bullam Bonifacii VIII, *Unam sanctam,* cuius processus hic est: Ecclesia, inquit, extra quam non est salus, una est. Unius Ecclesiae unum est caput, Christus videlicet, et Christi vicarius Petrus. In societate autem christiana requiritur duplex potestas, seu duplex gladius, temporalis et spiritualis; sed ille pro Ecclesia, hic ab Ecclesia exercendus; hic sacerdotis manu, ille manu regum et militum sub directione sacerdotis. Oportet enim gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali

subiici potestati, quia utraque potestas a Deo est; quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. Ideo, qui praedictae subordinationi resistit, Dei ordinationi resistit, nisi fingat duo esse principia, unum a quo potestas spiritualis, alterum a quo temporalis, quod manichaeum est. « Porro, subesse Romano Pontifici omni crea- « turae humanae declaramus, dicimus, definimus et pronuntia- « mus omnino esse de necessitate salutis ». In quo quidem, de iure publico medii aevi, nihil.

Itaque, omnia haec explicationum tentamina nullius valoris sunt, et nihil aliud produnt quam non sat deplorandum timorem integralis veritatis: qui proprius morbus est catholicorum liberalium. Nam cum virus principiorum Revolutionis adeo imbuerit coaevorum mentes, ut risu digna et paradoxis similia plerisque videantur theocratica illa de subordinatione politici ordinis ad religiosum principia, hinc est quod resistere non audent, et palliativa quaerunt, et putant se anteactorum temporum defensionem haud aliter suscipere posse, quam legitimando ex contingenti et mutabili iure humano, illustria illa historiae ecclesiasticae facta, quae modernis ideis ac praeiudiciis repugnant. Sed hoc est erubescere evangelium. A quo peccato immunes nos servet Deus. Ideo, in incepta via perseverando, dicendum nunc de his quae ad hactenus expositam subordinationem consequuntur.

QUAESTIO XIX.

DE HIS QUAE AD SUBORDINATIONEM CONSEQUUNTUR.

In iis quae consequuntur ad subordinationem duo occurrunt consideranda. Primum est de officiis Status erga Deum et Ecclesiam. Alterum est de conventionibus quae sub nomine concordatorum quandoque fiunt inter ecclesiasticam et civilem potestatem. Et circa primum quaeruntur quatuor: Utrum officium Status sit profiteri religionem; utrum, protegere et defendere Ecclesiam; utrum, prohibere falsos cultus; utrum, coercere perturbatores religionis et corruptores fidei, etiam, ubi opus fuerit, vi materiali adhibita. Circa secundum quaeruntur duo: Utrum concordata habeant ex parte Ecclesiae rationem privilegiorum Statui concessorum, et siquidem affirmative, utrum nihilominus sint veri nominis conventiones quae ex iustitia obligant utramque partem.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OFFICIIS STATUS ERGA DEUM ET ECCLESIAM.

Consideranda nunc veniunt quaesita priori loco recensita. In quorum discussione et resolutione supponetur primo Status constans hominibus christianis, quia profecto de infidelibus sermo

nunc esse non potest, cum infidelium ad Ecclesiam nulla subordinatio sit. Supponetur praeterea, Status constans hominibus non modo baptizatis, verum etiam catholicis, quia etsi in haereticos Ecclesia habeat eadem iura ac in suos, tamen respectu Status heterodoxi, nulla est via qua ius possit in usum et praxim deduci, ut constat. Imo tertio, supponetur Status constans hominibus catholicis, et in iis regularibus conditionibus quae intra fines christianitatis exsistebant, priusquam principia liberalismi mores publicos corrupissent. Ratio est quia, etsi officia Status in re religiosa, ab eiusmodi mutationibus quoad se minime dependeant, dependere tamen possunt quoad possibilitatem executionis. Porro ab executione officii excusat certo certius impossibilitas. Excusat, inquam, pro mensura et ratione impossibilitatis, de qua iudicium prudentiae est, ex multarum circumstantiarum aestimatione formandum, omnibusque modis extra sphaeram praesentis disputationis repositum. Quapropter, ut omni inutili et ad rem impertinenti cavillationi praecludatur aditus, aequum est supponere regulares illas conditiones quae liberum relinquunt campum expositioni principiorum, quin importuna opponatur de calamitate temporum petita exceptio.

Sed nota interim bene quod etiamsi fingeres contra omnem verosimilitudinem, conditiones istas nullibi nunc, *et ne partialiter quidem,* in mundo inveniri, adhuc non supervacanea, otiosa, aut mere platonica tibi videri deberet doctrina haec praesens, quae habet, quacumque hypothesi facta, triplicem utilitatem. Nam scopus eius est prae primis speculativus, ut appareat quid per se rectus ordo exigat. Est deinde apologeticus, ut anteactorum temporum vindicetur ratio, quando auxilio brachii saecularis utebatur Ecclesia, et reges terrae sese regni Dei defensores exhibebant. Est denique polemicus contra catholicos illos qui sub praetextu necessitatis cuius nos domini non sumus, atheismum Status non tam tolerant ac subeunt, quam laudant et approbant, grande in hoc peccatum peccantes, et duplici de causa. Primo quia, etsi irreligiositati seu indifferentiae Status

suam privatam vitam non conforment, tamen huic rei per se absurdae et vili pro parte sua consecrationem afferunt, similes illis christianis de quibus loquebatur Tertullianus, qui idola non adorantes, idola fabricabant et adoranda vendebant. Secundo quia ab Ecclesia dissentiunt, et quantum in ipsis est, consummant cladem veritatis, quae etiam oppressa, quamdiu non sine protestatione opprimitur, suum influxum suumque in mundo principatum aliqualiter servat; amittit autem, semel ac in iudicatam rem definitive transit, bonum esse id quod malum est, et iustum quod iniustum (1).

His igitur praemissis, et ut par est consideratis:

§ 1.

Quod Status officium habet profitendi religionem.

Qua in re per prius observa, nomine Status non venire nunc abstractionem quamdam, et nescio quod ens rationis separatum, exsistentiam habens in solis codicibus seu chartis con-

(1) « Le pouvoir non chrétien, n'eût-il aucune autre religion, c'est « le mal, c'est le diable, c'est la théocratie à l'envers. Si nous sommes « forcés de subir ce malheur et cette honte, le malheur et la honte « seront plus grands encore pour le monde que pour nous. Nous nous « en tirerons par la grâce de Dieu, et seuls nous en pourrons tirer le « monde. Mais provoquer, fabriquer de nos mains un gouvernement « athée par principe, donner le sacre à cette chose absurde et vile, ce « serait trahison envers le genre humain. L'humanité nous en demande « compte devant Dieu. Elle nous accuserait d'avoir éteint la « lampe, d'avoir été les complices des ténèbres où siégeait la mort. Il « me semble entendre Tertullien s'adressant au chrétien fabricateur « d'idoles: *Peux-tu prêcher un seul Dieu, toi qui en fais tant d'autres?* « *prêcher le vrai Dieu, toi qui en fais de menteurs? Je le fais, diras tu,* « *je ne les adore pas. Même est la raison qui défend de les adorer, même* « *la raison qui défend de les fabriquer; c'est des deux côtés l'offense à* « *Dieu. Mais tu les adores, toi par qui l'on peut les adorer. Tu leur es* « *plus qu'un prêtre, car c'est par toi qu'ils ont des prêtres, c'est ton tra-* « *vail qui fait leur divinité* ». Ill. lib. § 14.

stitutionum. Ens enim rationis nec subiectum iuris est, nec potest obstringi officio. Sed Status in praesenti accipitur pro iis qui principatum gerunt, qui auctoritatem exercent tam legislativam quam exsecutivam, quique tamquam potestate fungentes, civilem societatem repraesentant. Quibus duplex incumbit ordo officiorum : et secundum quod homines publici sunt, et secundum quod privati, utroque modo iudicio Dei obnoxii, iuxta memoranda illa libri Sapientiae verba in superioribus iam recitata: « Audite ergo, reges, et intelligite, discite iudices finium terrae. « Praebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis « vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino po- « testas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera « vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis mi- « nistri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem « iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Hor- « rende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum « his qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, « potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim sub- « trahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitu- « dinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, « et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem « fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones « mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis ». Sap. VI-2, et seq.

Dico ergo quod Status obligatur ad professionem religionis, et illius religionis quam Deus ipse instituit, qua ipse coli vult, quaeque in praesenti oeconomia, nulla alia est quam religio christiana catholica. Et ratio est quia dependet a Deo civitas, sicut ab eo dependet homo individuus, cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo, cuius primus auctor, conservator, rector et gubernator Deus. Ergo, sicut homo individuus, ad hoc ut debitus ordo servetur, religari debet ad Deum vinculo religionis, ita prorsus et civitas. Civitas autem qua talis non religatur Deo, nisi per hoc quod suis institutis et legibus

religionem profitetur. Ubi vides generalem nunc rationem in medium afferri subiectionis ad Deum, et dependentiae a Deo. Sed notandum quomodo ratio ista, nedum pro solis privatis hominibus valeat, potioribus adhuc titulis, iis quae ad Statum pertinent, applicatur.

Et primo quidem, quia Status nihil aliud est quam homo associatione amplificatus, in aciem communitatis instructus, et ipsa unione virium in plenam potentiam excrescens. Si ergo solus privatus homo qua talis teneretur obligatione reverentiae, adorationis, aliorumque religionis officiorum erga Deum: hoc ideo esset quia subiectio hominis ad suum Creatorem certis circumscripta foret limitibus; exsisteret ad summum ratione relativae debilitatis, relativae imperfectionis, relativae insufficientiae individui; cessaret autem, ubi humana potentia absolutam sui ordinis attingit perfectionem. Et hoc ipsum principium est ex quo vulgo dictitant, religionem convenire pueris et feminis, tenellae nimirum aetati, vel sexui debiliori; principium est exquisitae impietatis, quo nihil intolerabilius, Deo iniuriosius nihil; imo vero, principium puri putidique atheismi, quia vel Deus omnino non est, vel si est, ipse est sub quo curvantur qui portant orbem, ipse quem adorant Dominationes et tremunt Potestates.

Secundo quia Status continet multitudines et publicis rebus praesidet. Oportet autem quam maxime publicum esse cultum Dei, cuius gloriam enarrat firmamentum, cuius magnificentia elevatur super coelos, cuius admirabile est nomen in universa terra. Quomodo ergo a professione religionis eximeretur Status, a quo maxima ex parte pendet cultus publicitas, pendet publica observatio festorum, pendent publicae religionis demonstrationes? Et nos quidem, a diebus Revolutionis sic assuefacti sumus, ut regularis iam nobis videatur illa civitatis ordinatio, secundum quam absque participatione publicae potestatis adoratur Deus. Unde etiam apud multos nefandum illud praeiudicium inolevit, religionem esse rem individualem, rem privatam, rem in conscientiae latebris abscondendam, aut certe intra angustos tem-

plorum parietes studiose claudendam. Quasi non esset dignus Deus qui in lumine solis coleretur; quasi non dixisset Christus: *Praedicate super tecta,* et iterum: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.*

Tertio quia maxima est Status apud populum auctoritas, iuxta verissimum illud poetae dictum: *Regis ad exemplum totus componitur orbis; mobile mutatur semper cum principe vulgus.* Propter quod merito dixit Sapiens, Eccli. X-2: *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Re enim vera, videmus religionem vilescere in aestimatione vulgi, ubi ab eis qui in sublimitate sunt, negligitur, atque earum rerum loco reponitur, quas indignum est potentatibus dominari. Gravissima igitur obligatione tenetur Status praeire exemplo, non ponendo sua abstensione petram scandali et lapidem offensionis, omni etiam positiva persecutione peiorem (1).

(1) « L'erreur du catholicisme libéral ne pouvait venir à l'esprit « d'un homme qui aurait vécu parmi le peuple, et qui verrait les difficultés sans nombre que la vérité, surtout aujourd'hui, éprouve à « descendre et à se maintenir dans ces profondeurs où elle a besoin « de toutes les protections, mais plus particulièrement de l'exemple « d'en haut. Le peuple attache une idée de mérite intellectuel à la si« tuation, à la force, au commandement. L'inférieur se laissera difficilement persuader qu'il doit être chrétien quand son supérieur ne l'est « pas. Et le supérieur lui-même a quelque chose de cette idée, car l'élé« vation morale de son inférieur le désoblige, l'irrite, et lui devient « promptement odieuse. De là le zèle non moins ardent qu'insensé et « coupable, avec lequel tant de misérables travaillent à détruire la re« ligion dans l'âme de leurs subordonnés. Que l'Etat cesse de pratiquer « officiellement le culte, qu'il rompe, qu'il cesse de prendre part aux « cérémonies, que cela se dise et se voie: ce serait déjà une persécu« tion, et il n'y en aurait pas de plus dangereuse peut-être. On s'en « apercevrait peu immédiatement dans les villes; les riches, pendant « un temps, ne s'en apercevraient pas du tout; mais dans les campa« gnes ce serait un fait immense et désastreux. Je ne dis rien des autres « conséquences de l'athéisme de l'Etat; je me tiens aux seuls effets de

Quarto quia Status qua Status, minister est Dei, ac per hoc, obligatus Deo, non solum communi titulo creationis, verum etiam speciali ratione ministerii. *Cum essetis,* inquit Scriptura ubi supra, *ministri regni illius.* Et rursus, Rom. XIII-1 et seq.: « Non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo « ordinatae sunt... Vis autem non timere potestatem? bonum « fac, et habebis laudem ex illa: *Dei enim minister est tibi in « bonum.* Si autem malum feceris, time; non enim sine causa « gladium portat. *Dei enim minister est, vindex in iram ei qui « malum agit.* Ideo necessitate subditi estote, non solum propter « iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa « praestatis: *ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes* ». Atque hinc statim concludit Apostolus: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal,* conclusione prorsus consona illi sententiae qua iubemur in evangelio *reddere quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Ubi profecto, ea quae sunt Dei non sic opponuntur eis quae sunt Caesaris, ac si Caesar et Deus essent duo domini a se invicem independentes et ad se invicem contrapositi, uti vult monstruosa et per omnem modum absurda doctrina Manichaeorum. Sed quae Caesaris esse dicuntur, illa sunt quae sub providentia et administratione Caesaris a Deo ipso fuerunt posita, eatenus reddenda Caesari, quatenus Caesari necessaria ad sustinenda onera commissi ministerii. Quod autem Caesar non sit minister Dei eo modo quo illi qui per excellentiam tales appellari solent, videlicet non in rebus ad divinum cultum et divinam religionem pertinentibus, sed tantum in rebus inferioris ordinis, seu temporalibus: id quidem ostendit quod Caesar non magis habet administrare religionem, quam quivis de populo; minime vero facit

---

« l'exemple. Qu'on en calcule la portée dans un pays qui a été catho- « lique durant tant de siècles, et où le baudrier du gendarme com- « mence à être plus sacré pour la foule que l'étole du curé ». *Illusion libérale,* § 35.

quod non habeat observare et profiteri eam. Sicut qui praeficiuntur operibus laborantium in agris, ministri principis non sunt eodem titulo quo illi qui praeficiuntur rebus palatii. Quis tamen inde deduceret eos eximi a communibus officiis obsequii et reverentiae erga principem? Imo duplici titulo tenentur, et quia subditi, et quia ministri. Idem nunc dic de Statu, et cum proportione ratiocinare.

Omnibus ergo modis stat obligatio Status circa professionem religionis. Addendum nunc est quod etiam se extendit ad eius protectionem et defensionem.

§ 2.

Quod Status officium habet protegendi ac defendendi Ecclesiam.

Id quidem sufficienter iam constaret, si vel solius interesse Status ratio haberetur. Neminem enim non commovebit quod dicit Augustinus scribens ad Marcellinum, adversus eos qui, (quod commune erat apud paganos saeculi V), Romanae reipublicae clades in religionem christianam referebant. « Proinde, « inquit (1), qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipu- « blicae, dent exercitum talem quales doctrina Christi esse mi- « lites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales con- « iuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, « tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci « redditores et exactores, quales esse praecepit doctrina chri- « stiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; imo « vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, « salutem esse reipublicae ». Tum, veras causas aperiens ex quibus pessum ire coeperat Respublica, easque ostendens reponendas esse in abiectione omnium civilium virtutum quibus primi Romani eminuerant, et in dira nequitia quae non muros

(1) August. Epist. 138, n. 16 seq.

urbis, sed mentes ipsius civitatis omni hoste peior irruperat, subdit: « Gratias Domino Deo nostro, qui contra ista mala misit « nobis adiutorium singulare... In ista enim colluvie morum pes- « simorum et veteris perditae disciplinae, maxime venire ac sub- « venire debuit coelestis auctoritas, quae voluntariam pauper- « tatem, quae continentiam, benevolentiam, iustitiam, atque con- « cordiam, veramque pietatem persuaderet, caeterasque vitae « luminosas validasque virtutes; non tantum propter istam vitam « honestissime gerendam, nec tantum propter civitatis terrenae « concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam « sempiternam salutem, et sempiterni cuiusdam populi coelestem « divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit fides, spes, « charitas ». Haec quidem Augustinus, vergente iam in interitum quarto illo imperio quod in Danielis prophetia per tibias ferreas, pedesque partim ferreos et partim fictiles noscitur figuratum. Quid autem dicturum fuisse putas, si, quod posteriori reservabatur aetati, insignem prophetiam impletam vidisset usque in finem? Si vidisset ordinem novum, Ecclesia auctrice et institutrice, in mundo introductum; si politicum aedificium a fundamentis instauratum; si civilizationem aliam e christianitate natam, christianitate auctam, et e principiis christianismi omne id quo excellit supra antiquas civilizationes paganas derivantem? Nonne dixisset, ex iisdem causis res conservari et prosperare, ex quibus innascuntur? adeoque, ab incolumitate religionis, ab Ecclesiae influxu, eisque inimpedita per omnem modum actione, pendere quam maxime apud nos laudabile illud decus salutemque reipublicae? Sed haec omnia nunc praetermittere placet, ne forte hic quoque importunus censor accedat, ineptissime calumnians de subordinata a nobis religione ad rem politicam, et ad mutabilia atque contingentia interesse vitae huius mundi.

Itaque, altius repetendo principium, dico quod officium protegendi ac defendendi Ecclesiam nihil aliud importat quam modum serviendi Deo appropriatum conditioni eorum qui publica funguntur potestate, et ideo, ex iisdem omnino demonstratur

rationibus, quibus supra ostensum est, Statum obligari ad colendum Deum in verae religionis professione. « Quomodo ergo, « inquit Augustinus ([1]), reges Domino serviunt in timore, nisi « ea quae contra iussa Domini fiunt, religiosa severitate prohi- « bendo atque plectendo ? Aliter enim servit, quia homo est ; « aliter, quia etiam rex est : quia homo est, ei servit vivendo « fideliter ; quia vero etiam rex est, servit leges iusta praeci- « pientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. « Sicut servivit Ezechias, lucos et templa idolorum, et illa excelsa « quae contra praecepta Dei fuerant constructa destruendo, « 4 Reg. XVIII-4 ; sicut servivit Iosias, talia et ipse faciendo, « ibid. XXIII-4 ; sicut servivit rex Ninivitarum, universam civi- « tatem ad placandum Dominum compellendo, Ion. III-6 ; sicut « servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli « dando, et inimicos eius leonibus ingerendo, Dan. XIV-21 ; « sicut servivit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos a « blasphemando Deo lege terribili prohibendo, ibid. III-96. *In « hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum « ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi « reges* ».

Accedit quod auctoritas civilis tenetur procurare suis subditis temporalem felicitatem quae sit ipsorum propria, id est, quae congruat cum eorum natura, vocatione, dignitate. In hoc autem vel maxime discriminatur temporale bonum creaturae rationalis a bono bruti animalis, quod debeat habere rationem *iuvaminis* ad consecutionem beatae immortalitatis. Ergo civilis potestas officium habet procurandi talem felicitatem temporalem, non aliam, quae vel esset ultimo fini contraria, vel ad illum non iuvaret. Ergo oportet ut ita disponat ordinem civitatis per leges et instituta, qualiter congruit promovendae consecutioni salutis aeternae. Hoc autem praestare nihil aliud est quam eo fungi officio, quod aliis omnibus anteponebat magnus ille impe-

([1]) August. Epist. 185, n. 19.

rator, *gratia Dei rex, et devotus sanctae Ecclesiae defensor atque adiutor in omnibus* (1). Quibus verbis magnifice christiani principatus ratio assignatur, et forma praescribitur, consentanea prorsus iis quae praedixerat Spiritus Sanctus in Isaia, loquens ad Ecclesiam: *Et erunt reges nutritii tui, et reginae nutrices tuae: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent* (2), ac rursus: *Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob* (3).

Unde et a tempore quo inceperunt esse reges qui crederent in Christum, nunquam destiterunt Pontifices maximi monere eos de gravissima qua erga religionem tenentur obligatione.

Scribebat Caelestinus I ad imperatorem Theodosium: « Maior « vobis fidei causa debet esse, quam regni; ampliusque pro « pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam « pro omnium securitate terrarum. Subsequentur enim omnia « prospera, si primitus quae Deo sunt chariora serventur » (4). Scribebat Leo Magnus ad Leonem Augustum: « Debes incun- « ctanter advertere, regiam potestatem tibi, non ad solum mundi « regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, « ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta « defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas » (5). Scribebat Gelasius I ad imperatorem Anastasium: « Tuis certe « legibus, imperator, pateris nihil perire; Romano nomini nul- « lum admittis ingeri detrimentum. Itane verum est, princeps « egregie, qui non solum praesentia Christi beneficia, sed desi- « deras et futura, ut religioni, ut veritati, ut sinceritati catho- « licae communionis et fidei, temporibus tuis, patiaris quemquam

(1) Praef. Capitularium Caroli Magni, ubi supra.
(2) Isai. XLIX-23.
(3) Ibid. XL-16.
(4) Migne, P. L. Tom. 50, c. 511.
(5) Migne, P. L. Tom. 54, c. 1130

« inferre dispendium? Qua fiducia, rogo te, illic eius praemia « petiturus es, cuius hic damna non prohibes? » (1). Scribebat Hormisdas ad Anastasium: « Bene clementia vestra confidit, « sicut datis ad me gloriosis designavit affatibus, quod reipu- « blicae vestrae specialiter proficiat, si negotiis omnibus ortho- « doxae fidei causa praeponatur. Haec est enim, venerabilis im- « perator, de suscepto moderamine rectoris cura salubrior, ut « eius sibi favorem per opera bona conciliet, qui universum et « tribuit et regit imperium, D. N. I. C. » (2). Et Gregorius Magnus ad Mauritium: « Ad hoc enim potestas super omnes ho- « mines dominorum meorum pietati coelitus data est, ut qui « bona appetunt adiuventur, ut coelorum via largius pateat, ut « terrestre regnum coelesti regno famuletur » (3). Et Agatho ad Constantinum Pogonatum: « Nec poterit aliud simillimum inve- « niri, quod vestrae invictissimae fortitudini divinae Maiestati « commendet clementiam, quam ut repulsis a regula veritatis « errantibus, evangelicae atque apostolicae nostrae fidei ubique « illustretur et praedicetur integritas » (4). Eadem saepe inculcant Pontifices medii aevi. Eadem quoque Pontifices modernae aetatis, Benedictus XIV in Constitutione *Providas,* Leo XII in litteris apostolicis *Quo graviora,* Gregorius XVI in Encyclica *Mirari vos,* denique Pius IX in Encyclica *Quanta cura,* ubi hortatur episcopos ne omittant docere quod ex Leone Magno supra allatum est: regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium fuisse collatam.

Hinc iam ultro apparebit veritas sequentis conclusionis, videlicet:

(1) Migne. P. L. Tom. 59, c. 43.
(2) Ibid. Tom. 63, c. 374.
(3) Ibid. Tom. 77, c. 663.
(4) Ibid. Tom. 87, c. 1212.

§ 3.

Quod Status habet officium prohibendi falsos cultus, nisi vera urgeat tolerantiae necessitas.

Libertas cultuum scopus fuit quem omnibus modis impietas saeculi XVIII prosecuta est. Hanc dixerunt debere proclamari et asseri per legem in omni recte constituta societate, quia ius civibus inest ad plenam libertatem nulla auctoritate coarctandam, qua suos conceptus quoscumque, sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant. Et huic iuri vindicando intendebant philosophorum declamationes, celebresque panegyres *tolerantiae*.

Porro, *tolerantiae* nomine apud eos veniebat et venit indifferentia absoluta in materia religionis, eaque consentanea praefixis principiis: Nullam religionem esse quae potiori prae alia iure gaudere valeat; omnes esse aequaliter veras seu aequaliter falsas; superstitionum potius quam religionum vocabulo debere recenseri; ex ignorantia, vel fanatismo, vel imbecillitate mentis communem trahere originem; reliquum igitur esse ut in eodem *pantheo* collocentur, ad usum et sub altiori numine libertatis; ad Statum autem pertinere, sollicitum esse de re religiosa, non in quantum res religiosa est, sed solum in quantum ratio vel publicae tranquillitatis, vel politici interesse, vel defensionis ac custodiae *iurium hominis* in ea involvitur.

Et talis tolerantia, ut evidenter apparet, est tolerantia maxime impia. Impia in sé, quia religionem qua religio est, habet ut rem indifferentem et nullius plane negotii. Impia in suo principio, quia tota quanta fundatur in atheismo vel formali vel aequivalenti. Impia in suo scopo, quia sub apparenti specie moderationis, per summam hypocrisim prosequitur eversionem verae religionis, et ad hoc ipsum omni religioni falsae positivum favorem impertitur. Considerandum quippe est quomodo eiusmodi tolerantia suo nomini per omnia mentitur. Non enim tolerat in

Ecclesia catholica proprium illum characterem veritatis, quae partitionem non admittit, nec diminutionem, nec transactionem ullam. Non tolerat firmissimam eius in sua fide fideique confessione soliditatem. Denique non tolerat quod se unice veram, unice sanctam, unice ac necessario sub poena damnationis aeternae amplectendam contestetur. Ideo, omni ope procurandum ut deturbetur e transcendenti sede in qua eminere vult, et reipsa eminet tamquam *ipsa religio* supra fallaces religionum larvas; ac per hoc, introducendi heterodoxi cultus ubi non sunt, fovendi ubi sunt: nec alia de causa nisi ut exercita semper adstet protestatio contra exclusivismum quem sibi Catholica Ecclesia arrogat, semperque sit unde illa in oculis et existimatione vulgi promiscue habeatur tamquam una de caeteris. Hinc affectata cura cum qua legislationes novae loquuntur de *cultibus,* et de *ecclesiis,* magnam emphasim in hoc plurali ponentes. Hinc quoque affectatus zelus elargiendi quibuslibet dyscolis amplissimas ad suae religionis exercitium facilitates, dum cultus catholicus, etiam si patrius, etiam si a maioribus acceptus, etiam si antiqua possessione praevalens, omnibus possibilibus modis praepeditur, opprimitur, imo, quantum ratio politica permittit, proscribitur. Recte igitur tolerantiam dixeris quae nihil tolerat: nec veritatem quam summo odio prosequitur, nec etiam proprie loquendo falsitatem, quam positive fovet, defendit, protegit et tuetur. Tolerantiam proinde, quae ultimato resolvitur in intolerantiam, sicut ipse protestantismus, cuius plena evolutio est. Nam in quo putas reponendam esse protestantismi essentiam? In quo, quaeso, nisi in *protestando* contra unam, sanctam, catholicam et apostolicam Iesu Christi Ecclesiam? Haec eius intima natura, hoc principium, hic finis, haec tota essendi ratio. Id tibi ipsum nomen indicat, simul commonstrans quod si forte de medio tolleretur veritas contra quam protestatur, eo ipso protestantismus in nihilum relaberetur. Caetera quippe in eo accidentalia sunt, facultativa sunt, ad formam et modalitatem protestationis faciunt,

adeoque nullius per se momenti sunt (1). Et ab initio quidem, pro temporum quae tunc currebant conditione, protestabatur sub praetextu christianismi ad evangelii puritatem reducendi. Unde et nonnulla retinebat de dogmate christiano, in sua saltem praedicatione scriptisque confessionibus, salvo interim in omnibus quoad singula individua fundamentali principio liberi examinis. Venit postea philosophismus, et longius se iam progredi posse intelligens, substituit vagae religiositati Reformationis formalem atque categoricam impietatem, nomine indifferentismi seu tolerantismi decoratam. Et si discrimen quaeras, non invenies nisi in sola protestandi modalitate. Quae quidem modalitas, quoad rem, systema protestanticum ad perfectum adduxit, id est, ad logicam suam consequentiam; quoad nomen vero, turpe superaddidit mendacium. Convenit enim ibi tolerantismi nomen per meram antiphrasim, ut si diceres *parcas* derivari a *parco,* quia minime parcunt; lucum dici, quia minime lucet; bellum quia minime bellum, atque ita porro.

Nunc autem longe alius rationis est tolerantia quam aliquando licitam praesens nostra assertio enuntiat. Non ex contemptu Dei et eorum quae Dei sunt enascitur, non in eadem indifferentia omnes habet religiones, non quaerit opprimere veritatem, non fovet falsitatem et mendacium, sed *vere tolerat,* id est, *permittit* falsorum cultuum exercitium, quando adsunt rationes quae in omni rerum ordine permissionem mali cohonestant, videlicet: si alicuius boni obtinendi causa occurrat, si

(1) « Plus vous examinerez la chose, et plus vous aurez lieu de « vous convaincre que ce qu'on appelle *religion* dans plusieurs pays, « n'est que la haine du système exclusif... Un des plus grands hommes « d'état de notre siècle, et protestant par sa naissance, me disait jadis: « *sans vous* (catholiques), *nous* (protestants), *n'existerions pas.* C'était un « mot bien vrai et bien profond. Il sentait que la religion de tous les « négatifs quelconques, n'est qu'une haine contre l'affirmation. Or si l'on « vient à supprimer l'objet d'une haine, que reste-t-il? Rien ». J. de Maistre, *Lettres sur l'inquisition espagnole*, Lettre 5ème.

maioris mali vitandi. « Dicendum, inquit S. Thomas 2-2, Q. 10, « a. 11, quod humanum regimen derivatur a divino regimine, « et ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens « et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, « quae prohibere posset, ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, « vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine « humano illi qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua « bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, « sicut dicit Augustinus in l. 2 de Ordine. c. 4: *Aufer mere-* « *trices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus* ». Itaque, prima causa legitimae tolerantiae est, ne aliqua bona impediantur. Et sic videmus Pontifices Romanos nunquam eiecisse Iudaeos e terris suae temporali ditioni subiectis, nec eos prohibuisse quominus ritus suos libere observarent. Maius enim bonum ex conservatione quam ex eiectione eorum obtinebatur, siquidem ritus iudaici evangelicam veritatem figura adumbrabant, eidemque usque nunc testimonium perhibent. Nam quid aliud gens illa, ait Augustinus, nisi quaedam scrinaria baiulans Legem et Prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiae, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per litteram? Altera quoque causa est, eaque his nostris diebus longe frequentior, ne aliqua mala peiora incurrantur. Ut si, exempli gratia, sermo sit de societate dissensionibus religiosis divexata, principiis liberalismi funditus imbuta, in qua aliter provideri nequit necessitati civilium relationum, aut conservationi portionis ordinis qui adhuc est residuus. His enim in adiunctis, iam non agitur de tuendo bono pacifice possesso, nec de defendenda societate adversus gravissimum quod evitari potest malum, sed magis de non exasperanda per inutilem zelum plaga inveterata, cui ferrum chirurgi aggravationem potius afferret quam remedium. « Sic ergo, concludit S. Thomas ubi supra, quamvis in- « fideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter « aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod « malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Iudaei ritus suos

« observant in quibus olim praefigurabatur veritas fidei quam « tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostrae « habemus ab hostibus, et quasi in figura nobis repraesentatur « quod credimus. Et ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum « vero infidelium ritus qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, « non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad vitandum scanda- « lum vel dissidium quod ex hoc posset provenire, vel impedi- « mentum salutis eorum qui paulatim sic tolerati convertuntur « ad fidem. Propter hoc enim, etiam haereticorum et paganorum « ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infide- « lium multitudo ».

Verum, eiusmodi causa aliaeque consimiles sunt praeter regularem statum societatis christianae, et ideo, ut ab initio dictum est, a praesenti nostra consideratione removentur. Et tunc, quid manifestius, quidve evidentius quam obligatio principis circa heterodoxorum cultuum prohibitionem? Quod utique dico in suppositione eorum quae nunc supponenda sunt, et reipsa supponuntur. Nam si praestituatur hypothesis materialistica, si loco principii habeatur quod vita futura nihil est, quod religio non est via ad verum hominis finem, aut quod religiones omnes indifferenter ad eum ducunt: sic, nedum evidens, absurda potius, imo omni absurdo absurdior positio videbitur. Et revera, ipsa hypothesis est in qua vel expresse vel tacite semper versantur plerique adversari (1). At vero, si ex opposito stat absoluta veritas, si creatus est homo ad hunc finem ut Deum laudet, ei serviat, et per hoc salvet animam suam; si ad hanc ipsam animae aeternam necessariamque salutem una religio divinitus instituta est, unus cultus, una Ecclesia extra quam, sensu sae-

(1) « On part toujours..... de l'hypothèse du matérialisme, et les « hommes les plus raisonnables sont à la fin entraînés par le torrent, « sans qu'ils s'en aperçoivent. Si ce monde est tout, et l'autre rien, on « fait bien de faire tout pour le premier, et rien pour l'autre. Mais si « c'est tout le contraire qui est vrai, c'est aussi la maxime contraire « qu'il faut adopter » J. le Maistre, *Lettre 5ème sur l'inquisition espagnole*.

pissime iam declarato, nemo salvatur: si denique huic summo ac sempiterno hominis bono caetera cuncta subordinanda sunt, eo quod testante evangelica veritate, nihil prodest homini mundum etiam universum lucrari, animae interim suae detrimentum patiendo: qua fronte diceret quispiam, curas eorum qui publicae rei praesunt, ad artes, ad scientias, ad agriculturam, ad commercium esse exclusive referendas? Quomodo ad eos non pertineret conservare suis subditis potissimum, principale, et omnium pretiosissimum verae religionis bonum, adeoque et falsos cultus iure civitatis penitus interdicere? Siquidem bonum verae religionis per falsarum religionum exclusionem conservatur. Insuper, claudere civitatis aditum falsis religionibus, in potestate principis est, in aliorum possibilitate non est. Eadem ergo obligatione tenetur princeps denegare libertatem illam perditionis, quae dicitur conscientiae et cultuum, qua tenetur servire Deo et religioni eius. In hoc enim serviunt Deo reges in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi reges.

Quapropter, ex quo primum exitiosa libertas in societatem christianam irrepere incepit, omnibus modis, iteratisque vicibus a summis Pontificibus reprobata est et condemnata. Vide ad exemplum ea quae egit S. Pius V, cum in eo esset Maximilianus imperator, ut liberum exercitium confessionis Augustanae proceribus Austriacis concederet ([1]). Cf. etiam breve Pii VI *Quod aliquantulum,* contra civilem cleri constitutionem in Gallia.

([1]) « Cum audisset Pius Pontifex, Maximilianum in eo esse ut con-
« cessionem elargiretur, confestim Cardinalem Commendonum ad eum
« legavit, ut si in tempore posset, id impediret; si vero iam factum
« esset, apostolica auctoritate illi denuntiaret, Pontificem omnibus exse-
« crationibus ecclesiasticisque poenis in eum animadversurum..., nisi
« eiusmodi decretum illico rescidisset.... Apud quem denique Legatus
« adeo suasionibus minisque et terroribus egit, ut is haud se eam Con-
« fessionem vel permisisse vel permissurum professus sit, ac provin-
« ciales austriacos qui ob eam rem frequentes convenerant, vacuos di-
« miserit etc. » Spondanus, anno 1568, n. XXV.

Item litteras Pii VII ad episcopum Trecensem *Post tam diuturnas,* de Constitutione quam Ludovicus XVIII anno 1814 ab exilio redux publicari mandaverat. Item encyclicam Gregori XVI *Mirari vos,* cuius sententiam multis confirmat Pius IX in encyclica *Quanta cura,* et in annexo Syllabo.

At fortasse dices: Singulas quasque religiones sibi veritatem vindicare, et quia in eiusmodi dissidio iudicium penes principem civilem non est, nihil aliud remanere nisi ut ille negative se habeat, omnibus promiscue cultibus aequalem libertatem relinquendo. Sed contra est, quod eodem quoque argumento probares, esse in arbitrio uniuscuiusque positum, quam religionem amplectatur; et eos qui in materia religionis scepticos se profitentur, iure id facere propter oppositarum concertationem confessionum: quod absit omnino. Nam quantumlibet multi fuerint et sint et futuri sint qui dicere audeant hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis ad veritatem venire: adhuc tamen perspicuis manifestissimisque signis Ecclesiam suam decoravit Deus, quibus certissime ab omni falsa religione dignosceretur. Et ideo, in hoc quod dicitur non pertinere ad principem iudicium de vera religione, mera aequivocatio est. Quia si de iudicio dogmatico ex cathedra sermo sit, verum equidem est, sed non ad rem; falsum autem, imo falsissimum, si de iudicio quo de obiectiva veritate iudicatur prout oportet ad fidem non modo rationabiliter, verum etiam obligatorie tenendam, et ad ea praestanda omnia quae praesupposita fidei radice, requiruntur. Caeterum, nec de principiis iuris naturalis iudicare habet princeps iudicio doctrinali. Quis tamen adeo desipuerit, ut dicat ius naturale non esse normam quae ei ad legem iuste condendam necessario praestituitur?

Dices iterum: Societatem temporalem sola temporalia curare; quae autem conscientiae sunt, nihil ad eam pertinere. Sed huiusmodi sophisma ex praecedenter dictis facilem habet solutionem. Etenim: Temporalis societas sola temporalia curat, secundum quod concipitur ut temporalis, sistendo in puro et nudo

conceptu temporalitatis, *conc.* Secundum quod concipitur, prout revera est, tamquam hominibus constans anima immortali praeditis, quorum est ipsa temporalia in finem salutis aeternae referre, *neg.* Et licet non habeat ullo modo curare res conscientiae in foro interno, bene tamen in foro externo et civili, utique sub directione et ductu potestatis spiritualis, et debita ad eam subordinatione semper praesupposita. Unde Augustinus, duo distinguens tempora, unum in quo nondum reges Domino servierant, sed adhuc meditabantur inania adversus Dominum et adversus Christum eius, alterum in quo coepit impleri quod scriptum est: *Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei:* « Quis mente sobrius, inquit, regibus iam dicat: « Nolite curare in regno vestro a quo teneatur vel oppugnetur « Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat, in regno vestro « quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus; quibus dici non « potest, non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit pu« dicus esse, quis impudicus? Cur enim cum datum sit divinitus « homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, et sa« crilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam « Deo, quam feminam viro? aut si ea quae non contemptu, sed « ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, numquid « ideo negligenda sunt? »

Sed quid iam ad eos qui dicunt Ecclesiam habere duo pondera et duas mensuras, quia ubi ipsa dominatur, vult ut coerceantur dissidentes: ubi autem ex parte minoritatis est, non fert ut in eadem mensura qua metitur aliis, remetiatur sibi? Quid, inquam, respondendum putas, nisi quod concedenda sunt prorsus omnia, sola excepta consequentia? siquidem illud praecise in difficultatem vertitur, quod positivum nobis est veritatis argumentum. Omnino enim esse debent duo illa pondera et duae mensurae, utique pro diversitate iurium, pro differentia meritorum. Nam et duo pondera et duas mensuras tu ipse fateberis, si forte in comparationem veniant latrones cum regularis societatis magistratibus. Et dum approbas quod capiantur

et incarcerentur et etiam suspendantur latrones in civitate deprehensi, non inde, puto, tibi videbitur approbandum quod ab ipsis latronibus par pari referatur in iis in quibus dominantur regionibus. Idem dic in praesenti, et cum proportione ratiocinare. Semper enim ad idem principium reducimur, in quo totius rei summa est. Nimirum Ecclesia profitetur, unam duntaxat esse in mundo religionem a Deo institutam, eamque solam habere iura et maiestatem religionis; sectas vero caeteras esse falsas, in quibus exercentur latrocinia, non opus Dei, non salus animarum, non aeterni atque ultimi finis prosecutio. Hinc ergo duo pondera, vel duae mensurae, quas si non haberet religio catholica, eo ipso sese fateretur unam de multis, non e coelo, sed ab hominibus. Proinde positio adversariorum penitus illogica et irrationabilis est, nisi iterum uno e duobus his principiis praestabilito: aut quod omnes religiones iisdem gaudent iuribus, quia omnes aequaliter seu verae seu falsae; aut quod dignoscibile non est, quae religio vera sit, penes quam ius atque auctoritas. Primum autem principium est atheismi, alterum agnosticismi; utrumque ultra haereticum, cuius discussio non est huius loci. Ex quo etiam apparet quid sentiendum de absurda illa formula quam nobis quidam attribuunt, ponentes eam in ore catholici disputantis cum liberali: *Ubi vos in potestate estis constituti, libertatem a vobis petimus, quia vestrum principium est. Ubi nos vicissim summa rerum potimur, libertatem vobis denegamus, quia nostrum principium est* [1]. Falsum! Nam ideo petit Ecclesia libertatem, non quia principium aut suum aut adversariorum est, sed quia libertas est *verae* religionis strictum atque inalienabile ius. Ideo denegandam per se loquendo, aliis esse dicit, quia religiones falsae eodem loco censeri debent, quo pestis in civitate. Et non refert quod multi eorum qui falsam profitentur religionem, existiment illam esse veram. Quid enim,

[1] Quand vous êtes au pouvoir, nous vous demandons la liberté, parce que c'est votre principe. Quand nous y sommes, nous vous la refusons, parce que c'est le nôtre.

quaeso, ad rem? Siquidem bona fides excusat a formali peccato, non tribuit errori iura quae sunt solius veritatis. Haec igitur sunt congeries sophismatum, praetereaque nihil.

Nec solidiora, imo adhuc magis inania inveniuntur illa adeo decantata axiomata circa libertatem cogitandi et imprescriptibilia iura conscientiae. Fundantur enim in falsa notione libertatis, in falsa notione ordinis publici, in falsa notione potestatis coercitivae.

In falsa notione libertatis. De qua re iam plura diximus, ubi de errore liberalismi et multiplicibus formis eius. Libertatem quippe adstruunt tamquam intangibilem, quam restringere nefas, et pene sacrilegum, nescientes scilicet distinguere inter id quod est de ratione libertatis, et id quod pertinet ad defectum eius. Nam, « liberum arbitrium quamvis possit in bonum « et malum, tamen per se in bonum ordinatum est, et ideo « illud quod impedit ipsum a bono simpliciter impeditivum « ipsius est, et propter hoc, libertas ab eo quod impedit a bono, « *simpliciter libertas* dicitur » (1). At « posse eligere malum, « consequitur liberum arbitrium secundum quod est in natura « creata possibili ad defectum (2). Est conditio voluntatis defi- « cientis in quantum est ex nihilo (3) ». Et rursus: « Quod li- « berum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, « hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quod eligat « aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum « libertatis » (4). Denique: « Non pertinet ad rationem alicuius « potentiae quod deficiat in suo actu, sicut non pertinet ad ra- « tionem visivae potentiae quod obscure videat » (5). Unde manifestum est quod perfectio libertatis, nedum excludat, appellat potius repagula quibus contineatur in bono, et impediatur a

(1) S. Thom. in II, D. 25, Q. 1, a. 1.
(2) De Verit. Q. 24, a. 3.
(3) In I, D. 42, a. 1.
(4) In 1ª P. Q. 62, a. 8.
(5) De Malo, Q. 16, a. 5.

malo quod corruptio eius est. Proclamare autem ius ad libertatem illimitatam et nullo ligamine constringendam, in toto ambitu eorum ad quae libido humana sese potest extendere, quid aliud, quaeso, quam merum deliramentum? Et ut exemplum de ordine politico sumam, quis unquam sanae mentis absolutam potuit revindicare ab omni coactione immunitatem? Sed aliud est libertas absoluta, aliud sunt certae libertates, utique definitae et circumscriptae. Libertas in hoc, tolerantia circa illud: esto. Hoc et illud subiicientur examini, concedique poterit aut debebit tolerantia vel libertas, quia circa hoc, quia circa illud; minime vero, ratione intangibilitatis libertatis in se, quasi esset ponenda humana libertas in fundamentalem aedificii petram, et erigenda in principium a quo caetera cuncta dependeant.

Id sane aliqua saltem ex parte concedere debebunt adversarii, si modo perspiciant evidentem manifestamque necessitatem frenandi individualem libertatem in humanis societatibus. Sed statim excipient, nullam esse conclusionem in praesenti: Singula siquidem singulis principiis esse referenda; ex hoc quod homo ius non habet ad libertatem quam perditionis appellare placet, non esse consequens ut potestati temporali officium competat sese in rebus conscientiae intromittendi; extra providentiam Status esse id quod ordinem publicum non turbat; denique ad ordinem publicum nihil attinere exercitium quorumlibet cultuum, praedicationem quarumlibet doctrinarum, et ut uno dicatur verbo, quidquid medium morale audit, non violentiae, sed solius suasionis adminicula quaerens. Haec quidem illi, putantes se aliquid dicere. Nisi quod, haec dicendo, et de ordine publico et de officio potestatis quae ei praeest, falsam se notionem habere ostendunt, non secus ac de libertate.

Et primo quidem, etiamsi concedi posset, ordinem publicum in sola materiali tranquillitate consistere, adhuc locus esset, puto, distinguendi inter causas et effectus. Non enim ense et ferro omnes ordinis etiam pure materialis destructores pugnant, sed peiores destructiones oriuntur e sophismatibus pseudo-sapien-

tum et fanatismo pseudo-apostolorum. Quid ergo? Totum esset in violentia effectuum? Causae autem et principia, nihil? Cumulus ignorantiae, caecitatis, et frivolitatis. Porro, si ordo publicus, etiam ad minimos hos terminos reductus, sufficienter servari et protegi nequit, nisi cum aliqua coercitione licentiae publice opinandi, quomodo careret societas potestate id praestandi, quod ad sui conservationem constat esse necessarium? (1).

At quis iam feret, ordinem publicum dici secundum solam absentiam tumultuum, vel praepotentiae violentorum in civitate? Materialistica siquidem haec conceptio est, quae ad bruta quoque animalia transferri eadem ratione posset, si forte contingeret verificari ad litteram quod scriptum est: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas.* Nunc autem paulo maiora canamus, transcendendo tantisper vulgarem cogitationem censervatorum, qui si quiete gaudeant, et materiali tranquillitate, nullo alio se indigere profitentur. Quia ordo in civitate politica, est ordo ad bonum quod *homo qua*

(1) « Si une éducation plus soignée, l'habitude d'une vie séden-« taire, le goût de la retraite, une constitution physique presque tou-« jours faible ou usée par l'étude, éloignent le savant des passions ora-« geuses qui troubleraient sa tranquillité, il n'en est que plus disposé « aux passions calmes et froides..., aux passions de l'esprit, à l'orgueil, « source de tous les désordres de la société et de tous les malheurs « de l'espèce humaine. Les hommes ne deviennent pas meilleurs, ni « plus maîtres de leurs passions en devenant plus forts. Au contraire, « la passion de dominer s'accroît avec les moyens de la satisfaire, et « cette passion dans le savant et l'homme fort est la même dans son « objet, et ne diffère que par les moyens. Les savants ont la passion « de dominer par leurs opinions ou par l'esprit, comme les forts ont « la passion de dominer par le corps ou par la force, et c'est parce « qu'il y a quelques savants qui veulent dominer par la supériorité de « leur esprit sur la faiblesse morale des autres hommes, qu'une intel-« ligence, un esprit général, pouvoir de la société des intelligences, est « nécessaire pour dominer les esprits particuliers ». Bonald, *Observations sur un ouvrage posthume de Condorcet.*

homo pro fine habet, omnia intelligendo iuxta ea quae praemissa sunt in quaestione praecedenti. Quae si prae oculis habeas, facile perspicies quod quidquid publice contradicit verae religioni seu verae fidei et bonis moribus, ordini quoque publico apprime contrarium est, et pro tanto cadit sub actione coercitiva publicae potestatis. Ergone, inquies, Statum constituemus iudicem eorum quae religioni et fidei vel conveniunt vel repugnant? Non sequitur. Sed sequitur tantum quod in negotio coercendi publicos religionis perturbatores, oportet gladium esse sub gladio, gladium Caesaris sub gladio Pontificis, et potestatem politicam tamquam brachium subiici tamquam capiti potestati spirituali (1).

(1) « La société chrétienne dans l'état normal, se maintient et s'é-« tend au moyen de deux forces qui doivent être distinctes non sépa-« rées, unies non confondues, subordonnées non égales. L'une est la « tête, l'autre le bras; l'une est la parole suprême et souveraine du « Pontife, l'autre la puissance sociale. La société chrétienne étant pre-« mièrement et avant tout chrétienne, soumet tout à cette première loi, « et elle met toutes choses en leur place, parce qu'elle met d'abord à « sa place son seul vrai Seigneur et Maître, Jésus-Christ. Elle le met « à sa place souveraine dans la société, comme tous les fidèles le met-« tent à sa place souveraine dans les âmes, et de là naissent l'ordre, « la liberté, l'unité, la grandeur, la justice, l'empire, la paix. Ainsi, à « travers et malgré les déchirements suscités par les passions de l'in-« firmité humaine, se forma dans sa variété magnifique cette commu-« nauté de l'Europe qu'on put appeler la République, ou même la Fa-« mille chrétienne; œuvre merveilleuse, brisée par l'hérésie lorsque la « paix intérieure et le progrès des arts lui promettaient la gloire d'é-« tendre au genre humain tout entier le bienfait de la Rédemption.... « Ces deux pouvoirs unis, distincts et subordonnés, par lesquels la so-« ciété chrétienne se régit, c'est ce qu'on appelle les deux glaives. La « mansuétude du Christ a voulu deux glaives, pour que la répression « tombât plus tardive et pût être prévenue. Le premier glaive, celui « qui ne déchire que les ténèbres, demeure au pouvoir patient et in-« failliblement éclairé du Pontife. L'autre, le glaive matériel, est dans « la main du représentant de la société, et afin qu'il n'erre pas, il doit « obéir au commandement du Pontife. C'est le Pontife qui le fait sortir « du fourreau, et qui l'y fait rentrer. Son office est de réprimer l'er-

§ 1.

Quod recte ad protegendam religionem, et ad coercendos eius perturbatores vis materialis adhibetur. Et quod eiusmodi officium regulariter ad Statum pertinet, cui propterea in Christianis societatibus, brachii saecularis nomen iure meritoque inditum est.

Vis materialis nomine nunc venit omnis coactio corporalis quae aut actu exercetur, aut per legem intimatur contra transgressores exercenda. Et habet duplicem modum. Unum aliquatenus negativum, quo quis vi impeditur libere facere quod facere vellet, ut si exempli causa impediantur haeretici quominus templa aedificent, conventicula agant, libros edant, etc. Alterum omnino positivum, quo positiva etiam poena pro delicto statuitur, sicut saeculo quinto, per leges imperatorias, adversus sacrificia paganorum capitale supplicium fuerat constitutum (1), et adversus haereticos omnes: *Ut quisquis eorum episcopus vel clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri mulctaretur* (2). Porro, de primo modo coactionis, vi materiali ubi opus fuerit adhibita, quaestio nobis amplius esse non potest, quia vel falsa ea omnia sunt quae hactenus dicta, vel evidenter iam constat, hunc modum esse non modo legitimum, verum etiam per se loquendo, iure divino naturali praescriptum. Dubium ergo restringitur ad aliam illam rationem coactionis quam omnium regnorum christianorum legislatio sanxit, ab imperatore Theodosio

---

« reur agressive une fois définie et condamnée, de la lier, de l'abattre, « de donner protection à la vérité, soit qu'elle ait besoin de se dé- « fendre, soit qu'elle se trouve dans la nécessité d'attaquer à son tour. « La main séculière doit faire passage à la vérité, assurer la liberté de « ses enseignements, garder au loin la vie de ses ambassadeurs et de « ses ministres ». Veuillot, *Illusion libérale*, § IX-X.

(1) August. epist. 93, n. 10.

(2) August. epist. 185, n. 25.

usque ad pactum Westphalicum, a quo computantur prima initia Revolutionis.

Et Augustini quidem aliquando sententia fuerat, non esse omnino cum haereticis seu perturbatoribus religionis vi agendum, sed sola persuasione. « Antequam, inquit ([1]), istae leges « (contra Donatistas ab imperatoribus latae) in Africam mitte- « rentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus et ego eram, « non esse petendum ab imperatoribus ut ipsam haeresim iube- « rent omnino non esse, poenam constituendo eis qui in illa esse « voluissent, sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas vio- « lentias non paterentur qui veritatem catholicam vel praedica- « rent loquendo, vel legerent constituendo... Ita enim existima- « bamus, posse libere doceri et teneri catholicam veritatem, ut « ad eam cogeretur nemo, sed eam qui sine formidine vellet, « sequeretur, ne falsos et simulatores catholicos haberemus. Et « quamvis aliis fratribus aliud videretur iam aetate gravioribus, « vel multarum civitatum et locorum exempla cernentibus,... « obtinuimus tamen ut illud potius quod dixi, ab imperatoribus « peteretur: decretum est in concilio nostro, legati ad Comita- « tum missi sunt ». Et hoc idem rursus testatur ipse Augustinus, epist. 93 ad Vincentium Donatistam, n. 17 inquiens: « Mea « primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi « esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, « ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus quos apertos « haereticos noveramus ». Sed statim subdit, hanc suam opinionem non tam contradicentium verbis, quam demonstrantium superatam fuisse exemplis, et ideo, cito se mutasse sententiam, cernendo suis oculis salubres effectus quos imperialium legum terror habuerat in Africa. Narrat enim quomodo illi praecipue qui prius quaerebant occasionem, aut saevitiam furentium haereticorum metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt. Quomodo etiam, multi qui sola

([1]) August. epist. 185, ad Bonifacium Comitem, n. 25.

illic a parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa haeresis haberet nunquam antea cogitaverant, nunquam quaerere et considerare voluerant, mox ubi coeperunt advertere, et nihil in ea dignum invenire propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultae catholici facti sunt: docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Quomodo denique, istorum omnium praecedentium auctoritatem et persuasionem secuti sunt plurimi, qui minus idonei erant per seipsos intelligere quid distaret inter Donatistarum errorem et catholicam veritatem. Haec late Augustinus in duabus ad Vincentium Donatistam et ad Bonifacium Comitem epistolis. Ex quibus exemplis facile intelligere datur quod etsi legum humanarum terror, et poenae ex legum praescripto inflictae, nusquam esse possint media directa ad ea quae sunt religionis, bene tamen *media indirecta,* eaque in societatibus christianis necessaria, ad removenda scilicet multiplicis generis impedimenta.

Sane vero, fini Ecclesiae seu saluti animarum, quam maximo impedimento sunt haereses quae serpunt ut cancer, magistrique impietatis qui qua voce qua scriptis corrumpunt fidem, et teneras praesertim iuventutis mentes (quod horrendum sceleris genus est), venenatis suis doctrinis imbuunt ac praeoccupant. Et ad tale ac tantum malum vel praecavendum vel de medio tollendum, quodnam tandem satis efficax medium nisi leges quae in medio aevo vigebant contra haereticos eorumque fautores? Severae quidem leges, sed salubres, sed tutelares, sed protectrices simplicium et inermium adversus peiores homicidas, ac per hoc, aequitatis ac iustitiae regulae summopere conformes ([1]).

([1]) Hic nota quod ipsa per se gravitas haereseos satis est ad legitimandas severas leges per saeculares principes olim latas contra haereticos in iudicio Ecclesiae convictos. Sed illud quoque, e conspectu apologetico minime praetereundum, quod haereses semper fuerunt maxime turbulentae, et fecundae parentes cruentarum factionum. Horrendos excessus Arianorum saeculo IV, Donatistarum tempore Augustini,

Aliud quoque impedimentum est tyrannis quam impietas exercere solet, ubicumque incipit dominari: iniusto metu, iniqua oppressione, omnimodisque vexationibus a Dei cultu et omni praxi religiosa deterrens. Quot enim sunt qui usque nunc, simile quid patiuntur ac illi de quibus loquebatur Augustinus: quotidie confitentes quod iam olim volebant esse catholici, sed inter eos habitabant, inter quos id quod volebant, esse non poterant per infirmitatem timoris, ne praepotentes illos facerent sibi inimicos: ubi si unum verbum pro Catholica dicerent, et ipsi et domus eorum funditus everterentur. « Et quis est tam « demens, subdit idem ipse Augustinus, qui neget istis debuisse « per iussa imperialia subveniri, ut de tanto eruerentur malo, « dum illi quos timebant timere coguntur, et eodem timore aut « etiam ipsi corriguntur, aut certe cum se correctos esse con- « fingunt, correctis parcunt, à quibus antea timebantur? » (1).

Est et tertium impedimentorum genus, ad quorum remotionem, severiorum legum timor valere potest: eorum scilicet quae non iam extrinsecus circumstant, sed intrinsecus etiam sub

---

Albigensium, Waldensium, Hussitarum in medio aevo, Protestantium denique saeculo XVI et XVII, quis ignorare potest? Unde universaliter valet quod in defensionem Inquisitionis hispanicae scribit Iosephus de Maistre, hispanum quemdam sic loquentem inducens: « Nos législa- « teurs regardaient d'en haut, et voyaient l'ensemble. Au commence- « ment du 16ème siècle, ils virent pour ainsi dire *fumer* l'Europe. Pour « se soustraire à l'incendie général, ils employèrent l'Inquisition, qui « est le moyen politique dont ils se servirent pour maintenir l'unité « religieuse et prévenir les guerres de religion. Vous n'avez rien ima- « giné de pareil; examinons les suites, je récuse tout autre juge que « l'expérience. Voyez la guerre de 30 ans allumée par les arguments « de Luther, les excès inouïs des Anabaptistes et des Paysans, les « guerres civiles de France, d'Angleterre et des Flandres, le massacre « de la S. Barthélémy, le massacre des Cévennes, l'assassinat de Marie « Stuart, de Henri III, de Henri IV, de Charles I, du prince d'Orange, « etc. etc. Un vaisseau flotterait sur le sang que vos novateurs ont fait « répandre, l'Inquisition n'aurait versé que le leur ».

(1) August. epist. 185, n. 13.

gravi iugo erroris vel irreligionis animos hominum alligant. Non quod timor poenae quae ab hominibus est, inter motiva seu principia conversionis ad Deum computetur, sed quia id quod directe ad conversionem non facit, indirecte, id est per modum causae occasionalis vel removentis prohibens, quandoque facit. Unde Concilium Lateranense III, can. 27, dicit quod *ecclesiastica disciplina catholicorum principum constitutionibus adiuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium.* Contingit enim, hominem timendo quod pati non vult, vel relinquere impedientem animositatem, vel ignoratam compelli cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quaerat verum quod nesciebat, et volens teneat iam quod nolebat. « Me-
« lius est quidem (quis dubitaverit), ad Deum colendum doctrina
« homines duci, quam poenae timore vel dolore compelli; sed
« non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negli-
« gendi sunt. Multis enim profuit, quod experimentis probavi-
« mus et probamus, prius timore vel dolore cogi, ut postea pos-
« sent doceri, aut quod verbis iam didicerant opere sectari.
« Proponunt nobis quidam sententiam cuiusdam saecularis aucto-
« ris qui dixit: *Pudore et liberalitate liberos retinere, satius esse*
« *credo, quam metu.* Hoc quidem verum est, sed sicut meliores
« sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor....
« Porro autem Scriptura divina dicit, non solum servum, sed
« etiam filium indisciplinatum plagis esse coercendum, et magno
« fructu, nam: *Tu quidem,* inquit, *percutis eum virga, animam*
« *vero eius liberabis a morte* (Prov. XXIII-14). Et alibi dicit:
« *Qui parcit baculo, odit filium suum* (XIII-24). Da enim qui
« recta fide veroque intellectu, totis animae suae viribus dicat:
« *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam, et appa-*
« *rebo ante faciem Dei?* et huic tali, non solum temporalium
« poenarum, vel imperialium legum, sed nec gehennarum timor
« est necessarius, cui tam desiderabile bonum est adhaerere Deo...
« Sed tamen antequam dicant boni filii: *Concupiscentiam habe-*

« *mus dissolvi, et esse cum Christo,* multi prius, tamquam servi « mali et quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum « temporalium flagellorum verbere revocantur » (1). At enim, inquies, pluribus non profuit ista disciplina; quae etiam pro impossibili, absurda, et risu digna, nostris iam temporibus est habenda. Esto. Verumtamen, non ideo negligenda *tunc* fuit medicina, quia nonnullorum erat, et *nunc* est, insanabilis pestilentia; praeterquam quod, etiam dum contingebat incorrigibiles haereticos nec metu nec poena flecti, imo peiores obstinatioresque evadere, semper remanebat causa potior ac vere principalis, consulendi nempe incolumitati ac securitati communitatis, et feroci bestiae haereseos auferendi dentes et ungues, ut sin minus mansueta, at certe impotens fieret ad saeviendum.

Quid contra has rationes rationabiliter opponere valeant ii qui fundamentalia christianae doctrinae principia vera esse nobiscum credunt et profitentur (cum aliis enim nulla nunc nobis concertatio), omnino non apparet.

Nam quod quidam eorum dicunt, verae religionis esse martyres habere, non facere, quasi martyres faceremus eos quos dicimus coercendos haereticos, revera nihil est. Martyr quippe ille dicitur, sicut ipsum vocabulum indicat, qui testimonium reddit usque ad sanguinis effusionem, de veritate facti; et quidem in casu, de veritate factorum quibus religionis nostrae veritas comprobatur. Ideoque, martyres per excellentiam fuerunt apostoli et primi discipuli, qui testes occubuerunt miraculorum et doctrinae Christi, testes resurrectionis eius, testes denique eorum omnium quae viderant, quae perspexerant, quae manibus suis contrectaverant de Verbo vitae; caeteri vero post ipsos, eatenus martyres, quatenus in continuitate et solidaritate unius Ecclesiae apostolicae, idem testimonium per saeculorum decursum prolongaverunt. At haereticus, quaeso, cuiusnam rei testis esse potest, nisi sui privati sensus, privatae opinionis, privati-

(1) August. epist. 185, n. 21.

que, iudiciine dicam, an illuminismi? (1). Quod si placeat martyres appellare eos qui utcumque persecutionem patiuntur, animadvertant adversarii quomodo in evangelio, non ii praecise qui patiuntur persecutionem, sed qui propter iustitiam patiuntur, beatificantur. « Non ergo, qui propter iniquitatem, et pro-« pter christianae unitatis impiam divisionem, sed qui propter « iustitiam patiuntur, hi martyres veri sunt », inquit Augustinus (2). Neque enim poena martyrem facit, sed causa. Alioquin, si poena sufficit, ipsi quoque homicidae et latrones, martyrum numero accensendi. Denique: « Tres cruces in loco uno erant: « in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media « Christus alterum liberaturus et alterum damnaturus: quid si-« milius istis crucibus? quid dissimilius istis pendentibus? » (3). Absit itaque ut martyres ii fieri dicantur, quos iustarum legum vel metus coercet, vel affligit rigor.

Ergone, subsument, vi etiam et violentia propaganda religio Christi? abeundumque iam in Mahumetis disciplinam, cui pro praedicatione et persuasione terror armorum erat? Sed qui hanc conclusionem ex praemissis eruere volunt, statum quaestionis aut penitus ignorant, aut affectant ignorare. Neque enim nunc agitur de propaganda religione Christi, sed, quod longe diversum est, de defendenda societate christiana adversus suos perturbatores, suaeque fidei corruptores, quos omnes omnimode coercendos ipsa utique naturalis aequitatis regula dictat. Quod

(1) « Je crois, dit Pascal, des témoins qui se font égorger. Rien « de plus vrai; mais Pascal n'a voulu parler que des apôtres ou des « premiers disciples,... morts pour attester la vérité d'un fait dont ils « avaient été les *témoins*. Rien de semblable ne s'est vu dans la reli-« gion idolâtre, ni dans aucune secte de la religion juive ou chrétienne; « et l'on n'a jamais entendu dire que personne soit mort pour attester « qu'il avait vu les métamorphoses de Jupiter, les conversations de « Mahomet avec l'ange Gabriel, ou les disputes de Luther avec le « diable ». Bonald, *Théorie du pouvoir*, l. 6, c. 4.

(2) August. epist. 185, n. 9.

(3) August. epist. 93, n. 7.

si ulterius, non ad solam fidelium protectionem, verum etiam ad ipsorum errantium correctionem, bene et recte vim materialem fatemur adhiberi: id certe, non sine discretione, tum personarum cogendarum, tum modi cogendi. Quia non quoslibet *sic* cogi posse asserimus: non infideles, non paganos, non baptismali charactere carentes, utpote sub Ecclesiae correctione minime positos, sed eos solos *qui quandoque fidem susceperunt, sicut haeretici et quicumque apostatae, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt* (1). Nec etiam quemlibet cogendi modum uti legitimum defendimus, sed qui natus sit pro variis locorum et temporum circumstantiis, ad veram conversionem cordis coadiuvare, omnia intelligendo iuxta ea quae fuerunt superius exposita. Et eiusmodi coactio, nedum sit evangelio contraria, in evangelio potius commendatur et iubetur. Huc enim pertinet quod Dominus, Luc. XIV-22, ad magnam coenam suam prius adduci iubet convivas, postea cogi. « Nam cum ei servi sui « respondissent, *Domine, factum est quod iussisti, et adhuc est « locus: Exite,* inquit, *in vias et sepes, et quoscumque inveneritis « cogite intrare.* In illis ergo qui leniter primo adducti sunt, « completa est prior (ad fidem vocatio); in istis autem qui co- « guntur, (rebellio) coercetur. Nam quid est, *cogite intrare,* cum « primo dictum esset, *adducite,* et responsum esset, *factum est « quod iussisti, et adhuc est locus?* Si miraculorum terroribus co- « gendos voluisset intelligi, magis ad eos qui prius vocati sunt « miracula multa facta sunt,... ut si talibus cogi iuberentur, prio- « res convivae coacti esse merito crederentur. Quapropter, si « potestate quam per religionem ac fidem regum, tempore quo « debuit, divino munere accepit Ecclesia, hi qui inveniuntur in « viis et in sepibus, i. e. haeresibus et schismatibus, coguntur « intrare: non quia coguntur reprehendant, sed quo coguntur, « attendant. Convivium Domini, unitas est corporis Christi, non « solum in sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis » (2).

(1) S. Thom. 2-2, Q. 10, a. 8.

(2) Aug. epist. 185, n. 24.

Haec sunt quae multo melius, multoque certius de evangelio afferuntur, quam quae obiiciunt quidam adversarii ex parabola zizaniorum, ubi servis patrisfamilias interrogantibus: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo; unde ergo habet zizania?... Vis, et colligimus ea?* paterfamilias respondet: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Ista, inquam, obiiciunt, quasi sensus parabolae esset, debere nos sinere ut haeretici libere agant, libere praedicent, libere dogmatizent usque ad iudicii tempus, in quo demum a Deo pro suis meritis damnabuntur. Sed frustra.

Considerandum enim est primo, quod non laude sed reprehensione potius digni exhibentur homines parabolae, quibus dormientibus, inimicus homo venit ad superseminandum malum semen: *Cum autem dormirent homines,* id est, negligentius agerent praepositi Ecclesiae, *venit inimicus eius, et superseminavit zizania.* Considerandum est secundo, quod cum de zizaniis iam natis iamque crescentibus sermo est, non absolute prohibet paterfamilias ea evelli, sed ne forte simul eradicetur et triticum. Tunc ergo ex sententia illius, evellenda non sunt, cum periculum est eradicationis tritici, ita ut si hoc periculum non esset, sed potius esset periculum ne si non evellerentur, triticum laederent, mature forent evellenda, mature comburenda. Super omnia autem considerandum est tertio, quod parabola non agit de iis quae humanae providentiae subsunt, formaliter in quantum huiusmodi, sed tota versatur circa altiores providentiae divinae rationes et vias. Intendit enim Christus docere nos, in finem usque fore in mundo homines malos pessimarum doctrinarum seminatores, quos ipse tolerabit, quamvis sit omnipotens et bonus, nec sinet statim auferri, idque propter intentum finem salutis electorum, qui per triticum significantur. Nunc autem, etsi regimen humanum derivetur a regimine divino, ipsumque

debeat imitari, adhuc tamen multa sunt quae rectissime tolerat Deus, et non recte tolerat homo. Non quod regula, formaliter loquendo, diversa sit, sed quia diversimode applicatur, pro diversa conditione universalis provisoris, et particularis. Nam aliquid quod bonum est secundum relationem ad finem quem universalis provisor intendit, potest non esse bonum secundum relationem ad finem quem curare habet provisor particularis, aut e converso, ut docet S. Thomas, 1-2, Q. 19, a. 10; ubi etiam praeclare explicat quomodo non in idem semper coincidat id quod Deus vult, et id quod vult nos velle. Quare parabola in medium adducta revera non est ad rem, et quacumque hypothesi facta, nullam habet aut habere potest in praesenti consequentiam.

Sic igitur dicendum quod recte ad protegendam religionem, ad coercendos eius perturbatores, generatimque loquendo, ad removenda impedimenta finis spiritualis, vis materialis adhibetur; imo vero, quod nullus esse potest nobilior eius usus (1). Porro

(1) « Les chrétiens ont pris à la société paienne ses armes et ses « temples pour les transformer, non pour les détruire. Du temple ils « ont expulsé l'idole. A la force ils ont imposé le droit. Cette folle « pensée d'anéantir la force ne leur est même pas venue. La force se « laisse déplacer, se laisse discipliner, se laisse sanctifier: qui se « flattera de l'anéantir, et pourquoi donc l'anéantir? Elle est une très « bonne chose; elle est un don de Dieu, un caractère de Dieu. *Ego « sum fortissimus Deus patris tui*, Gen. XLVI-3.... De ce fer qu'il « ôtait à la force barbare, le christianisme a fait des cuirasses pour « les faibles, de nobles épées dont il a armé le droit. La force aux « mains de l'Eglise est la force du droit, et nous ne voulons pas que le « droit demeure sans force. La force à sa place et faisant son office, « voilà l'état régulier.... Il faudrait donner avec joie tout notre sang « pour remettre la force dans son rôle légitime, pour l'attacher au « seul service du droit. La force doit protéger, affermir, venger le « plus grand, le plus illustre, le plus nécessaire droit de l'homme, qui est « de connaître et de servir Dieu; elle doit mettre l'Eglise à même de « dispenser ce droit à tout homme su la terre. N'abandonnons pas cette « vérité que le catholicisme libéral jette et noie dans le courant, avec « tant d'autres ». Veuillot, *Illusion libérale*, § XVIII.

vis materialis computatur inter media societatis temporalis, Insuper, societas temporalis famulari debet Ecclesiae praestando de iis quae sibi propria sunt, quidquid requiri potest in ordine ad ultimum finem beatitudinis aeternae, ut in Quaestione praecedenti demonstratum est. Ergo, a primo ad ultimum, vere competit Statui officium, quod in nomine *brachii saecularis* expressum, omnia saecula christiana concorditer agnoverunt.

ARTICULUS SECUNDUS

DE CONCORDATIS

Prima causa quae originem dedit concordatis, fuit decrementum fidei, et consequens diminutio vel etiam abiectio principiorum quae circa habitudinem Status ad Ecclesiam hactenus exposita sunt. Nam certe, si Status civilis talem se exhiberet, qualem oporteret ipsum esse secundum ordinatissimam Dei institutionem, defensorem scilicet et adiutorem Ecclesiae in sublimi munere quod habet, ducendi homines ad ultimum aeternae beatitudinis finem: intelligeret profecto, suarum partium esse, coordinare in omnibus proprias leges ad legislationem ecclesiasticam, ita scilicet ut in tuto semper remaneret necessaria harmonia ambarum potestatum. Haec quippe harmonia habet sufficiens sui principium in indirecta subordinatione unius potestatis ad alteram; quae subordinatio *ex natura rei* existens (uti superius demonstravimus), si ut par est agnoscatur, et exacte servetur, nihil ultra requiritur. Neque enim opus est specialibus concordiae pactis, quamdiu perseverare supponitur concordia illa regularis quam praestituit ac sancit ipsum ius naturale vel quasi naturale.

At, ex quo coeperunt infirmari apud nos principia quae in medio aevo fundamento fuerant splendido illi *christianitatis* aedificio, hoc est, a temporibus magni schismatis occidentalis saeculo XIV exeunte et XV ineunte, paulatim quoque consueverunt principes et gubernia, plus minus habere Ecclesiam, non iam ut matrem, sed ut aemulam potius et collateralem, imo extraneam, ne dicam inimicam potestatem. Inde simultates et conflictus, et quidem cum gravi detrimento ecclesiasticae disciplinae, necnon et pacis ac tranquillitatis ipsius civilis societatis; quibus etiam, propter rationem mox dictam, finis imponi non poterat, sicut saeculo XI in querela investiturarum, per plenam victoriam iuris supra iniustas imperii usurpationes. Veniendum

igitur fuit ad certas conventiones, per quas, mediantibus quibusdam concessionibus factis, obtineret Ecclesia, aut omnium iurium suorum recognitionem, aut saltem aliquorum; ad minus, libertatem et aliqualem Status protectionem. Et huiusmodi conventiones sunt, quae *Concordata* dicuntur. Antiquiora fuerunt, tum concordatum germanicum, inter Nicolaum V et Fredericum III, anno 1447, ad tollendas dissensiones obortas sive ob nominationes ad beneficia, sive ob ius annatarum; tum concordatum gallicum, inter Leonem X et Franciscum I, anno 1516, ad abolendam pragmaticam sanctionem, virtualiter schismaticam, et imbutam omnibus principiis quae in concilio Basileensi praevaluerant. Caetera sunt multo recentioris aetatis, a saeculo XVIII et deinceps. Distinguuntur a prioribus, tum amplitudine concessionum quas pro crescente malignitate temporum facere debuit Ecclesia, tum praesertim numero et frequentia. Vix enim nunc gubernium est cum sancta Sede apostolica communicationem habens, cum quo etiam speciale concordatum initum non fuerit. Atque hinc demum factum est ut ius commune Ecclesiae fere ubique cesserit iuri concordatitio.

Nunc autem circa concordata in genere duplex quaestio exoritur. Prima: utrum ex parte Ecclesiae rationem habeant concessionis privilegiorum. Altera: utrum nihilominus sint veri nominis pacta seu contractus, quorum ultro citroque constat obligatio, cuiusmodi ea plane sunt quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Ad quaesitorum solutionem, duas sequentes ponimus conclusiones.

§ 1.

Quod spectata materia concordatorum, dicendum est ea constare concessionibus privilegiorum ex parte Ecclesiae seu Pontificis, sponsione vero adimplendorum officiorum aliunde iam debitorum ex parte Status seu Principis. Et quod haec assertio quae est omnium canonistarum, nondum praeiudicat quaestionem aliam inter recentiores agitatam: sintne concordata, pura et nuda privilegia, an potius pacta synallagmatica, ex iustitia utramque partem obligantia.

Materia concordatorum in duplici classe invenitur. Ex una parte se tenent ea quae spondet Status. Et semper pertinent ad liberum exercitium religionis catholicae, consequenterque ad liberum exercitium iurisdictionis episcoporum, puta iuris cognoscendi de causis ecclesiasticis, puniendi poenis canonicis, adunandi synodos, erigendi scholas et seminaria, invigilandi integritati fidei per censuras et prohibitionem librorum, etc. Pertinent etiam ad instaurationem vel conservationem immunitatis ecclesiasticae, praecipue vero immunitatis clericorum a lege militiae; ad liberam ordinum regularium exsistentiam; ad facultatem acquirendi et administrandi bona divino cultui et sustentationi sacrorum ministrorum necessaria; ad restitutionem sub una vel altera forma faciendam, bonorum ecclesiasticorum iniuste ablatorum; generatimque loquendo, ad quaelibet Ecclesiae iura aut resarcienda, aut sarta tectaque servanda ([1]). Ex altera parte

([1]) Ad haec pertinent articuli 1, 11, 12, 15, concordati gallici anni 1801: « Art. 1. La religion catholique, apostolique, romaine, sera « librement exercée en France; son culte sera public, en se conformant « aux règlements de police que le gouvernement jugera nécessaires « pour la tranquillité publique. — Art. 11. Les évêques pourront avoir « un chapitre dans leur cathédrale, et un séminaire pour leur diocèse, « sans que le Gouvernement s'oblige à les doter. — Art. 12. Toutes « les églises métropolitaines, cathédrales, paroissiales et autres non alié-

se tenent ea quae concedit Pontifex, utputa ius nominationis vel praesentationis ad sedes episcopales, ius exclusionis in collatione beneficiorum, ius ad iuramentum fidelitatis principi praestandae, nova dioeceseon vel parochiarum circumscriptio, condonatio usurpatorum Ecclesiae bonorum, quae etiam cum ad sustentationem cleri a gubernio stipendium repromittitur, veram condonationis rationem utique non amittit (1). Huiusmodi, inquam, est materia circa quam versantur omnia concordata. Et licet alia ab aliis differant per hoc, quod in quibusdam plus est de restitutione iurium Ecclesiae quam de concessionibus civili gubernio factis, ut ex. gr. in concordato austriaco anno 1855, in aliis e converso, ut in concordato gallico anni 1801: semper tamen id verum manet, quod Status nihil omnino spondet praeter ea ad quae stricta obligatione aliunde iam tenebatur,

---

« nées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évê-« ques. — Art. 15. Le gouvernement prendra des mesures pour que « les catholiques français puissent, s'ils le veulent, faire en faveur des « églises des fondations ».

(1) Ad haec articuli 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 13, 16, eiusdem concordati: « Art. 2. Il sera fait par le S. Siège, de concert avec le gou-« vernement, une nouvelle circonscription des diocèses français. — « Art. 3. Sa Sainteté déclarera aux titulaires des évêchés français, « qu'elle attend d'eux, pour le bien de la paix et de l'unité, toute espèce « de sacrifices, même celui de leurs sièges... — Art. 4. Le premier « consul nommera dans les trois mois qui suivront, aux archevêchés et « évêchés de la circonscription nouvelle. Sa Sainteté conférera l'insti-« tution canonique suivant les formes établies avant le changement de « gouvernement. — Art. 5. Les nominations aux évêchés qui vaque-« ront dans la suite, seront également faites par le premier consul, etc. « — Art. 6. Les évêques, avant d'entrer en fonctions, prêteront direc-« tement, entre les mains du premier consul, le serment de fidélité qui « était en usage, etc. — Art. 9. Les évêques feront une nouvelle cir-« conscription des paroisses de leurs diocèses, qui n'aura d'effets que « d'après le consentement du gouvernement. — Art. 10. Les évêques « nommeront aux cures. Leur choix ne pourra tomber que sur des « personnes agréées du gouvernement, etc. ».

Ecclesia autem elargitur favores et privilegia, quemadmodum facile constat ex enumeratione mox facta. Non enim gratiam recipit Ecclesia, quando a Statu habet libertatem, protectionem, iurium quae a divino suo Fundatore accepit, imperturbatum ac tranquillum exercitium. At contra, admissio laicae potestatis in delectu personarum quae sacro ministerio fungantur, in circumscriptione dioeceseon ac parochiarum, in iis denique, quae cum ad interesse Status faciant, adhuc tamen nativo iure, solius sunt potestatis spiritualis; appositio quoque specialium fidelitatis pignorum erga gubernium pro tunc existens, condonatio demum gravissimorum damnorum per iniustas depraedationes perpessorum: haec omnia evidentissime prae se ferunt indolem concessionum, ad quas nullum proprium atque antecedens ius ex parte concessionarii, aut asseri aut etiam supponi potest. Ideo apud canonistas concordata saepe veniunt nomine indultorum seu privilegiorum, et recte; siquidem per ea semper fit derogatio communi Ecclesiae iuri in gratiam cuiusdam particularis Status, ac per hoc, semper convenit eis ratio privilegii, quod definiri solet, privata lex specialem favorem contra vel praeter commune ius concedens.

Sed nunc considerandum venit quod inter alias divisiones privilegiorum, invenitur etiam divisio privilegii in conventionale, et purum seu absque pacto. « Regulariter, inquit Suarez l. 8 « de legibus, c. 4, n. 9, privilegia conceduntur, nullo interve- « niente pacto, sed per absolutam gratiam et beneficentiam con- « cedentis, et de his privilegiis sub hac ratione spectatis nihil « superest dicendum, quia supra communem rationem privilegii « nihil addunt, nisi negationem conventionis et recompensationis « ex parte recipientis privilegium. Aliquando vero conceditur « privilegium, interveniente conventione seu pacto, ratione cuius « quodammodo censetur privilegiarius emere vel recompensare « privilegium, et ideo distinctio haec valde usitata est inter au- « ctores, ut in discursu materiae videbimus... Potest ergo esse « lex privata aliquid speciale concedens, vel contra, vel supra

« ius, non tamen omnino gratiose, sed cum aliqua obligatione « iustitiae seu recompensatione recipientis, et hoc appellamus « privilegium conventionale ».

Quo quidem praesupposito, statim intelligitur quomodo praecedens nostra assertio, adhuc apertam relinquat quaestionem, cuinam divisioni privilegii adscribenda sint concordata: an scilicet privilegii puri, an potius privilegii conventionalis quod per modum et sub forma pacti conceditur. Et re quidem vera, omnia elementa ad supradictum conventionale privilegium requisita, non absurde forsitan dicerentur posse hic reperiri. Nec obstat quod ea quae Status spondet, sint aliunde iam debita, quia satis est ut fiant obligatoria novo titulo, scilicet titulo pacti seu contractus, praesertim cum Status, ut nunc supponimus, parum aut nihil curet obligationes quibus de iure divino devincitur erga religionem. Ubi ergo paratum se exhibet stare obligationi conventionis, si qua forte fiat, quid quaeso impediet quominus eiusmodi nova obligatio, re implenda et opere, accipiatur tamquam quaedam recompensatio pro concessione privilegii, et vicissim concessio privilegii tamquam reciproce se habens ad dictam obligationem, sine qua bonum ab Ecclesia intentum non obtineretur? Porro, his stantibus conditionibus, nihil amplius desideraretur ad verum contractum bilateralem, sive contractum proprie synallagmaticum appellare placeat, in quo unum pro alio permutatur, sive contractum innominatum: do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias.

Sic igitur, si materia concordatorum in se absolute et antecedenter consideretur, nihil aliud est quam materia debitorum officiorum ex parte Status, indebitorum privilegiorum ex parte Ecclesiae. Sed quia talis etiam materia potest fieri obiectum pacti ultro citroque ex iustitia obligantis, consequenter ad consensum privilegiantis qui in transactionem venit cum privilegiario, constat quod ratio privilegii in casu non necessario excludit rationem contractus. Atque hinc tandem fit ut, firmis manentibus principiis quae in theologia et iure canonico intacta

remanere debent, locus sit ulteriori inquisitioni circa concordatorum naturam et indolem. Fuerunt quippe hisce ultimis temporibus, qui dixerunt concordata esse contractus unilaterales, quibus Status se obligat erga Ecclesiam, non autem vice versa Ecclesia erga Statum, quia ex parte Ecclesiae sunt nuda privilegia, vel revocabilia ad nutum, vel ad summum simplicis fidelitatis, et non iustitiae debito communita (1). In contrarium vero stant alii plures, doctrina et auctoritate caeteris non impares (2); quorum sententiae, salvo meliori iudicio, omnino censemus esse subscribendum, ut in conclusione quae sequitur.

§ 2.

Quod concordata sunt contractus bilaterales, seu conventiones quarum ultro et citro constat obligatio: cuiusmodi eae plane sunt quae inter civitates contrahi consueverunt.

Et primum argumentum sumitur ex diserta et explicita asseveratione Pontificum. Certe conclusio nostra constat ipsissimis verbis quibus protestatur Pius X in encyclica *Vehementer,* 11 Februarii anni 1906: *Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventionem eiusmodi intercessisse, cuius ultro et citro constaret obligatio: cuiusmodi eae plane sunt quae inter civitates legitime contrahi consueverunt* (3). Et eodem prorsus modo pro-

(1) Card. Cagiano de Azevedo, *Della natura e carattere essenziale dei concordati.* Parigi, Firmin Didot 1850. — Mauritius de Bonald in opusculo: *Deux questions sur le concordat de 1801.* — Tarquini, *Iuris publici ecclesiastici institutiones,* l. 1, cap. 2. — Et alii.

(2) Card. Agliardi, *Esame della controversia sui concordati.* — De Angelis, *La questione dei concordati.* — Turinaz, *Les concordats et l'obligation réciproque qu'ils imposent à l'Eglise et à l'Etat.* — Palmieri, *de Rom. Pont.* Thes. 22, in secunda editione, in qua auctor retractat sententiam quam in priori tradiderat.

(3) Versio authentica fert: « Le concordat passé entre le Souve-« rain Pontife et le Gouvernement français, comme du reste tous les

testatus fuerat Iulius III, de veteribus concordatis germanicis dicens: *Nos attendentes, concordata praedicta vim pacti inter partes habere, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse, neque debere,... statuimus iuxta ipsorum concordatorum continentiam et tenorem,* etc. (1). Quae quidem adeo expressa sunt, ut nullam patiantur glossam, nullam prorsus iuterpretationem a proprio verborum sensu utcumque declinantem.

Secundum argumentum sumitur ex inspectione ipsorum concordatorum in semetipsis. Nam primo, omne concordatum titulum habet *conventionis* (2). Praeterea, in corpore documenti, natura actus non aliter exprimitur quam nomine *pacti, pacti initi, conventionis solemnis,* cum iis nempe formis solemnibus quae in solis pactis internationalibus adhiberi solent (3). Tertio, Sancta Sedes et civile gubernium sese expresse declarant *partes contrahentes* (4). Quarto, eadem repetuntur in allocutionibus pontificiis quibus concordata annuntiantur, et in bullis quibus confirman-

---

« traités du même genre que les Etats concluent entre eux, était un « contrat bilatéral qui obligeait des deux côtés ».

(1) Apud Agliardi, op. cit., et Nicolarts, Tit. 3 super Concord. Germ. dub. 3, § 2 et seq.

(2) Ex. gr. « Convention entre le Gouvernement français et Sa Sain- « teté Pie VII, échangée le 25 Fructidor, an. IX (10 septembre 1801) ».

(3) Ex. gr. « Le Premier Consul de la République française, et « Sa Sainteté le Souverain Pontife Pie VII, ont nommé pour leur plé- « nipotentiaires respectifs: Le Premier Consul, les citoyens Joseph Bo- « naparte... Sa Sainteté, S. E. Monseigneur Hercule Consalvi... Les- « quels, après l'échange des pleins pouvoirs respectifs, ont arrêté la « convention suivante ».

(4) In Concordato anni 1801: « Art. 17. Il est convenu *entre les « parties contractantes,* que dans le cas où quelqu'un des successeurs « du premier consul actuel ne serait pas catholique, etc. ». — In concordato austriaco anni 1855, art. 35: « Idcirco *utraque contrahentium « pars* spondet se successoresque suos omnia et singula de quibus con- « ventum est, sancte servaturos ».

tur: ubi si quid superadditur, non ad diminuendum additur, sed ad affirmandum etiam magis obligationem quam suo, suorumque successorum nomine Pontifex assumit, servandi inviolabiliter omnia ea de quibus facta conventio est (1). Et si quid aliud adhuc desideras, ecce tibi quinto pontificiam diplomatiam, in eodem semper sensu concordatorum naturam explicantem, et ex eodem ubique principio ea vindicantem contra violationem fidei datae ex parte civilis potestatis (2). Unde tandem pronum est

(1) Bulla Leonis X super concordatum gallicum anni 1516, in Concilio Lateranensi V promulgata, haec habet: « (Supradictam concor- « diam) veri contractus et obligationis inter Nos et Sedem apostolicam, « ex una, et praefatum regem et regnum suum, ex altera parte, legi- « time initi vim et robur obtinere ».

(2) « Il y a plus. Les Papes défendant contre de fausses inter- « prétations des concordats, la vraie nature et la portée de ces con- « ventions, affirment la double et égale obligation qu'ils imposent aux « deux parties contractantes, et repoussent ainsi manifestement l'opi- « nion qui nous est opposée. Le ministre des affaires étrangères du « roi de Sardaigne ayant, dans une dépêche du 28 juin 1850, blâmé le « Pro-Secrétaire d'état du Souverain Pontife, *d'avoir attribué aux con-* « *cordats conclus avec le S. Siège le caractère et l'essence même des traités* « *par lesquels les Etats laïques s'engagent les uns envers les autres,* le car- « dinal Antonelli, par une dépêche du 28 juillet, maintint son appré- « ciation, et exposa la doctrine du S. Siège sur la nature des concor- « dats. Il affirme que *par ces traités solennels sont établies, relativement* « *à l'exercice de certains droits, des règles à l'observance desquelles s'o-* « *bligent, chacune de son côté pour ce qui la regarde, les deux puissan-* « *ces suprêmes du territoire de S. M. le roi de Sardaigne, la puissance* « *ecclésiastique, et la puissance civile. Par les traités susdits, la nature de* « *l'objet, qui est toujours de discipline ecclésiastique, ne se trouve pas chan-* « *gée; il y a seulement des modifications sur quelques points de cette disci-* « *pline; mais les dispositions qu'ils contiennent n'en ont pas moins, en* « *vertu de cette stipulation solennelle, une force spéciale qui oblige les par-* « *ties contractantes à une réciproque et plus étroite observance, de telle* « *sorte que ces traités, bien qu'ils aient pour objet des points de discipline* « *ecclésiastique, prennent cependant le caractère de ceux qu'on appelle in-* « *ternationaux*. Le même Cardinal, déclarant expressement écrire par « ordre de Souverain Pontife, invoquait dans une lettre du 3 Août 1861,

concludere cum Card. Agliardi, op. cit. n. 9: Dicimus ergo, concordata esse contractus, quia Papa vocat illa contractus; dicimus Papam esse partem contrahentem, quia Papa expresse se profitetur partem contrahentem; dicimus Papam esse, tam personaliter quam in suis successoribus obligatum erga Statum, quamdiu Status steterit conditionibus pacti, quia Papa solemniter protestatur, concordata obtinere vim et robur verae obligationis inter Sanctam Sedem et civile gubernium. Et non est

---

« au baron Von Hugel, ministre du roi de Wurtemberg, le concordat « de 1857, *qui eut*, dit-il, *le véritable caractère d'un pacte obligeant les « deux parties.* Et il poursuit en ces termes: *Cela se prouve tant par « les noms des plénipotentiaires respectifs, auxquels on avait donné les ins- « tructions nécessaires pour traiter, que par la forme même de l'acte, le- « quel a été souscrit par les plénipotentiaires des deux parties, et ensuite « ratifié selon l'usage par les deux parties contractantes. Et pour que, même « après la signature, il fût plus évident encore que l'acte avait la nature « d'un contrat, le Saint-Siège et le Gouvernement du roi, conformément à « la convention, se mirent immédiatement à exécuter quelques points dont « on était convenu. Puis donc qu'il est démontré que la convention a vrai- « ment le caractère bien déterminé d'un contrat obligeant les deux parties, « Votre Excellence devra bien avouer que le contrat n'a point perdu sa « force et sa valeur par un décret émané de l'une des deux seulement, etc.* « Pie IX lui-même, dans l'allocution consistoriale du 1er novembre 1850, « fit entendre ses protestations contre les actes du gouvernement Sarde « au sujet du Concordat, et. confirmant hautement la doctrine ex- « posée en son nom par le Cardinal Antonelli, il disait: *Vous comprenez « la gravité de tels actes, vous concevez ce que deviendraient les choses « saintes, si les droits de l'Eglise et les canons tombaient dans le mépris, « si l'on ne reconnaissait même plus la force des pactes régulièrement in « tervenus entre le Saint-Siège et la puissance civile: Si neque sua stet fides « pactis inter Sanctam hanc Sedem et civilem potestatem rite conventis... « Earum* (conventionum) *vi ac iure contempto et labefactato, aliorum « quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret.* Si de pa- « reils textes ne sont pas décisifs, aucune démonstration n'est possible « par des textes, quels qu'ils soient ». Turinaz, *Les Concordats et l'o- « bligation réciproque qu'ils imposent à l'Eglise et à l'Etat*, Paris, Retaux, 1887.

modus aliter dicendi, quia si aliter diceremus, faceremus Papam mendacem, et committeremus bonam fidem Ecclesiae, quandoquidem nemini unquam persuadebitur, allatas formulas compati posse violentiam quam eis inferre coguntur adversarii.

Atque hinc sumitur tertium etiam argumentum, quia si verum esset quod adversarii dicunt, sequeretur non fuisse ad hanc usque diem concordatum ullum legitime initum, cuius constet obligatio, etiam ex parte Status. Quantumcumque enim unilateralem contractum dicere placuerit, non erit, puto, medium subtrahendi eum a generalibus legibus omnium contractuum, quarum prima haec est, quod error circa substantiam contractus invalidat eum. Nunc autem error est circa substantiam contractus, quando erratur circa contractus speciem, utputa, si contractus qui revera unilateralis est, habeatur pro bilaterali. Aliunde vero, si quid manifestum, si quid evidens, si quid indubium, id demum erit: Status omnes qui hactenus cum Ecclesia concordata inierunt, nihil prorsus suspicatos esse de unilateralitate obligationis ab adversariis in medium nunc adducta. De quo quidem, inter alia multa, signum omni exceptione maius in hoc est, quod in tot sophismatibus studiose quaesitis, quibus gubernia sese excusare tentaverunt a violato iure gentium in abrogatione concordatorum, ne vestigium quidem unquam occurrit rationis quae in hypothesi, prae aliis omnibus peremptoria eis visa fuisset: si potest S. Sedes ex sua parte, illaesa iustitia, revocare concordata, cur non idem ratione reciprocitatis liceret et Statui? (1).

Nunc autem, contra tam aperta argumenta ex visceribus rei petita, ii qui ex parte adversa stant supracitati canonistae, nihil habent quod opponant praeter rationes a priori. Dicunt quod principia de divina constitutione Ecclesiae, de habitudine eius ad Statum, de plenitudine potestatis pascendi a Christo Domino immediate collata Petro et successoribus eius, repugnant litterali

(1) Cf. Agliardi, op. cit. n. 23.

acceptioni terminorum quibus documenta concordatitia constant. Necesse igitur esse ad sensus improprios declinare, cum ibi quoque locus sit regulari exceptioni quae traditur de Scriptura, litteraliter utique interpretanda, ubi tamen nihil obstat. In unaquaque materia sedulo distinguenda esse argumenta quae vim et dignitatem obtinent probationum, ab iis quae obiectionum seu difficultatum ordinem non transcendunt. Denique, a non posse esse ad non esse valere illationem, ac per hoc, recte concludi quod concordata contractus bilaterales non sunt, quia iuxta principiorum exigentiam, contractus bilaterales esse non possunt (1). De valore huius processus diiudicet unusquisque, et videat utrum non sit forte praeferendus ille alius quem tenuimus: Solemnes conventiones Statum inter et Summum Pontificem, non compati ullo modo interpretationes improprias, innaturales, peregrinas, constanti terminorum usurpationi per omnia repugnantes, quas necesse habent fingere, quicumque a concordatis rationem pacti abesse volunt. Firmiter ergo tenendum, concordata talia revera esse, qualia sese ex tenore documentorum produnt, adeoque, contractus bilaterales esse posse, quia contractus bilaterales revera sunt. Caeterum, si ex parte principiorum aliqua viderentur in contrarium stare, ibi potius agnoscendas esse difficultates quae solvendae forsitan adhuc remanebunt, non argumenta quae vim et dignitatem probationum obtineant (2). Ubinam, quaeso, rectus procedendi modus? Ubi legitima methodus quae semper a certioribus et evidentioribus initium syllogizandi sumit? Non enim immerito forsitan dices, nihil evidentius esse quam factum a quo exordimur, nihil inevidentius quam oppositio principiorum in qua suum fundamentum ponunt adversarii.

Et re quidem vera, rationes eorum ad has tres reducuntur. Prima est, quia ea quae concedit Ecclesia spiritualia sunt, ea quae affert Status, temporalia. Si ergo pactum proprie di-

(1) Ita Card. Tarquini, *Instit. iuris*, l. c., et in responsione ad Canonicum De Angelis, 30 iulii 1872.

(2) Ita Card. Agliardi, op. cit. n. 6, seq.

ctum intercederet Statum inter et Ecclesiam, simoniaca labe esset infectum. — Secunda est, quia ea est concordatorum materia, in qua Papa est princeps, Status est subditus. Atqui inter principem et subditum contractus synallagmaticus vel bilateralis, ex iustitia utramque partem obligans, intercedere nequit. — Tertia et principalis est, quia Papa non potest alienare aut diminuere supremam ac plenam potestatem quam accepit a Christo, debetque illam integram atque intactam servare suis successoribus. Diminueret autem illam, si se successoresque suos titulo iustitiae erga Statum obligaret. Necesse igitur est ut concordata nihil plus sint quam privilegia a Pontifice concessa, nullo interveniente pacto quo Pontifex ipse erga Statum ligaretur. — Haec sunt fundamenta adversariorum. At, si quis recte consideret, facile videbit rationes eiusmodi nil minus esse quam demonstrativas, ut statim ostendo.

Et prima est manifeste nulla, quia praescindendo nunc a multis aliis considerationibus, absolute negari debet suppositum, videlicet: temporalia esse, quae spondet Status in concordatis. Imo vero, servitia sunt, obiecto et fine plane spiritualia, utpote tota quanta, ad protectionem, defensionem, et sustentationem religionis ordinata. Quod enim dicunt, Statum nihil posse de suo conferre nisi temporale, verum est si materialiter accipiatur, falsum si per ordinem ad finem. Sicut opus quod de se servile est, servile esse desinit si impendatur in cultum Dei, puta in apparatum sacrae processionis, vel aliquid huiusmodi. Unde Dominus in evangelio, Matth. XII-5: *Non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Sabbatum, inquit, violant, victimas iugulando, excoriando, dissecando, componendo ligna, accendendo ignem quo victimae in honorem Dei comburantur. Quae opera in se nude spectata servilia sunt, et sabbatum violarent, nisi pietas et sanctitas excusaret, e servilibus ac profanis sacra efficiendo. Et idem proportionaliter dicendum in praesenti. Quo fit ut foedum illud simoniae crimen, quo spirituale emitur vel venditur vel quocumque modo recom-

pensatur pretio temporali, ne per longinquam quidem apparentiam, locum hic habere possit (1).

Altera quoque ratio non sustinetur. Tota enim nititur in hoc principio, quod non potest inter principem et subditum intercedere pactum bilaterale ex iustitia. Sed hoc principium est falsum. Quotidie enim videmus privatos homines vel minores societates contrahere cum gubernio, id est, subditum cum principe, emendo ex. gr. privilegia quae solus princeps qua talis concedere potest. Imo emebantur olim officia haereditaria in curiis et parlamentis, et licet nunc disputent de convenientia eiusmodi institutionis seu consuetudinis, non eo tamen praetextu, quod mutua iustitiae obligatio devincire nequit principem ad subditum, et vice versa. Esset quidem hoc impossibile, loquendo de Deo et creatura : tum quia Deus est essentialiter absolutissimus omnium dominus, supra omnem legem omnemque obligationem ineffabiliter excelsus ; tum quia omnia quaecumque habet creatura, a Deo habet participata, quae nunquam alicuius debiti in rigore iustitiae apud ipsum exigitiva esse possint. Sed hae conditiones, quam longe absint ab Ecclesia relate ad Statum, non opus est, puto, demonstrare. Et ideo, qui exemplum sumunt adversarii, ex pactis quae conclusit Deus cum hominibus in veteri et novo testamento, ut inde aliquam consequentiam trahant in materia concordatorum, nihil prorsum evincunt, praeteraeque nihil. Esset etiam impossibilis mutua haec iustitiae obligatio, si obligatio ipsa veniret ab ordinatione superioris cum quo subditus paciscitur, siquidem sua propria lege superior ligari utique non posset. Nunc autem obligatio in pactis venit a sola lege naturali, cui aequaliter subiecti sunt, tam superior quam inferior, tam princeps quam subditus, quaeque indiscriminatim iubet ut conventiones a quibuscumque et inter quoscumque legitime initae sancte custodiantur. Non ergo ullo modo valet argumentum desumptum ex hoc quod in rebus ad

(1) Agliardi, op. cit., n. 26.

religionem pertinentibus, Papa est princeps, Status vero est subditus (1).

Remaneret itaque tertia ratio, cui maxime confidunt adversarii : *Integrum quidem esse principi civili cedere de suis iuribus, seu de potestate quam possidet in proprium ; non item Pontifici. Papam non esse nisi vicarium supremi et immortalis capitis Ecclesiae, scilicet Christi ; potestatem qua fungitur non esse suam, sed eius a quo habet commissam, ut nomine eius Ecclesiam regat ; adeoque nec reponi in libera sua dispositione, ut possit eam alienare, vel diminuere, vel qualitercumque modificare ; sed qualem ipse accepit, talem esse successoribus transmittendam, etc.* Quae omnia ultro concedimus, utpote verissima et extra omnem controversiam posita. Unum tamen superesset demonstrandum : obligationem nempe per concordata contractam importare alienationem vel diminutionem iurisdictionis pontificiae. Et hoc est quod adversarii omittunt ostendere. Nos autem positive ostendimus contrarium, ita ut hic quoque, sicut in duobus superioribus argumentis, negatione suppositi tota de integro responsio constet.

Et re quidem vera, obligatio concordati integram relinquit potestatem papalem, integrum quoque usum eius, formaliter qua potestas est. Non enim sequitur : si Papa pacto se ligat respectu civilis gubernii, concedendo ex. gr. ius praesentationis ad sedes episcopales, ergo non potest iam valide instituere episcopos extra formam concordatitiam. Sed sequitur tantum : ergo, quamdiu pactum durat, etsi semper valide, illicite tamen et contra fidem datam instituerit. Sicut non sequitur : si Titius se ligat respectu Bertae contractu sponsalitio, ergo non potest cum alia validum contrahere matrimonium. Imo valide contraheret, peccando tamen contra iustitiam. Unde, nulla diminutio, nulla alienatio *potestatis,* sed quod longe aliud est, obligatio *conscientiae* in ordine ad *licitum* potestatis usum. Et simile est cum

(1) Id. n. 27.

sacerdos degradatur, vel deponitur, vel suspenditur a divinis. Numquid ideo detrimentum subit potestas quam in ordinatione sua immediate accepit a Deo, utique inalienabilem et per omnia invariabilem, consecrandi corpus et sanguinem Christi? Nullo modo, impossibile est enim. Manet intacta potestas, et si missam celebrat, valide celebrat, sed oneratur conscientia ne celebratio fiat. Idem cum proportione in praesenti.

Et quod reipsa ita sit, ostendi etiam potest usque ad evidentiam, ex iuramentis quae in conclavi ante electionem imponuntur cardinalibus. Iureiurando enim singulus quisque se obligat, pro casu in quo eligeretur in pontificem, ad plura vel faciendum vel omittendum, quae ex sese sunt sub libera pontificiae potestatis determinatione. Liceat itaque quaerere ab adversario: Obligatio huiusmodi estne restrictiva, vel non restrictiva papalis potestatis? Si restrictivam dicis, sequitur quod quisquis nunc in Petri successorem assumitur, nonnisi papa diminutae auctoritatis est; sequitur etiam quod contra fundamentalem Ecclesiae constitutionem fecerunt praecedentes pontifices, qui lege lata, cardinalibus in conclavi adunatis praefata iuramenta imposuerunt. Sin autem dicis non restrictivam, ut revera dicere debes, iam fortasse aestimabis quo loco reponendum sit tuum argumentum in materia concordatorum. Undecumque enim veniat obligatio conscientiam ligans, sive ex iuramento, sive ex pacto legitimo, nihil omnino refert in ordine ad rem de qua nunc agitur.

Obiicies forte, discrimen esse duplex: primo quod iuramentum praestat qui nondum est papa electus, sed adhuc eligendus; secundo quod per iuramentum obligat se personaliter tantum, et non suos successores. Sed neutrum ex his aliquid valet.

Non valet primum. Et aliis nunc considerationibus omissis, sufficiet animadvertere quod ratio cur iuramentum electioni praemittitur, nulla alia est nisi quia post electionem non posset amplius *imponi*. Ut ergo iuramenti praestatio declinari a novo papa omnino non possit, institutum est ut tunc exigeretur, quando legis ecclesiasticae coactio adhuc locum habet. Caeterum, iidem

prorsus effectus sunt, eaedemque consequentiae, dum obligatorie fit a Papa adhuc eligendo, ac si libere fieret a Papa iam electo. Unde ex hoc capite nulla differentia.

Nec etiam valet secundum. Quid enim in praesenti refert, quod obligatio transeat, vel non transeat ad successores? Solum quaeritur utrum diminuat vel non diminuat supremam iurisdictionem. Si diminuit, etiam in hoc signato pontifice personaliter accepto esse non poterit, cum non possit Papa limitare suam potestatem magis quam potestatem successorum, imo ideo praecise successorum non possit, quia non potest suam. Si autem non diminuit, nihil profecto obstabit quominus haereditate etiam a decessore ad successorem transmittenda contrahatur, prout requirent temporum conditiones, bonum animarum, et Ecclesiae utilitas. Et iuramenta quidem in conclavi emissa, personalem tantum obligationem creant, ut per se notum est. At solemnia pacta cum civilibus guberniis inita obligant Papam cum suis successoribus, quia, uti ex tenore ipsorum concordatorum apertissime constat, suo suorumque successorum nomine Papa illa concludit, vultque ea obtinere vim et robur verae obligationis inter Sanctam Sedem ex una parte, et Status paciscentes ex altera.

Quamquam semper implicita intelligitur ista clausula derogatoria: *Nisi vergere incipiant in evidens detrimentum animarum, et dispendium salutis aeternae.* Nam, ut bene notat Card. Agliardi, op. cit. n. 4., pro impossibili in utroque iure habetur, quidquid honestati opponitur, et legi naturali vel divinae. Et talis impossibilitas iuris aequiparatur impossibilitati facti, de qua valent axiomata: ad impossibile nemo tenetur, et iterum: impossibilium nulla obligatio. Quod quidem multo adhuc magis verificatur in Pontifice Romano, utpote qui primus est tutor et vindex iuris divini, et in vi sui primatus, de iure potest supra ius dispensare, ut dicitur in decretalibus, Cap. *Proposuit,* 4 *De Concess. Praeb.*

QUAESTIO XX.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Superest dicendum de immunitate ecclesiastica, seu de exemptione clericorum a temporalium principum iurisdictione. Quae quidem immunitas analogiam habet cum immunitatibus legatorum exterarum gentium apud amicam nationem residentium. Nam sicut isti immunes sunt a iurisdictione principis apud quem commorantur, non solum in iis quae spectant ad sui mandati exercitium, verum etiam in caeteris in quibus alias, iure privatorum civium censendi forent: ita ordo clericorum, tamquam legatio Magni Regis apud humanum genus exsistens, non in iis duntaxat quae ad Deum spectant, sed et in ipsis temporalibus a saeculari iudicio liber asseritur.

Neque in hoc habetur ratio *privilegii* proprie dicti. Nam si privilegium stricte accipiatur pro derogatione facta iuri communi, in favorem aliquorum qui huic eidem iuri ex sese subiecti praesupponuntur: sic, generaliter saltem loquendo, immunitas *clericorum qua talium* non est adscribenda privilegio, utpote qui ipso originali et connaturali iure sui status, exempti dicendi sint (1). Quamquam, si latiori sensu privilegii nomen ad-

(1) Hic obiter nota quod multo minus dici poterit *privilegium a societate civili concessum,* quia contra hoc facerent, praeter rationes theologicas, rationes etiam historicae. Certe, non fuit concessum a societate civili pagana, in qua primum adolevit Ecclesia, ut per se evidens est.

hibeatur, pro quanto comprehendere etiam potest ius aliquod naturale vel divinum, aliquibus *specialiter* conveniens comparatione aliorum: sic sine inconvenienti admittetur appellatio. Et hoc modo loquuntur multi, inter quos Suarez in Defensione fidei, l. 4, c. 1, n. 2.

Porro, uti infra idem observat Suarez, etsi privilegium exemptionis commune sit Summo Pontifici et reliquis clericis, cum ipse non solum clericus sit, sed etiam clericorum et totius Ecclesiae princeps et caput: nihilominus, quia in illo propter singularem eminentiam notior est talis privilegii origo, et quia illius cognitio parat viam ad determinandam originem immunitatis in aliis: ideo prius de Papa, deinde de caeteris, brevi-

---

Sed nec etiam a societate civili christiana, cui Ecclesia anterior est, et ad quam comparetur ut institutrix et mater. « L'invitation faite (par « les catholiques libéraux) à l'Eglise de renoncer au *privilège*, est un « de ces mots qui blessent le sens catholique. En effet l'Eglise a une « constitution divine, elle vit de son droit propre, et non de privilège. « Qui donc lui aurait accordé un privilège qui ne lui appartînt pas de « nature? L'Etat? Mais alors la société civile est donc supérieure à la « société religieuse, et peut légitimement lui reprendre ce qu'elle lui a « bénévolement octroyé? L'histoire d'accord avec le bon sens chrétien, « condamne la fausse vue que trahit ce langage. L'Eglise n'a pas été « faite par l'Etat; c'est elle au contraire qui a fait l'Etat et la société; « et ni l'Etat ni la société n'ont octroyé à l'Eglise des privilèges; ils « lui ont reconnu une manière d'être antérieure à leur propre existence, « un droit qui ne relève d'eux en aucune sorte, et qu'ils ne peuvent « modifier que par un abus contre lequel l'intérêt public l'oblige de « protester. Nous ne pouvons partager l'ignorance où l'ingratitude ré- « volutionnaire prend soin de s'enfermer. Nous savons que l'Eglise a « grandi malgré la puissance païenne, qu'elle a changé l'assiette du « monde, qu'elle est en un mot la mère et l'institutrice des Etats chré- « tiens, et que la supériorité de leur civilisation est due à ses principes, « et en dépend toujours. Nous savons aussi que l'Eglise n'a pu accom- « plir ce grand ouvrage, ne l'a pu défendre, et ne le pourra maintenir « qu'au moyen de cette constitution propre qui lui a été donnée de Dieu « pour agir dans le monde ». Veuillot, *Illusion libérale*, § 24.

ter tamen, et prout ratio, non canonici, sed theologici instituti fert, per ordinem dicendum ultimo loco nunc venit.

§ 1.

Quod summus Pontifex de iure divino habet plenam et absolutam ab omni iurisdictione saeculari exemptionem. Et quod haec exemptio convenienti et regulari modo actuari non potuit, praesertim post Romani imperii dislocationem, eiusdemque in multa regna divisionem, nisi mediante civili principatu quo ab antiquo, providente Deo, Sedes apostolica potita est.

Prae primis observa cum Suarezio, l. c. cap. 4, quod ius divinum in praesenti, duobus modis intelligi potest. Uno modo potest intelligi ius divinum positivum, sicut si privilegium immunitatis positive ac directe, seu propria ac peculiari voluntate, a Christo Domino Pontifici collatum fuisse constaret. Et tale ius plures non male colligunt ex loco illo Matthaei, ubi occasione quaestionis ab exactoribus tributi Petro factae, *an magister eorum solveret didrachma,* Christus non solum personalem suam immunitatem asserit, ut quae nativo iure competeret proprio filio Summi Regis, cuius creaturae et servi sunt quotquot in terra reges imperant: verum etiam Petrum sibi in eadem exemptione expresse associare videtur dicens: *Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore eius, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te* (1). Alio modo intelligi potest ius divinum naturale: quatenus supposita dignitate supernaturali a Deo Pontifici collata, immunitatis privilegium secundum rectam rationem necessario ex ea consequi ostenderetur: siquidem ab eo a quo est forma, ab eodem etiam sunt quae naturaliter et per se consequuntur

(1) Matth. XVII-25.

ad formam. Porro, hoc secundo *saltem* modo, de iure divino esse immunitatem pontificiam, concors est omnium theologorum et canonistarum sententia.

Ratio praecipua est, ait Bellarminus (1), quia Papa princeps est Ecclesiae totius, et proinde superiorem in terris non habet, nec habere potest. Nam quia summus princeps est Ecclesiae, non potest iudicari ab ullo ecclesiastico antistite. Rursus, quia respublica ecclesiastica spiritualis est ac proinde maior ac sublimior quavis republica temporali, propterea summus princeps Ecclesiae dirigere et iudicare potest summum principem reipublicae temporalis, non autem ab eo dirigi aut iudicari debet, nisi rectus ordo et ipsa rerum natura pervertatur.

Et amplius confirmatur, quia Pontifex vi suae potestatis spiritualis potest disponere de ipsa suprema saeculari potestate, prout necessarium fuerit ad rerum spiritualium convenientem gubernationem, ut supra ostensum est. Ergo ex vi huius potestatis habet auctoritatem praecipiendi cuicumque principi ne in suam personam iurisdictionem exercere praesumat, potestque irritare quidquid in contrarium attentaret: quia sine dubio talis exemptio maxime pertinet ad spirituale bonum Ecclesiae, hoc est, ad reverentiam debitam Christo et personae gerenti vices eius in terris, et ad omnimodam independentiam ministerii Pontificis in toto mundo, apud omnes gentes. Ergo repugnat, Pontificem esse de iure subiectum in temporalibus alicui principi seu Statui, quia repugnat ut subditus habeat potestatem irritandi actum superioris in eo in quo ei subiectus est (2). Vides igitur non valere oppositionem desumptam ex hoc, quod cum Pontifex ex vi suae dignitatis non sit superior in temporalibus directe, sed imo vi iuris divini habeat iurisdictionem spiritualem, indirecte tantum sese extendentem ad temporalia: ideo sine contradictione assereretur subiectus in iis simul et superior:

(1) Bellarm., *de Rom. Pont.*, l. 2, c. 26.
(2) Suarez, *Defensio fidei*, l. 4, c. 4, n. 8.

subiectus directe ut homo, superior indirecte ut pontifex, cum illa duo in casu, subiectio nempe et praelatio, nec secundum eamdem rationem, nec respectu eiusdem et secundum idem dicerentur. Non valet, inquam, haec oppositio, propter rationem mox factam : Quia pontifex ut homo, semper is est a quo pontifex, ut pontifex, praecise vi suae indirectae potestatis, removere poterit iudicium saeculare, cassando atque irritando quidquid in hac parte civilis magistratus seu princeps attentare praesumeret.

Hic tamen oportet accurate distinguere ius exemptionis, et eius actuationem. Nec est consequens : si ius inseparabile est a dignitate pontificia, ergo et actuatio iuris semper eam debuit de facto comitari. Quare Petrus eiusque successores, toto tempore gentilium imperatorum exempti quidem fuerunt ab eorum iurisdictione quoad privilegium, tametsi usum privilegii pro eo tempore de facto non habuerint, nihil in hoc repugnante iure divino. Sed tempus paganorum imperatorum erat tempus persecutionum in quo adhuc fremebant gentes, et populi meditabantur inania, et nondum habebat Ecclesia suum pacificum ac regularem statum. Cuius quidem regularis status cum post tria ferme saecula tempus tandem advenisset, dispositione mirabili ordinavit procuravitque divina Providentia ut Summi Pontifices in usum etiam venirent suae immunitatis ; venirent, inquam, et non qualicumque modo, sed praecise ope civilis principatus Sedis apostolicae, qui aliquo vero sensu initiatus a temporibus Constantini ([1]), saeculo demum nono ineunte per

([1]) « Dans Rome encore païenne, le Pontife romain gênait déjà les « Césars... Une main cachée les chassait de la *ville éternelle*, pour la « donner au chef de *l'Eglise éternelle*. Peut-être que, dans l'esprit de « Constantin, un commencement de foi et de respect se mêla à la gêne « dont je parle ; mais je ne doute pas un instant que ce sentiment n'ait « influé sur la détermination qu'il prit de transporter le siège de l'em- « pire, beaucoup plus que tous les motifs politiques qu'on lui prête : « ainsi s'accomplissait le décret du Très-Haut. La même enceinte ne

Carolum Magnum ultimo constitutus, seu verius, confirmatus est ([1]).

« pouvait renfermer l'empereur et le Pontife. Constantin céda Rome au « Pape. La conscience du genre humain ne l'entendit pas autrement, « et de là naquit la *fable* de la donation, qui est *très vraie*.... Il n'y « a donc rien de si vrai que la donation de Constantin. De ce moment, « on sent que les empereurs ne sont plus chez eux à Rome. Ils res- « semblent à des étrangers qui de temps en temps viennent y loger avec « permission. Mais voici qui est plus étonnant encore. Odoacre avec ses « Hérules vient mettre fin à l'empire d'Occident en 475; bientôt après, « les Hérules disparaissent devant les Goths, et ceux-ci à leur tour cè- « dent la place aux Lombards, qui s'emparent du royaume d'Italie. « Quelle force, pendant plus de trois siècles, empêchait tous les prin- « ces de fixer d'une manière stable leur trône à Rome? Quel bras les « repoussait à Milan, à Pavie, à Ravenne, etc.? C'était la *donation* qui « agissait sans cesse, et qui partait de trop haut pour n'être par exé- « cutée ». J. de Maistre, *du Pape*, l. 2, ch. 7.

([1]) Confirmatum dico, potius quam institutum. Nam a longo iam tempore pontifices Romani incuriae Constantinopolitanorum imperatorum subvenientes, fungebantur versus populos Italiae omnibus officiis principatus. Quo fit ut in veteribus diplomatibus, ea quae a Carolo Magno in favorem S. Sedis acta sunt, *restitutionis* magis quam *donationis* nomine veniant. « C'est un point qui ne saurait être contesté, que « les Papes ne cessèrent de travailler, pour maintenir aux empereurs « grecs ce qui leur restait de l'Italie, contre les Goths, les Hérules et « les Lombards... Ils conjuraient sans cesse les empereurs grecs de « venir au secours de l'Italie; mais que pouvait-on obtenir de ces mi- « sérables princes? Non seulement ils ne pouvaient rien faire pour l'I- « talie, mais ils la trahissaient systématiquement, parce qu'ayant des « traités avec les barbares qui les menaçaient du côté de Constantino- « ple, ils n'osaient pas les inquiéter en Italie. L'état de ces belles con- « trées ne se peut décrire, et fait encore pitié dans l'histoire. Désolée « par les barbares, abandonnée par ses souverains, l'Italie ne savait « plus a qui elle appartenait, et ses peuples étaient réduits au dése- « poir. Au milieu de ces grandes calamités, les Papes étaient le refuge « unique des malheureux. Sans le vouloir, et par la force seule des « circonstances, les Papes étaient substitués à l'empereur, et tous les « yeux se tournaient de leur côté. Italiens, Hérules, Lombards, Français,

Et re quidem vera, immunitatem facti quae in Pontifice esse debet, non alia ratione connaturaliter obtineri potuisse, tribus potissimum argumentis ostenditur.

Primum est, quia societas humana non fert nisi gubernantes et gubernatos. Quisquis autem, nec subditi nec principis conditionem habere supponeretur, eo ipso foret in statu plane abnormi constitutus, quasi exsistens in societate, quin pars sit societatis. Si ergo dignitas et sacrum ministerium Pontificis omnem civilem respuit subiectionem, independentem utique requirit principatum. — Secundum est, quia libertas supremi antistitis temporali principatu non munita, nec secura esset, nec stabilis, sed admodum precaria, et in arbitrio Status apud quem hospitaretur, semper reposita. — Tertium denique est, quia ad conveniens universalis Ecclesiae regimen requiritur ut non solum liber Pontifex exsistat, verum etiam ut talis ab omnibus censeatur. Nunc autem, vel amico foedere iunctum eum suppones cum principe in cuius territorio degeret, vel secus. Si hoc secundum supponis, non ea demum conditio erit, quae pro regulari haberi queat. Sin autem primum, semper suspicio saltem erit apud exteras gentes, Pontificem flecti in sua gubernandi ratione, iuxta intenta et fines particularis Status in quo suam sedem haberet, et cuius opera atque officiis, ipsa necessitate coactus, in omnibus uteretur. Et haec ratio, historice etiam confirmatur ex iis quae acciderunt tempore translationis S. Sedis in Avenionem, licet conditiones multum dispares fuerint ab eis quae nunc in considerationem veniunt: dispares autem dico, id est, longe longeque favorabiliores.

« tous étaient d'accord sur ce point. S. Grégoire disait déjà de son temps « (l. 1, epist. 25 ad Ioan. episc. c. 6): *Quiconque arrive à la place que « j'occupe, est accablé par les affaires, au point de douter souvent s'il est « prince ou pontife.* Hoc in loco quisquis pastor dicitur, curis exterio- « ribus graviter occupatur, ita ut saepe incertum sit utrum pastoris of- « ficium an terreni proceris agat ». J. de Maistre, ubi supra.

Omnibus ergo modis efficitur, plenam illam independentiam quae necessaria est supremo capiti religionis *catholicae,* id est, tam iure quam facto per omnes gentes orbis terrarum diffusae, convenientem actuationem habere minime potuisse, nisi ope civilis illius principatus quem mirabili specialissimaque divinae Providentiae dispositione, a tot saeculis Romani Pontifices obtinuerunt (1).

Unde vides quod non dicimus nos, potestatem temporalem esse in Pontifice formaliter in quantum est vicarius Christi, aut esse de iure divino, quasi ex plenitudine potestatis spiritualis resultantem. Sed solum dicimus esse conditionem, per quam solam regulariter auferuntur impedimenta ad usum plenae immunitatis immediate acceptae a Deo, simul cum accepto munere gubernandi universalem Ecclesiam. Quae tamen conditio, cum humani ordinis esset, remanebat acquirenda dependenter a communibus causis seu titulis quibus omnia legitima politica dominia apud nos acquiri solent: ita scilicet, ut civilis principatus Romani Pontificis non altiorem ac caeteri, repeteret originem. Quamquam non sequitur, principatum hunc, apostolicae Sedi

(1) Rationes supradictas sic recapitulat Cardinalis Pie, Operum tom. 7, Homilia pro 21° anniversario suae consecrationis episcopalis : « La royauté pontificale est le bouclier de la liberté et de la dignité de « l'Eglise, attendu qu'elle place son chef en dehors de toute dépen- « dance profane, de toute sujetion séculière, et qu'elle lui permet ainsi, « dans l'exercice de son suprême ministère spirituel, de tenir la balance « de la vérité et de la justice toujours égale au milieu des agitations « politiques de la terre ». Nec valet si dicas quod a pluribus iam nunc annis Pontifex suo temporali dominio privatur, quin tamen hactenus libertate caruerit in regimine universalis Ecclesiae. Nam contra hoc est primo, quod conditio ad quam nunc redigitur, a nemine dicetur esse regularis. Secundo, quod libertas qua fruitur, semper est precaria. Tertio, quod etsi temporale dominium de facto in se cessaverit, adhuc tamen durat in quibusdam suis reliquiis, dum scilicet antiqua possessio principatus quadantenus protegit Pontificem, et quominus iure privatorum censeatur, usque nunc in causa est.

semel acquisitum, adhuc debuisse subiacere iisdem vicissitudinibus, iisdemque mutationibus quae in aliis esse possunt. Nam ex quo Ecclesiae qua tali proprius effectus est, annexa ei fuit formalitas rei sacrae, ratione cuius, iam a parte ponitur, et elevatur supra communem ordinem regnorum huius mundi. Nec mirum hoc videri debet, nam analogum exemplum habes in proprietate ecclesiastica, quae quoad facultatem seu idoneitatem ad possidendum, iuris divini positivi est; quoad acquisitionem vero, subest communibus modis quos ius naturale vel ius gentium determinat, etsi post acquisitionem, exclusive subiaceat legi canonicae.

Et haec quidem de immunitate pontificia dicta sufficiant. Veniendum nunc est ad immunitatem inferiorum clericorum quae ab illa participat, sicut dignitas membrorum participat a dignitate capitis.

§ 2.

Quod Dei ordinatione et canonicis pariter sanctionibus constitutum fuit ut clerici omnes ad forum Ecclesiae exclusive pertinerent, essentque exempti ab obligationibus legum quae ecclesiastico statui ac ministerio repugnant, necnon et a iudicio ac coactione laicae potestatis, idque in quibuscumque causis ex sese ad forum saeculare pertinentibus, tam civilibus quam criminalibus.

Immunes esse clericorum personas a iurisdictione saeculari, indubitata apud catholicos veritas est. Indubitatum pariter, immunitatem hanc a iure civili nequaquam sumpsisse originem [1], et solum controversia est, utrum a iure divino ortum habere dicenda sit, vel ab ecclesiastico. Quamquam controversia in

[1] Syllabus Pii IX, prop. 30. « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ».

verbis potius reposita esse videatur. Omnes enim facile convenient in hoc: originem esse a iure divino, saltem quoad generale exemptionis principium; a iure autem ecclesiastico, quoad particulares determinationes quae in sacris canonibus appositae inveniuntur, iuxta distinctionem quam in simili affert S. Thomas, 2-2, Q. 85, a. 1 ad 2^{um} dicens: aliqua in communi esse de iure naturali, quorum determinationes sunt de iure positivo.

Certe, dicendum omnino est, ex Dei ordinatione esse, quod clerici sint privilegiati respectu communium actionum et servitutum civilium quibus laici addicuntur. Eiusmodi enim exemptio necessario consequitur naturam status et ministerii eorum, quod et peculiarem libertatem a saecularibus negotiis exigit, peculiaremque regiminis modum quo debitae personis ac rebus sacris existimationi atque reverentiae consulatur. Unde et in veteri Lege, Levitae utpote assumpti in sortem Domini, privato et speciali prorsus iure regebantur, iuxta illud Num. VIII-13: *Consecrabis* (levitas) *oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.... Quoniam dono donati mihi sunt a filiis Israel.... Sanctificavi eos mihi, tradidique eos dono Aaron, et filiis eius de medio populi, ut serviant mihi,* etc. Quae quanto magis in novo foedere applicationem habeant, vix opus est dicere. Bene ergo Suarez in defensione fidei, l. 4, c. 8: « Per-« sonae ecclesiasticae sunt speciali consecratione Deo dicatae, « et sacrae effectae; ergo ex iure naturae debetur eis peculiaris « reverentia ad religionem pertinens; ergo etiam exemptio ta-« lium personarum a iugo saecularis potestatis est quasi conna-« turalis, seu iure naturae debita statui talium personarum, prae-« sertim quoad causas criminales et personales earum. Sicut vas « aureum et argenteum quod ex se posset licite communi usui « deservire, eo ipso quod consecratum est in calicem, ex natura « rei manet liberum et immune a tali usu, nec potest sine sa-« crilegio ad illum transferri.... Sic ergo videtur dicendum de « persona quae Deo consecrata est, respectu subiectionis ad tri-« bunal saeculare. Quia non posset usus talis subiectionis non

« cedere in magnam irreverentiam talium personarum et totius « ecclesiastici status ».

Sed ius divinum naturale non dictat usque ad ultimas determinationes, ecclesiasticae immunitatis modum. Et ideo, eiusmodi determinationes debuerunt fieri per ius positivum. At non per ius civile, ut evidenter constat, cum sit materia ad finem spiritualem tota quanta ordinata. Ergo per ius ecclesiasticum sive canonicum, ut verum sit quod ait Tridentinum, Sess. XXV, cap. 20: *Personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus fuisse constitutam.* Quas sanctiones vide in Decretalibus, l. 2, Tit. 2, de foro competente; l. 3, Tit. 49, de immunitate ecclesiarum, et alibi passim.

Porro immunitas substantialiter consistit in duobus. Primo quidem, in omnimoda exemptione ab onere legum quae personarum ecclesiasticarum conditioni repugnant, puta legum militiae et huiusmodi (1). Secundo, in exemptione a caeteris legibus civilibus, non quidem quoad vim obligatoriam seu directivam, sed tamen quod coactivam: hoc sensu scilicet, quod clerici earum transgressores, non a civili magistratu, sed a solo suo iudice ecclesiastico debeant iudicari, cogi, ac puniri. Cuius quidem privilegii exemplum etiamnum perdurans conspicitur in militibus, qui in iis etiam delinquentes, quae praeter legem militarem sunt, ad militarem nihilominus iurisdictionem deferuntur. Et inde sumes valde idoneum argumentum ad defensionem immunitatis ecclesiasticae, quia si privilegium fori habitum est ut necessarium ad conveniens regimen exercitus, et ad conservationem militaris honoris, decoris, et disciplinae: quanto magis necessarium iudicari debebit ad convenientem statum ac decorem or-

(1) Hinc propositio 32, in Syllabo damnata: « Absque ulla natu« ralis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immu« nitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militae eximun« tur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in « societate ad formam liberioris regiminis constituta ».

dinis sacerdotalis in spiritualibus ministeriis populo christiano praesidentis (1).

Hae sunt generales notiones de immunitate ecclesiasticarum personarum, et facile applicari possunt ad immunitatem tam bonorum quam locorum quae sunt divino cultui destinata. Reliqua ad materiam iuris canonici pertinent.

(1) Item damnata propositio 31: « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de « medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede ».

EPILOGUS

Commemorantur in Apocalypsi septem Asiae ecclesiae quibus Ioannes scribere iubetur, ut monita salutis eis transmittat. Porro septem illae ecclesiae figurant septem epochas sive aetates in statu Ecclesiae universalis ab ascensione Domini usque ad secundum eius adventum. Habent etiam mystica nomina, per quae singularum epocharum nota veluti characteristica prophetice designatur.

Prima est ecclesia EPHESI (II, 1-7). Ephesus autem graece impetum significat, sive principium exeundi et tendendi in terminum. Et congruit aetati apostolicae, cum post acceptum Spiritum Sanctum in impetu vehementi, apostoli profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed et eidem quoque aetati congruit epistola commonitoria, alludens ad pseudoapostolos de quibus frequens apud Paulum mentio, et ad sectam Nicolaitarum, quae ab uno e septem primis diaconis orta, prima impurae Gnosis origo fuit ([1]).

Secunda est ecclesia SMYRNAE (II, 8-11). Est autem Σμυρνα, idem ac myrrha, et signat aetatem in qua, propter acerbitatem persecutionum, maximasque tribulationum amaritudines, imple-

([1]) « Angelo Ephesi ecclesiae scribe: Scio opera tua et laborem..., « et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, et invenisti « eos mendaces... Sed et hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, « quae et ego odi, etc. ».

batur illud, de Ecclesia ore prophetico dictum: « Manus meae stillaverunt myrrham et digiti mei pleni myrrha probatissima ». Unde et angelo Smyrnae ecclesiae signanter dicit Spiritus: *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem,* decem generales persecutiones non obscure significans.

Tertia est ecclesia PERGAMI (II, 12-17). Est autem Pergamus, civitas in litteris profanis famosa, ex qua originem simul et nomen traxit charta *pergamena.* Porro, cum chartam pergamenam audis, statim mentem subit cogitatio scriptionis librorum, et controversiarum quae calamo dirimuntur. Est ergo ecclesia Pergami, tertia aetas quae fuit SS. Patrum et doctorum, quando cessantibus cum Constantino persecutionibus cruentis, ecce a sede Satanae immissae magnae haereses, Arianorum, Manichaeorum, Pelagianorum, Nestorianorum, etc., et ex adverso a Deo suscitati pro defensione veritatis magni illi viri aeterna memoria digni, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, duo Cyrilli, aliique quam plurimi qui suis scriptis fidem catholicam maxime illustrarunt. Recte ergo tertia aetas Pergamo significatur. Recte monitum quod ad angelum huius ecclesiae dirigitur, ad eum dirigitur qui etsi de sua in fide constantia laudetur, adhuc tamen magnis periculis continenter est obnoxius, utpote qui habitet ubi sedes est Satanae, et haereticorum doctrinis undequaque circumveniatur (1).

Ecclesiae autem Pergami, quarto iam loco succedit THYATIRA (II, 18-29). Atqui Θυατιρος vel Θυατειροι splendorem triumphi et solemnem pompam significat, a Θυας Θυαδος, quae vox primitus designavit ea quae pertinebant ad festa in honorem Bacchi celebrata, et exinde, ad significationem cuiusvis solemnitatis seu triumphalis incessus translata fuit. Est igitur ecclesia Thyatirae, quarta aetas in Carolo Magno initiata cum in-

(1) « Et angelo Pergami ecclesiae scribe: Scio ubi habitas, ubi « sedes est Satanae, et tenes nomen meum, et non negasti fidem « meam, etc. ».

stitutione sancti Romani imperii, cuius duratio millenario numero (ab anno 800 ad 1800) erat mensuranda. Et re quidem vera, sancti Romani imperii institutio sigillavit subordinationem temporalis civitatis ad spiritualem, fuitque coronidis instar organizationi socialis regni Domini nostri Iesu Christi, de quo vaticinabatur Isaias: *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui..... Suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus, fortis Iacob.* In hoc ergo solemnitas, in hoc splendor triumphi, cui etiam congruunt caetera ad epocham istam pertinentia (1). Quamquam nec desint alia in malo reposita, quoniam mysterium iniquitatis semper operatur, et quamdiu vita praesens agitur, triumphus non est nisi secundum quod convenit Ecclesiae adhuc super terram militanti. Unde sub typo Iezabel' praenuntiantur dira schismata et haereses civitatem Dei hac etiam aetate desolatura, utputa schisma Graecorum saeculo XI, haeresis Albigensium saeculo XIII, praesertim vero impietas Protestantium saeculo XVI, a quo potissimum tempore incipiunt declinare res christiani imperii, et sensim sine sensu praeparari aera Revolutionis.

Nunc itaque Thyatira desiit, et quinta successit ecclesia quae est in Sardis (III, 1-6). Sardes profecto, celebris illa Lydiae civitas in qua Cresus regnavit. Ingerit autem cogitationem abundantiae auri et argenti, affectus immersi in divitiis huius saeculi, luxus et prosperitatis cuiusdam materialis. Quare ea quae ad tempus huius ecclesiae spectant, in statu decliviori esse videntur. Undique apostasia, undique defectio, et dum plerique a religione recedunt, pauci sunt qui Christo fidem servant. *Pauca*, inquit, *nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua.* Et rursus: *Nomen habes quod vivas, et mortuus es!*

(1) « Et angelo Thyatirae ecclesiae scribe: Novi opera tua et fi-« dem, et charitatem tuam, et ministerium, et opera tua novissima « plura prioribus, etc. ».

Nomen quod vivas, nomen scientiae, nomen libertatis, nomen civilizationis, nomen progressus; et mortuus es, sedens in tenebris et umbra mortis, propter reiectum lumen vitae quod est Christus Dominus. Quapropter angelo huius ecclesiae dicitur: *Esto vigilans et confirma caetera quae moritura erant,* commendaturque ei quam maxime, ut invariabiliter permaneat in his quae a sanctis apostolis tradita sunt, minime recedendo, altioris intelligentiae specie et nomine, a sensu illo quem tenuerunt Patres: *In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et poenitentiam age.* Haec quidem, ad quintam aetatem quod attinet. Sed iam laetiora sunt ea quae sequuntur.

Etenim, post ecclesiam Sardis, sexta ventura est, quae est PHILADELPHIAE (III, 7-13). Et quaecumque de ea referuntur, in bonis sunt reposita, praesertim propter eventum praecipui momenti, imo insignem et plane singularem inter omnia fata historiae ab initio usque in praesentem diem: id est, propter conversionem plenitudinis Iudaeorum, et accessum eius ad ecclesiam gentium, ut ex duobus populis quos medius dividebat paries maceriae, unus tandem populus Christo serviens efficiatur, atque hoc modo Iacob reconcilietur Esau, Isaac Ismaeli, quod quidem aliquando futurum annuntiabat Apostolus, Rom. 25-32. Unde et vocata est ecclesia ista *Philadelphiae,* quod interpretatum dicitur amor fratrum, sive reconciliatio fratrum. *Et angelo Philadelphiae ecclesiae scribe... Ecce dabo de synagoga Satanae, qui dicunt se Iudaeos esse, et non sunt, sed mentiuntur; ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te.* Et tunc etiam implebitur quod idem praedicebat Apostolus, Rom. XI-12: « Si de-
« lictum eorum (Iudaeorum nempe) divitiae sunt mundi, quanto
« magis plenitudo eorum! Si amissio eorum reconciliatio est
« mundi, quae assumptio, nisi vita ex mortuis? ». Expectanda proinde pro tempore illo, mirabilis quaedam expansio vitae christianae in toto mundo, et insignis victoria Christi et Eccclesiae de subacta Revolutione. Subactam tamen dico, potius quam destructam, ut quae novis interim sese reficiet viribus, maiorique

incensa furore accinget se sub Satana duce suo, ad supremam luctam, supremumque cum antagonista Christo certamen. Ideo tandem admonetur angelus Philadelphiae ecclesiae, proximam esse horam tentationis, *quae ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.*

Septima itaque, et ultima relinquitur ecclesia LAODICEAE (III, 14-22). Laodicea autem idem valet ac λαων δικη, id est, iudicium populorum, suo nomine satis indicans tempus consummationis saeculi, adveniente Christo in nubibus coeli ad iudicandum vivos et mortuos.

Haec sunt, amice lector, quae de septem Apocalypseos ecclesiis, seu septem Ecclesiae Christi aetatibus, haud improbabilia tibi forsitan videbuntur. Ex quibus etiam esset consequens, quintam nunc currere aetatem ; aetatem dico defectionis, apostasiae et liberalismi, mediam inter Thyatiram et Philadelphiam, inter finem sancti Romani imperii et renovationem illam quam *resurrectioni ex mortuis,* Rom. XI-15, comparare non dubitavit Apostolus. Et utinam non a vero abludens haec nostra interpretatio ! Spem enim afferret, inter praesentia mala quae patimur, utique tot et tanta, futurae restaurationis, et (sit venia verbo) contra-revolutionis.

Quidquid vero sit de valore exegetico expositionis propositae, et de applicatione eius ad tempora nostra, id saltem fidenter asserere licebit : Quoddam quasi praesagium iam ex nunc apparere melioris status rerum, in eo quod qui hodie in scientiis seu politicis seu oeconomicis principatum tenent, de die in diem magis ac magis agnoscunt, et sine difficultate confitentur, quam nefastum fuerit opus Revolutionis, quam mortiferi sint fructus libertatis : libertatis, inquam, *liberalis* seu libertinae, libertatis contractus socialis, libertatis ideologorum anni millesimi septingentesimi octogesimi noni. Qui utique non dubitaverant proclamare, unicam publicorum malorum et corruptionis gubernorum causam esse ignorantiam aut contemptum *iurium hominis,* quorum primum dicebant esse libertatem cum necessario

aequalitatis et fraternitatis comitatu ([1]). O levitas! O fatuitas! O insipientia! Et certe, libertas eorum desiit in despotismum, omni barbarie peiorem, praepotentium supra debiles; aequalitas, in multitudinem semper crescentem proletariorum ex una parte, et oligarchiam semper magis praevalentem millionariorum ex altera; fraternitas demum, in fermenta ubique sparsa intestinarum divisionum, et inexpiabilis odii classium contra classes ([2]). Neque haec iam latent electa quaeque huius nostri temporis ingenia.

Equidem plures ex eis sunt, qui adhuc consistunt in superficie, essentialem characterem Revolutionis, qui satanicus est, nondum perspicientes. Sed sunt et alii qui altius repetunt principium, et probe intelligunt, *quaestionem religiosam substerni caeteris omnibus quae nunc agitantur;* plagam liberalismi politici atque oeconomici natam esse ex liberalismo atheo et antichristiano de quo supra diximus; denique ordinem socialem omnino

([1]) « Les représentants du peuple constitués en assemblée natio-« nale, considérant que l'ignorance, l'oubli ou le mépris des droits de « l'homme sont les seules causes des malheurs publics et de la corrup-« tion des gouvernements, ont résolu d'exposer dans une déclaration « solennelle, les droits naturels, inaliénables et sacrés de l'homme... « Article 1er. Les hommes naissent et demeurent libres et égaux en « droits, etc. etc. » (Déclaration des droits de l'homme de 1789).

([2]) « Que signifient dans la vie économique la liberte du travail, « la liberté du commerce, la liberté de la propriété, si ce n'est la faci-« lité au déchaînement de toutes les cupidités contre toutes les fai-« blesses, ou selon le mot d'un publiciste, la liberté dont on jouit dans « les bois?.. Et qu'a-t-on gagné à toutes ces belles théories? Les es-« prits n'ont jamais été plus inquiets, les peuples plus mécontents, tou-« tes les conditions plus précaires. Est-ce la liberté politique que l'on « a conquise? Une moitié des citoyens s'acharne contre tout ce qui « est réclamé comme un droit par l'autre moitié. Est-ce l'égalité? « Jamais il n'y eut autant de prolétaires ni d'aussi gros millionnaires. « Est-ce la fraternité? Jamais il n'y eut tant d'égoïsme, tant de divisions, « tant de ferments de guerre sociale, etc. » De La-Tour-du-Pin, *Vers un ordre social chrétien,* III, § 1.

firmari et stabiliri non posse, nisi resumpta ab Ecclesia socialium rerum directione. Sperandum igitur fore ut, divina opitulante gratia, haec semina ad maturitatem veniant, ut haec principia theoretice agnita in restaurationis fundamenta transeant. Quam nos restaurationem totis votis cordium appellamus, scientes quoniam sub legislatione pagana sub qua nunc vivimus, individui christiani adhuc esse possunt, societas vere christiana esse non potest. In hoc ergo quaerimus omnino regnum Dei et iustitiam eius, quamquam caetera adiicienda non respuamus, nec nos lateat, de salubri quoque Ecclesiae influxu accipi posse quod de pietate scriptum est : ad omnia eam utilem esse, promissionemque habere vitae quae nunc est, et futurae.

INDEX

PARS TERTIA

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

DE HABITUDINE ECCLESIAE AD CIVILEM SOCIETATEM

PAG.

PROOEMIUM 3-14

QUAESTIO XVII. — **De errore liberalismi et variis eius formis** 15

Divisio Quaestionis 15-16

ART. 1. — *De fundamentali principio liberalismi, et multiplicibus applicationibus eius* . . 17

§ 1. Quod fundamentale liberalismi principium est in se absurdum, et contra naturam, et chimaericum 18-26

§ 2. Quod principium liberalismi in suis applicationibus ad res humanas, secum fert disgregationem et dissolutionem omnium socialium organorum, ubique inducens *luctam pro vita,* loco *concordiae pro vita,* quae sola lex vitae est. Et quod extinguit omnes libertates reales, per constitutionem Status despotici, absoluti, irresponsabilis, omnivori, cui nullus in arbitrio et praepotentia limes 26-33

PAG.

§ 3. Quod principium liberalismi est essentialiter antireligiosum, cornua independentiae directe erigens adversus Deum. Et quod ad finem tollendi de mundo Dei cultum, Dei religionem, Dei legem, imo et notionem, omnia quaecumque sub fallaci praetextu libertatis, in ordine seu politico seu oeconomico seu domestico attentavit, reipsa diriguntur 33-38

ART. 2. — *De variis formis liberalismi in re religiosa.* 39

§ 1. Quod prima forma liberalismi convertitur cum materialismo et atheismo. 39-43

§ 2. Quod liberalismus moderatus, sin minus ad formalem atheismum, at certe ad manichaeismum reducitur 43-49

§ 3. Quod liberalismus qui dicitur *catholicorum liberalium* omnem classificationem fugit, et unam solam distinctivam atque characteristicam notam habet, quae est nota perfectae et absolutae incohaerentiae 49-57

QUAESTIO XVIII. — **De subordinatione indirecta Status ad Ecclesiam** 58

Status Quaestionis 58-60

§ 1. Quod supremum bonum ad quod *per intentionem operantis*, omnes actus humani sunt ultimo referendi, est unum bonum, unusque finis beatitudinis aeternae. Et quod, loquendo de quibuscumque actionibus rectis in honesto usu quarumcumque rerum, prout debitae ac sanctae intentionis imperio subsunt, non est locus distinctioni inter *directe* vel *indirecte tantum* fini ultimo subordinatas, quia omnes sunt *media directa*, per quas ascensiones in corde ponuntur, et itur de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion 61-66

§ 2. Quod si nunc abstractio fiat *a fine operantis*, ut solus *finis operis* consideretur, sic sunt fines duo, et duo mediorum ordines: hinc bonum salutis aeternae ad quod referuntur

PAG.

media quae dicuntur spiritualia, illinc bonum vitae praesentis ad quod referuntur ea quae temporalia. Et quod inter duos istos fines subordinatio directa non est, sed tamen indirecta : quatenus bonum temporale sic est sub spirituali, ut debeat non modo ei non obesse, verum etiam ei inservire tamquam removens impedimenta, et subministrans conditiones sub quibus libera esse possit atque expedita eius prosecutio 66-70

§ 3. Quod eodem modo debent subordinari potestates, quo modo subordinantur fines ad quorum providentiam potestates sunt constitutae. Et quod naturae rerum consentaneum est ut potestas temporalis subsit spirituali, non quidem per respectum ad proprium suum temporalem finem, sed per respectum ad spiritualem, pro quanto scilicet, nec plus nec minus, interesse finis spiritualis in temporalibus implicatur, et conveniens eius promotio in animis hominum, de armis etiam quae saeculari societati propria sunt, requirit adiutorium. . 70-73

§ 4. Quod Ecclesia non accepit a Christo potestatem ullam temporalem sive politicam. Et quod directam in saecularia iurisdictionem ipsa sibi nunquam vindicavit 73-76

§ 5. Quod Ecclesia accepit a Christo plenam auctoritatem super baptizatos in ordine ad finem salutis aeternae. Et quod idcirco, in societatibus christianorum potestas saecularis iure divino indirecte subest iurisdictioni ecclesiasticae 76-81

QUAESTIO XIX. — **De his quae ad subordinationem consequuntur** 82

Divisio Quaestionis . . . . . ibid.

ART. 1. — *De officiis Status erga Deum et Ecclesiam* 82-84

Praenotanda 83-84

SMCL
3 5151 00244 5435